This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Phc 1018.40

HARVARD COLLEGE
LIBRARY



FROM THE BEQUEST OF
JAMES WALKER
(Class of 1814)
President of Harvard College
"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"



THESAURUS

COMMENTATIONUM SELECTARUM

ET

ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM

ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS

INSERVIENTIUM.

RECUDI CURAVIT, PRAEFATUS EST ET INDICES

ADJECIT

***M.* J. E. VOLBEDING.**

TOMUS SECUNDUS.

LIPSIAE,

IN BIBLIOPOLIO DYKIANO

MDCCCXLIX.

~~III. 1079~~

MAY 24 1881

Arc 1018.40 Walker fund.

HARVARD COLLEGE LIBRARY

3429
49.175
8

THESAURUS

COMMENTATIONUM SELECTARUM

ET

ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM

ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS INSERVIENTIUM.

RECUDI CURAVIT, PRAEFATUS EST ET INDICES

ADJECIT

***M.* J. E. VOLBEDING.**

TOMI SECUNDI PARS PRIOR.

LIPSIAE,
IN BIBLIOPOLIO DYKIANO
MDCCCXLVIII.

Index commentationum partis prioris.

XXVIII. H. Th. Tzschirner de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis 1
XXIX. J. G. Walch de hymnis ecclesiae apostolicae 21
XXX. J. Z. Hilliger de psalmorum, hymnorum atque odarum sacrarum discrimine 43
XXXI. J. A. Schmid de primitivae ecclesiae lectionibus et praecipuis circa easdem ritibus 62
XXXII. J. G. Zentgrav de ritibus baptismalibus seculi secundi . . . 74
XXXIII. J. J. Clauder de ritibus baptismalibus 98
XXXIV. A. Schuler de susceptoribus 106
XXXV. C. V. Weidling de baptisteriis veterum Christianorum . . . 114
XXXVI. A. F. Büsching de procrastinatione baptismi apud veteres ejusque causis 121
XXXVII. C. W. Wiedenfeld de exorcismi origine, mutatione deque hujus ritus peragendi ratione 137
XXXVIII. Aeg. Strauch *Κατηχούμενος* historice descriptus 156
XXXIX. Theoph. Schlegel de agaparum aetate apostolica . . . 170
XL. J. G. Mörlin de origine agaparum vett. Christianorum . . . 183

XXVIII.

H. Th. Tzschirner de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis *).

Quum quilibet ea potissimum soleat meditari, quae ipsum propius attingunt et crebrius animo ipsius obversantur, nos, qui perscrutanda rerum christianarum memoria delectamur, ita saepenumero veterem et recentiorem contemplati sumus ecclesiam, ut unam cum altera compararemus. Quod saepe animadverteramus, historiam tum demum dici posse optimam vitae magistram, quum idoneam variorum temporum instituere docet comparationem, id, veteris ecclesiae decreta, ritus et instituta cum placitis, moribus et forma recentioris ecclesiae conferentes denuo intelleximus. Ac quum facile augurari possimus, esse non paucos, qui eadem rerum christianarum meditatione delectentur, placet aliquam institutorum veteris ecclesiae partem enarrare et disserere pauca de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis. Ut enim huc animum adverteremus, causa fuit ipsa nostrorum temporum ratio. Nam quo magis refrixisse videmus rerum sacrarum amorem et desiderium, quo plures inter homines nostros reperiuntur, qui recedere a sacrorum communione haud erubescant, quoque saepius in templa, quae desolata, et in aras, quae desertae dici queant, incidimus: eo magis et consilio, quo haec suscipitur scriptio, et temporum nostrorum rationibus consentaneum iudicavimus, quam studiose sacra publica a veteribus Christianis culta fuerint, docere et causas religionis, cultu eorum probatae, enumerare.

Veteres autem Christianos, i. e. Christianos ante Constantini tempora, sacra publica admodum studiose coluisse, docent primum cura et solertia, quam in condendis iis et augendis posuerunt; deinde religio et verecundia, qua ea observarunt; porro constantia eorum, qua nec molestiis nec periculis a Deo et Christo publice adorando arceri potuerunt; denique desiderium revertendi ad fratrum conventus, in iis animadvertendum Christianis, qui abesse iussi fuerant ab ecclesiae communione. De quibus singulis deinceps dicetur.

Christo rebus humanis exemto, crebro convenire solebant apostoli eorumque amici nunc in templo, nunc in aedibus privatis, sacra consueta

*) Prod. progr. pentec. et festo Michaëlis I—II. Viteb. 1808. 4.

facturi (v. Luc. 24, 53. Act. 1, 14.). Fieri non potuit, quin apostoli sese in his ipsis conventibus, recolenda rerum a Christo gestarum memoria, mutuo consolarentur, magistri voluntati obsequentes coenam s. celebrarent, et forsitan eo iam tempore Dominum, in coelos sublatum, divinae maiestatis participem, et brevi, angelorum choris stipatum, ad solemnem regni Messiani inaugurationem reversurum, precibus venerarentur. Paulo post sectatores Christi, remoti a synagogae communione (facti ἀποσυναγώγοι), in peculiarem coiverunt societatem, quaeque hoc modo prima orta est ecclesia Hierosolymitana, habere coepit sacra peculiaria, formata quidem ad synagogae similitudinem, diversa tamen a sacris Iudaeorum. Apostolis dehinc ad exteros profectis, ubi coetus christiani, ibi etiam sacra christiana condita sunt, quod partim ex Actis, partim ex epistolis Pauli et reliquorum apostolorum intelligitur. Nam saepius praecipiunt apostoli, inprimis Paulus, de modo et ratione, qua sacra ecclesiae agenda sint, commemorant episcopos et presbyteros, quibus cura sacrorum demandata fuerit, conqueruntur de hominum nonnullorum, qui a fratrum conventibus abhorruerint, negligentia, atque lectores suos hortantur, ut precibus *communibus* se resque suas Deo commendent. Adierant quidem apostoli urbes potissimum et metropoles frequentes et opulentas, utpote quas esse noverant sedes synagogarum (synagogae enim erant Christianorum seminaria), ideoque in illis maxime oppidis et urbibus condita sunt ab initio sacra christiana. Quum autem succedente tempore diffusa esset religio christiana sensim paulatimque in municipia et vicos, ibi quoque sacra christiana agi coeperunt, idque passim apostolorum iam aetate factum esse exinde apparet, quod inter oppida, ecclesiarum christianarum sedes, in N. T. scriptis commemorata, nonnulla ignobiliora reperiuntur*). Ortis, saeculis secundo et tertio, ecclesiis in omnibus fere celebrioribus imperii Romani oppidis, ibidem sacra publica instituta esse, docet crebra ecclesiarum ibi conditarum commemoratio et colligitur omnium maxime e nominum episcoporum, qui conciliorum actis subscripserunt, multitudine. Neque mirum videri potest, sacra solemnia in eiusmodi oppidis acta esse, ubi magna erat Christianorum frequentia. Hoc vero memoratu dignum est et veterem ecclesiam magno rerum sacrarum desiderio arsisse demonstrat, quod Christiani, in vicis et pagis degentes, ne saepius carere cogerentur pietatis exercitio, in hisce pagis suis et vicis sacra publica condiderunt. Quod ne temere sumsisse videamur, testimoniorum nonnullorum auctoritate confirmare placet. Sic Dionysius Alexandrinus, qui saeculo p. C. n. tertio vixit, sese, in Aegypto commorantem, convocasse narrat τοὺς πρεσβύτερους καὶ διδάσκαλους τῶν ἐν κώμαις ἀδελφῶν**), et conventus fratrum in suburbiis habitos commemorat***), eoque ipso satis docet, a

*) v. catalogos ecclesiarum, quarum in N. T. mentio fit, conditos a *Fabricio* in Luce evangelii toti orbi exoriente, cap. V. p. 83 sq. et a *Iac. Hartmanno* in libro: de rebus gestis Christian. sub apost. cap. VII. p. 107.

**) v. Euseb. H. E. L. VII. cap. 24.

***) ibid. c. 11.

Christianis Aegyptiis condita fuisse sacra publica in vicis et pagis. Eusebius, de Silvano, Gazae episcopo, qui in persecutione Diocletiana capite plexus est, loquens, nuncupat eum ἐπίσκοπον τῶν ἀμφὶ τὴν Γάζαν ἐκκλησίων *), et Epiphanius mentionem facit presbyterorum Diodoridis, pagi in Carcharis Mesopotamiae, qui ibi saec. III. res sacras administraverint **); unde intelligitur, Palaestinos quoque Christianos, ab oppidis, episcopalium ecclesiarum sedibus, alienos, sacra peculiaria desiderasse. Pariterque docet canon LXXVII concilii Iliberitani ***), habiti a. 305 sub Diocletianae persecutionis initiis, conditas fuisse in Hispania exeunte saeculo tertio et ineunte saeculo quarto ecclesias rusticanas. Neque Christianos Syriacos, in vicis et pagis degentes, sacris peculiaribus carùisse, apparet ex epistola synodi, quae Antiochiae in causa Pauli Samosateni a. 270 habita est, ubi Episcopi τῶν ὁμορῶν ἀγρῶν commemorantur †). Quodque hactenus demonstratum ivi, eo confirmatur egregie, quod aetate, de qua loquor, ad finem vergente chorepiscoporum (ἐπίσκοπων τῆς χώρας, episcoporum ruris) saepius mentio iniicitur ††), qui, quod ipsum etymon verbi innuit, socii esse debebant et adiutores episcoporum, in rerum ad rusticanas ecclesias pertinentium administratione. At non modo qui ruri, verum etiam qui in oppidis, late patentibus, degebant Christiani, saepius carituri fuissent sacrorum communione, si omnes, sacra facturi, in uno eodemque loco debuissent congregari. Quare per oppida frequentiora, simulatque laetiores factae erant res Christianorum, plures ecclesiae conditae sunt, et Romae nominatim ante Diocletianae persecutionis tempora quadraginta basilicas erectas fuisse, ex Optato discimus †††). Quae quidem sacra ut rite possent administrari, conducenda erant auditoria, exstruenda aedificia, alendi doctores publici ideoque sumtus erogandi haud exigui; qui quum, nullo iubente magistratu, sponte suppeditati fuerint a Christianis †*), haec ipsa cura eorum

*) v. H. E. L. VIII. cap. 13.

**) v. haer. L. XVII. 12. 11.

***) Verba canonis haec sunt: „Si quis diaconus, *regens plebem sine episcopo et presbytero*, aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit.“ Admodum probabile est, quum vel in municipiis ignobilioribus episcopos constitutos fuisse noverimus, sermonem hic esse de diaconis, sacra ecclesiarum rusticanarum administrantibus. Cf. canon XX. conc. Toletani, habiti a. 400.

†) v. *Euseb.* H. E. L. VII. c. 30.

††) v. can. XIV. conc. Neocaesariensis a. 314. et can. XIII. conc. Ancyrani a. 314. congregati. Ac numerum eorum, ideoque etiam numerum ecclesiarum rusticanarum, cito summopere auctum esse, exinde colligitur, quod *Gregorius Naz.* in carm. de vita sua p. 8. n. 32 narrat, Basilium Caesareensem subiectos sibi habuisse 50 chorepiscopos.

†††) de schism. Donat. L. II. p. 49. Loqui autem Optatum non de suo, sed de Diocletianae persecutionis tempore, orationis series docet. Et aliis quoque in civitatibus plures ecclesias exstructas fuisse saec. III, exinde colligitur, quod, Diocletiano iubente, multae ecclesiae dirutae, et Christianis ereptae (v. Euseb. H. E. L. VIII. c. 2), iisdemque, Constantino rebus eorum favente, redditae sunt (v. Euseb. H. E. L. X. c. 5.).

†*) „Modicam unusquisque stipem, inquit *Tertullianus* Apologet. c. 39.

et solertia, in condendis sacrorum solemnibus demonstrata, quanti ea fecerit ecclesia vetus, unumquemque, credo, docebit.

At Christiani non modo condiderunt, verum etiam auxerunt sacra publica, partim curantes, ut ea crebro admodum agerentur, partim constituentes doctores publicos, et erigentes, simulatque resederat paululum persecutionum furor, aedificia, agendis iis idonea. Christo rebus humanis erepto, congregati sunt apostoli quotidie; deinde autem convenerunt sectatores eorum sabbati potissimum die; quod non mirum videri potest, quum ecclesiae christianae formam totam ad synagogae similitudinem compositam fuisse sciamus. Postquam vero multi Christiani, Paulo inprimis auctore, sese non teneri lege Mosaica intellexerant, in multis ecclesiis dies solis, quo Christus in vitam redierat, in locum sabbati successit, aliis tamen ecclesiis, rerum Iudaicarum magis studiosis, sabbatum tamquam diem festum agentibus. Atque instituta esse sacrorum solemnia die dominica in ipsis rerum christianarum initiis, colligitur e nonnullis N. T. locis*); eademque saec. I et II cum ipsa religione christiana propagata esse, ita potest doceri, ut nullus dubitationi locus supersit**). Orta posthaec a medio inde saeculo secundo arctiori inter ecclesias, per varias orbis Romani partes dispersas, coniunctione, quae inter eas erat diversitas, aliis sabbatum, aliis diem dominicam ut festum celebrantibus, ita optime tolli posse videbatur, ut dies uterque sanctus haberetur. Atque sic duo singularum hebdomadum dies sacris agendis festi celebrabantur***), quamquam sabbatum, multis in ecclesiis, non ea, qua dies dominicus, religione observabatur†). Huc accesserunt non multo post Iustini Martyris aetatem sacra diebus stationum (h. e. feria quarta et sexta) habita, quae eodem fere modo, quo sacra diei dominici, acta esse, exinde colligitur, quod multarum certe ecclesiarum Christiani in horum quoque dierum solemnibus s. coena uti solebant††). Praeter haec festa hebdomadalia (sit venia verbo) iis ipsis, de quibus mihi sermo est, temporibus, Constantini M. aetatem antecedentibus, festa nonnulla anniversaria instituta sunt. Nam in haec tempora incidit origo τοῦ πάσχατος σταυρώσιμου, h. e. origo festi in mortis Christi et coenae, ab eo institutae, memoriam celebrati†††), quocum brevi post τὸ πάσχα ἀναστάσιμον, h. e. festum, quo Christi redivivi memoria recolebatur, coniunctum est. Porro adnumerari debet festis, hac aetate ortis, festum pentecostes (ἡμέρα τοῦ πνεύματος), quo agendo recolere debebant Chri-

menstrua die, vel quum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte offert."

*) v. Act. 20, 7. 1 Corinth. 16, 1—2. Apocal. 1, 10. Cf. *Eichhornii* comment. in Apocalyps. p. 38—41.

**) v. epistolam *Barnabae*, c. 15. p. 47. tom. I. Opp. PP. Apost. ex edit. Cotel. — *Iust. M.* Apolog. II. p. 98. Plura loca, sed seriorum maxime scriptorum, congessit *Cotelerius* ad l. l. Barnabae.

***) v. *Boehmeri* dissertatt. iuris ecclesiast. antiqui p. 23. 24.

†) v. idem *Boehmerus* l. l. p. 29 sq.

††) v. *Tertull.* de orat. c. 14. Cf. *Binghami* orig. eccles. vol. V. p. 282.

†††) v. *Tertull.* de orat. c. 14. Quae praeterea huc pertinent loca, collegit *Mosheimius* in comment. de rebus Christian. ante Constant. M. p. 437 sq.

stiani memoriam donorum Spiritus Sancti, apostolis datorum *); nec incredibile est, coepisse Christianos a tertio inde saeculo sacra, Christo in coelos sublato dicata, celebrare **). Quae festa magna religione celebrata fuisse, exinde colligitur, quod et paschatos et pentecostes solemnibus integra octava dicata erat adeoque quadraginta illi dies, inter pascha et pentecosten interiecti, festi agebantur ***). Praeterea singulae ecclesiae sacra peculiaria habebant, e quibus ea potissimum commemoranda sunt, quae ad servandam martyrum memoriam iis ipsis, quibus martyrii coronam reportaverant, diebus instituebantur (natalitia martyrum). Nam a saeculo inde secundo tantum martyribus habitum esse honorem, ut memoria eorum festis anniversariis, quibus agendis constantiae eorum et pietatis exemplum Christianis ob oculos poni debebat, recoleretur, idoneis confirmari potest testimoniis †). Atque sic facile intelligitur, auxisse Christianos sacra publica admodum studiose, ut, Deum et Christum crebro adorantes, et alerent pietatem et facerent eam testatam.

Ita igitur auctis Christianorum sacris mox intellectum est, aegre carere ecclesiam personis publicis, quae iis operarentur. Quare mos ille ecclesiae apostolicae, quo quilibet Christianus docendi facultatem habebat, sensim paulatimque sublatus et peculiaris hominum, res sacras administrantium, ordo constitutus est. Qui ab initio res ecclesiarum externas curaverant et disciplinae prospexerant, episcopi et presbyteri, abierunt succedente tempore in publicos ecclesiarum doctores, ita quidem, ut ab ipsa inde apostolorum aetate episcopi et presbyteri fere soli docendi munere fungerentur ††). Adeoque, sacris christianis, quae ab initio ad synagogae similitudinem composita fuerant, post medium saeculum secundum magis ad sacrorum templi Iudaici exemplum formatis, et orto inter clericos et laicos discrimine, ne licuit quidem omnibus, quibus hoc placuisset, Christianis doctorum partes agere, verum ius et potestas sacris operandi solis clericis concessa fuit. Neque exiguus erat vel his temporibus numerus clericorum. Nam in plurimis non urbium modo et oppidorum celebriorum, verum etiam municipiorum ignobiliorum ecclesiis, praeter episcopum, praesulem sacerdotum, plures presbyteri, anagnostae praeterea seu lectores, psalmistae et exorcistae sacris faciundis adhibebantur †††). Qui quidem doctores publici quum privatis ecclesiarum

*) v. *Tertull.* de idololat. c. 14. et de baptismo c. 19. et *Irenaeus* de paschate.

**) v. *Hornii Abhandl.: Ueber das Alter des Himmelfahrtsfestes, in Wagnitz Liturg. Iournal. B. V. St. III.* p. 305—12.

***) v. *Tertull.* de idololat. c. 14. et de corona militis, c. 13.

†) v. epistolam ecclesiae Smyrnensis apud *Euseb.* H. E. L. IV. c. 15. *Cypriani* ep. 34. p. 47. et *Tertullianum* de corona militis. Cf. Caspar *Sagittarius* de martyrum natalitiis in primitiva ecclesia. Ienae 1683. et *Schroeckhii Christl. Kirchengeschichte*, Th. III. p. 113 sqq.

††) v. *Forbigeri* dissert. de muneribus ecclesiae aetate Apostolorum. L. 1776. et *Planckii Geschichte der christlich-kirchlichen Gesellschaftsverfassung*, B. I. p. 24 sq.

†††) Sacerdotum collegia satis ampla fuisse, ut unum modo commemorem

sumtibus alendi essent, exinde quoque, quod eiusmodi sacerdotum collegia eaque satis ampla constituta sunt, Christianos sacrorum augendorum et exornandorum admodum studiosos fuisse intelligitur. — Huc accedit, quod Christiani, simulatque res eorum laetiores esse coeperant, exstruendis aedificiis, usui sacro dicatis, sacra sua exornarunt. Primo quidem et secundo p. C. n. saeculo non habuerunt Christiani, quibus continuae nunc ab odio Iudaeorum, nunc a superstitione et saevitia eorum, qui deos adorabant, metuendae erant vexationes, aedificia sacra. Etenim non credibile est, homines, de securitate sua sollicitos, magistratibus suspectos multisque civium suorum invises, ita palam res suas egisse, ut omnium oculi in ipsos conversi fuerint. Congregatae potius sunt ecclesiae saeculis primo et secundo in aedibus privatis (προσεύχαις, oratoriis), quarum copiam iis Christiani ditiores faciebant, ac saepius adeo in coemeteriis aliisque locis, ab hominum frequentia remotis, conventus clandestini et nocturni instituendi erant*). Quare fallitur Baronius, qui ex Ignatii ad Magnesios Epistola demonstratum ivit, Christianos sub saeculi secundi initium templa habuisse**). Neque vero eorum mihi probatur sententia, qui Christianos ad Constantini M. usque aetatem templis caruisse volunt***), eo, si quid video, in errorem delati, quod Origenem, Minucium Felicem, Arnobium, Lactantium aliosque patres apologeticos, Deum templis, aris et statuis erigendis coli negantes, male interpretati sunt. Nam non desunt testimonia, quibus Christianos inde a Septimii Severi temporibus, qui imperium romanum ab a. CCXI—CCXXXV, tenuit et rebus Christianorum favit, aedificia, sacris agendis dicata, erexisse docetur. Probant hoc satis, quae Lampridius de Severo iubente, ut locus, a Christianis occupatus, quem popinarii vindicatum sibi iverant, Christianis redderetur, memoriae prodidit †), idemque e nonnullis Tertulliani locis colligitur ††). Neque haec templa omnia tempore Diocletianae persecutionis deleta et Christianis erepta esse, docet Gregorius Thaumaturgus, ita describens ecclesiasticae disciplinae rationem †††), ut

---

exemplum, patet ex *Cornelii*, qui medio saeculo 3 vixit, ad Fab. epistola (v. *Euseb.* H. E. L. VII. c. 43.), ubi quadraginta et sex presbyteri, qui Romae res sacras administraverint, commemorantur.

*) Loca patrum huc pertinentia collegit *Kortholtus* in Pagano Obtrectatore, p. 489 sq.

**) v. annales eius ad a. C. 52, §. 97. ubi ad Ignatii epistolam ad Magnesios c. 7. p. 56. vol. II. ed. Cot. provocat. Non possunt autem Ignatii epistolae, quas adulteratas esse duplex earum, quae circumfertur recensio, docet, pro fonte limpido haberi. Quod Baronius, idem asertum iverunt *Bona* L. V. Rer. Liturg. c. 19. §. 1., eo in errorem adductus, quod verba: ἐκκλησία et συναγώγη non de conventibus, sed de locis conventuum dici putat, et *Ioannes Mede* Anglus in tract. de ecclesiis primitivae ecclesiae, anglice scripto, quem *Boehmerus* in dissert. iuris ecclesiastici antiq. dissert. II. de antelucanis Christianorum coetibus, p. 35 sq. refutavit.

***) Placuit hoc. *Suicero* in thes. eccles. sub voce: ναός p. 388. et *Vedelio* in exercitt. in Ignat. ep. ad Magnes. c. 4. n. 2. p. 68.

†) in vita Severi, c. 49.

††) v. contra Valentin. c. 3. de corona militis c. 3. et de pudic. c. 4.

†††) v. eius epist. can. c. 11. p. 41. Opp. ed. Paris 1622. Legenda quoque

illius quoque aetatis Christianos templa habuisse intelligatur. Ac tempore inter Valerianam et Diocletianam persecutionem interiecto, quum numerus Christianorum mirum in modum auctus fuisset, sat multas ubique locorum basilicas exstructas esse, partim Eusebius*) et Optatus**) memoriae prodiderunt, partim exinde colligitur, quod Christianis, Diocletiano iubente***), multa templa erepta iisdemque, Constantino rebus eorum patrocinante, reddita sunt †). Sic igitur Christiani erigendis aedificiis, usui sacro dicatis, auxerunt et exornarunt sacra, simulatque iis in lucem prodire resque suas palam agere licuit, et hoc quoque modo, quantum ipsorum fuerit rerum sacrarum studium, declararunt.

Quae Christiani tanta cura et solertia condiderant et exornaverant sacrorum solemnia, eadem maxima religione et verecundia observarunt. Nam primum admodum frequentes ad ea facienda accesserunt nec ullus facile communione eorum diutius voluit carere. Iustinus Martyr, describens solemnes Christianorum conventus: *τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ*, inquit††), *πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρούς μενόντων συνέλευσις γίνεται*, et paucis interiectis: *τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες συνέλευσιν ποιούμεθα*, hisque verbis, si vel *τὸ*: *πάντες* nolueris premere, quod utique non premendum est, significat, singulas ecclesias quavis die dominica ita congregatas esse, ut nemo facile ab earum conventibus abhorreret. Neque, si recte memini, conquesti sunt patres ecclesiae priorum temporum de negligentia Christianorum in sacris obeundis, quod severi illi morum censores, aeque ac doctores publici nostrorum temporum, facturi fuissent, si deseri sacra animadvertissent. At Decianae persecutionis tempore imminutam fuisse pietatem et religionem Christianorum, crebra eorum docent exempla, qui, constantiae et strenuitatis, a primorum temporum Christianis in fide profitenda demonstratae immemores, fidem eiurarunt librosque sacros magistratibus tradiderunt. Quare credere licet, eodem tempore defecisse passim religionem Christianorum in sacris faciendis idque ipsum sub temporum, de quibus loquor, exitum factum esse, exinde colligitur, quod concilium Iliberitanum, habitum illud a. 314, *corripi eos* decrevit†††), *qui, in civitate positi, tres dominicas, ad ecclesiam non accessissent.* Idem tamen concilii Iliberitani canon probat, nefas iudicasse Christianos diutius a publicis conventibus abesse, quoniam, nisi ita iis visum esset, non facile passi fuissent, eiusmodi legem sibi obtrudi. Ac si vel concedi deberet, fuisse passim Christianos

---

sunt, quae *Gregorius Nyssenus* in vita Gregorii Thaumat. tom. III. p. 567. de basilicis, quae tempore eius exstructae et a proconsule Romano dirutae fuerint, memoriae tradidit.

*) v. H. E. L. VIII. c. 1. ubi in locum *τῶν παλαίων οἰκοδομήματων εὑρείας ἐκ θεμελίων ἐκκλησίας* successisse narrat.

**) de schism. Donatist. L. II. c. 49.

***) v. *Euseb.* H. E. L. VIII. c. 2. *Lactant.* de morte persec. c. 12. et c. 5., et Institt. div. L. V. c. 11. Theodoret. L. V. c. 39.

†) v. *Euseb.* H. E. L. X. c. 5.

††) v. Apolog. II. p. 98.

†††) v. canonem eius XXI.

negligentiores in frequentandis fratrum conventibus, quae supra de auctis sacrorum solemnibus disputata sunt, abunde, opinor, docent, plurimos Christianos ubique locorum summopere iis delectatos esse et satis crebro publicis precibus vacasse. Nam quemadmodum quaevis aetas tollit, quae supervacanea iudicat, ita ea tantummodo condit et instituit, quae necessaria habet, nec credibile est, veterem ecclesiam, non magistratuum arbitrio, sed suis legibus rectam, absque idoneis causis aucturam fuisse sacrorum solemnia. — Deinde elucet Christianorum in observandis sacris religio ex eo, quod iis satis diu vacare debebant, nam sacri eorum conventus per longum admodum tempus ducebantur. Initium eorum fiebat uno et interdum pluribus etiam psalmis decantandis, cui psalmodiae, in nonnullis ecclesiis, preces intermistae erant. Sequebantur deinde lectiones literarum sacrarum, et interdum quidem tres quatuorve eadem συνάξει, inter quas nunc preces fiebant, nunc hymni recitabantur. Has excipiebant homiliae, primis temporibus breviores, posthaec longiores. Dehinc preces fundebantur pro catechumenis, energumenis, competentibus et poenitentibus, et tum demum missa fidelium celebrabatur. Desererе autem ecclesiam, antequam s. coena celebrata esset, nefas iudicasse Christianos, exinde licet colligere quod partim in canonibus, qui apostolorum nomen prae se ferunt *), partim in conciliis nonnullis, saeculo quarto habitis **), excommunicationis poena iis decreta est, qui, non celebrata eucharistia, e conventibus ecclesiae discessissent. — Neque porro religionem Christianorum in sacris observandis demonstraturus hoc debet silentio praetermittere, quod coenam sacram crebro admodum celebrarunt. Instituebant primi Christiani quovis die sabbati aut solis, hac quoque in re morem Iudaeorum, quo festis diebus propinquos, vicinos et amicos ad coenam vocare solebant, imitantes ***), convivia sanctiora, quae coena sacra in Christi memoriam celebranda finiebantur †). Quae quidem agapae (nam sic convivia ista appellabantur), ab initio forsitan inter privatos parietes habitae, mature cum publicis, h. e. communibus Christianorum supplicationibus coniungebantur; quod non mirum videri potest, quum a Iudaeis quoque convivia in templi conclavibus instituta esse sciamus. Nam eum fuisse priscarum ecclesiarum morem, ut, finitis sacrorum solemnibus, agapas eiusmodi instituerent et inter haec ipsa convivia s. coenae sacramento uterentur, partim e notissima illa Plinii epistola ††), partim ex Apologetico Tertulliani †††) intelligitur. Neque tum, quum, aucto mirum in modum Christianorum numero, agapae istae aut a sacrorum solemnibus seiunctae, aut prorsus sublatae fuerant, desiit coena sacra crebro admodum celebrari. Nam per omnes ecclesias

*) v. canon. IX.

**) Decrevit hoc e. g. concilium Antiochienum a. 341 habitum, canone II.

***) Cf. *Hugo Grotius* de coenae administrat., ubi pastores non sunt, p. 22.

†) Cf. *Boehmeri* diss. de coitionibus Christian. ad capiendum cibum, in dissertatt. iuris ecclesiast. antiq. p. 242 sqq.

††) L. X. ep. 97.

†††) cap. 39.

quavis die dominica *) et e multarum ecclesiarum consuetudine in iis quoque sacris, quae partim diebus stationariis, partim diebus martyrum memoriae dicatis agebantur **), ita administrata est, ut, quotquot adessent praeter catechumenos et poenitentiam agentes Christiani, uti ea deberent.

Cum hac in observandis sacris religione eximia coniuncta erat verecundia. Placet et hoc uno eodemque altero exemplo demonstrare; nam omnia persequi longum foret. Sic ipse adorationis ritus admodum erat modestus et verecundus. Solebant enim Christiani adorare Deum in genua prolapsi (ἡ κλίσις γονάτων), quoties preces faciebant, si a die dominica et a tempore, inter pascha et pentecosten interiecto, discesseris, hunc que ritum, Orientis mores redolentem, satis antiquum esse, multis docetur testimoniis ***). Sic porro nefas iudicabatur, sedentem preces fundere †), et multi Christiani nonnisi paenulis depositis ††) et corpore loto †††) ad sacra facienda accedebant. Ac si metiri licet temporum, de quibus loquor, mores ex institutis aevi sequentis, diaconorum erat, monere et increpare eos, qui loco non decenti sederent, murmure obstreperent, dormitarent, riderent aut nutus facerent †*). Sunt autem haec levioris momenti et multi horum rituum, quos Christiani in sacris faciendis observabant, magis superstitionem redolere quam verecundiam significare videntur. Quare nolo diutius huic loco immorari.

Multo magis elucet Christianorum pietas et religio e constantia eorum, qua nec molestiis nec periculis arceri sese passi sunt a sacrorum communione. Multas admodum molestias primis Christi sectatoribus, sacra facturis, devorandas fuisse, quilibet rerum christianarum non prorsus ignarus intelligere debet. Congregabantur Christiani, quamdiu, septi undique periculis et insidiis, templis carebant, tempore nocturno, in locis abditis et ab hominum frequentia remotis, nec campanarum sonitu aut tubarum clangore convocati. Ex quo intelligitur, Christianos, ad sacra accedentes, itinerum et vigiliarum molestias, saepe tempestatis iniurias debuisse tolerare. Rebus eorum a saeculo inde III in melius mutatis, magna quidem harum molestiarum pars sublata est. Sed ipsa sacra ita erant comparata, ut nostris certe hominibus satis molesta videri debuissent. Nam ut taceam, sacra officia satis diu morata esse omnes, qui ad conventus publicos accesserant, condita sunt nonnullis in eccle-

---

*) v. *Iust.* M. Apolog. II. p. 98. Cf. *Binghami* orig. ecclesiast. vol. VI. p. 570 sqq.

**) v. *Tertull.* de orat. c. 14. de coron. militis c. 3. et *Cyprian.* ep. 12. (37.) ep. 37. (34.)

***) v. *Hermae* Pastorem, Part. I. vis. I. n. I. in PP. Apost. edit. Cotel. tom. I. p. 75. *Acta Theclae* in Grab. Spicileg. tom. I. p. 96. *Clementis Rom.* Ep. I. ad Corinth. n. 48. in PP. Apost. edit. Cotel. p. 174. et *Tertullianum* ad Scapul. c. 4.

†) v. *Tertull.* de orat. c. 12.

††) v. *Tertull.* l. l.

†††) v. *Tertull.* l. l. c. 4.

†*) v. Constitt. Apostol. L. II. c. 57.

aüs sacra matutina*), acta illa quotidie; et passim, hoc iam tempore, vigiliae, in festorum solemniorum initiis institutae, quae a media nocte ad mane usque ducebantur, originem cepisse videntur**). — Nec modo molestias devorare, verum etiam pericula contemnere debebant Christiani, sacra facere cupientes. Notum est, cautum fuisse legibus Romanorum ***), ne conventus clandestini et nocturni fierent, et magistratus poenas minatos esse Christianis, ad eiusmodi conventus accedentibus †). Hinc saepius factum est, ut milites et apparitores, nihil veriti sacrarum sanctitatem, conventicula Christianorum ingrederentur quosque ibi deprehendissent, tamquam homines res novas molientes, in vincula coniectos ad tribunal raperent. *Quotidie obsidemur*, inquit Tertullianus ††), *quotidie prodimur, in ipsis coetibus et congregationibus nostris opprimimur.* Nihilominus accesserunt Christiani frequentes ad fratrum conventus, adeoque martyres fuisse, narrat Augustinus †††), qui *ibi sacramenta celebrassent, ubi propter eadem sacramenta tenebantur inclusi.* Quanti autem fecerunt, qua religione sacra coluerunt ii, qui, spreto mortis periculo, ad fratrum, Deum et Christum adorantium, conventus accedere solebant!

Denique commemorandum est hoc in loco desiderium sacrorum, in iis animadvertendum Christianis, quos ecclesia, aut criminis aut levitatis in fide eiuranda reos, a conventibus suis prohibuerat. Norunt omnes, qui vel primoribus, ut aiunt, labris rerum christianarum historiam attigerunt, eam fuisse ecclesiae veteris, morum sanctitatis admodum studiosae, disciplinam, ut omnes, qui aut honestatis praecepta laesissent, homicidas, adulteros, lenones, aut in ecclesiam deliquissent fide deserenda, idolis adorandis tradendisque sacris Christianorum libris, a conventuum publicorum communione arceret. Raro autem factum est, ut eiusmodi homines (lapsi), ex ecclesiae communione eiecti, deserta religione christiana, aut deos adorare, aut religionem Iudaicam amplecti maluerint, quam in pacem cum ecclesia redire †*). Optarunt potius excommunicati, arbitrantes, hominem, ab ecclesia seiunctum, Satanae traditum et Christi

---

*) v. *Cyprian.* ep. 63. qui et alibi saepius horum sacrorum mentionem facit.

**) Non memini quidem, ante saec. 4 (nisi forte huc pertinet *Tertull.* ad uxor. L. II. c. 4.) disertam harum vigiliarum mentionem fieri. Quum autem certum sit, viguisse eas saec. 4. (cf. *Bingham* origg. ecclesiast. vol. V. p. 288. vol. IX. p. 146.), ac sacra nocturna, persecutionum tempore habita, instituendis iis opportunitatem dedisse: origines earum ad tempora Constantini aetatem antecedentia referre licet.

***) Leges huc pertinentes collegit *Kortholtus* in Pagano obtrectatore, p. 510 sqq.

†) Sic *Plinius* ep. 97. L. X. sese vetuisse scribit Traiano, esse hetaerias.

††) Apologet. c. 17.

†††) v. Breviar. collat. diei III. c. 17.

†*) Narrat quidem *Cyprianus* ep. 40. (43), presbyteros nonnullos ultro se eiecisse et de ecclesia sponte se pepulisse, idemque ep. 48. (50) de Novato tradit, praevenisse eum sententiam discessione voluntaria. Erant autem hi homines schismatici, h. e. peculiarem condiderunt ecclesiam, et, quae de his aliisque schismaticis traduntur, cum mea sententia commode possunt conciliari.

beneficiis privatum esse, ut sibi quam primum revertendi ad ecclesiam potestas concederetur. Neque interclusi erant reditu. At longam molestamque agere debebant poenitentiam, antequam iis primum ad psalmodiam et literarum s. lectiones, deinde ad coenae s. mysteria accedere iisque celebrandis ad communionem ecclesiae redire licuit. Flentes, expositi interdum tempestatis iniuriis (quam ob causam *hiemantes* passim appellantur in canonibus conciliorum), stabant publicam agentes poenitentiam ante fores conventiculorum aut basilicarum, et exorabant introëuntes et exeuntes, ut sibi veniam darent; vultu, vestitu et fugiendis cuiusque generis oblectamentis et voluptatibus dolorem animi et moerorem prodere debebant; data iis deinde ad sacra accedendi venia, prope catechumenos in ea ecclesiae parte, quae *τάρθηξ* dicebatur, positi erant, et antequam agerentur missae solemnia, egredi e templo tenebantur; denique in genua proiecti peccata confitebantur, et tum demum licuit iis s. coena celebranda (*μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων*) ad ecclesiae communionem reverti *). Qui gravius deliquerant, per decem saepe et plures etiam annos poenitentiam agere debebant. At non subituri fuissent lapsi molestam eiusmodi disciplinam, nisi sacris aegerrime caruissent. Quare quod excommunicati poenitentia publice agenda prodiderunt ad supplicationum et eucharistiae communionem veniendi desiderium, in eorum argumentorum numero poni debet, quibus ecclesiam veterem sacra publica studiose admodum coluisse docetur. Neque hoc argumentum ita potest everti, ut poenitentia non tam ob desiderium sacrorum, quam ideo potius acta esse dicatur, quod leges civitatis iuribus variis et commodis excommunicatos privassent, quum mihi de eo tantum tempore sermo sit, quo ecclesia nondum in unam cum civitate coaluerat societatem, ac nihil fere penes eius arbitrium erat praeter ius et potestatem, veniae ad sacra accedendi aut concedendae suis aut negandae.

Quae fuerit veterum Christianorum in sacris publicis condendis augendisque solertia, in observandis assiduitas, in tenendis constantia, satis demonstratum est. At qui, quae gesta olim sunt et instituta, apte exponere cupit, non in congerendis rebus memoriae proditis acquiescere, verum causas earum explorare debet. Itaque religionis, quam vetus ecclesia sacris publicis studiose cultis demonstravit, causas enumerare easque, quo rite nostra procedat disputatio, ad genus triplex revocare placet. Nam positae sunt primum in pietate primorum Christianorum, quacum saepe coniuncta fuit superstitio; deinde in ipsa sacrorum publicorum natura et indole; denique in externis ecclesiae rationibus. Age, videamus de singulis.

Multa sunt, quae veterum Christianorum religionem et pietatem testentur. Christo nomen daturi sacra a patribus accepta, civium socie-

*) Quae fuerit saec. 3. poenitentia disciplina, discitur partim e *Gregorii Thaumaturgi* epistol. canon. c. 11. 41. Opp. ed Paris., partim e *Tertulliano* de pudicit. c. 13. Cf. *Morini* Commentarius de disciplina ecclesiae in administratione sacramenti poenitentiae. Bruxel. 1677. et *Dallaeus* de poenis et satisfactionibus humanis. Gen. 1609. 4.

tatem, parentes interdum et cognatos deserebant, et profitentes quod ei dederant nomen, molestias, pericula, cruciatus spernebant ac saepe ne mortis quidem metu ab ecclesiae communione arcebantur. Antiquitatis christianae quibus aetas pepercit monumenta eam spirant pietatem, ut eorum auctores toti in rerum divinarum meditatione fuisse intelligantur. Quaecunque aut sibi aut generi humano evenirent, horum temporum Christiani Deo, numine suo cuncta gubernanti, tribuebant, divina spirantes animum a rebus humanis ita avocabant, ut haud pauci coniuges adeo desererent et hominum consortium fugerent, Dei et Christi amore flagrabant, et tantum erat nonnullorum arctioris cum Deo et Christo coniunctionis desiderium, ut, quo citius coelestis participes fierent beatitudinis, ipsi martyrium quaererent *). Neque mirum videri potest, fuisse hanc veterum Christianorum religionem. Nam primum Deum res humanas moderari, hominem post mortem fore superstitem, Christum, quae gessisset, e Dei mandato gessisse eumdemque serius ociusve reversurum esse ad instituendum iudicium solemne, ita iis persuasum erat, ut nulli vel levissima dubitatio oriretur. Noverant primi Christiani, quae nos credere debemus. Erant enim aut ipsi miraculorum, quae Christus et apostoli faciebant, spectatores, aut nuntium de rebus, a Domino eiusque praeconibus gestis, ab iis acceperant, ad quos et ipsos aliqua earum pars pertinuerat **). Quae autem oculis cernuntur et percipiuntur auribus, fortius feriunt animum eique altius infiguntur, quam quae mera fide, aut historica aut morali, continentur. Quoque certius tibi de rebus divinis persuasum est, eo magis cogitandis iis ad pietatem adducaris necesse est. Deinde plurimi primorum Christianorum erant ἐκ τῆς περιτομῆς. Iudaei autem religione, theocratica civitatis forma, vitae domesticae pariter ac vitae publicae institutis ita ad pietatem ducebantur, ut in nullo facile populo maior esset erga Deum reverentia et diligentius rerum sacrarum studium. Quae quidem pietas, hereditatis lege a patribus accepta, in Iudaeis, religionem christianam amplexis, non deleta, imo regni Messiani prope instantis exspectatione summopere aucta est. Inter Romanos, qui, ex quo tempore philosophia graeca in Italiam migraverat, deos ridere coeperant, erant quidem iis ipsis, quibus eccle-

*) v. *Russ* de studio martyrii in primitiva ecclesia. Ienae 1733.

**) Neque modo apostolorum aetate, verum etiam temporibus eam insecutis fides Christianorum sensuum testimonio nitebatur. Nam omnes fere priorum saeculorum scriptores, *Iustinus Martyr* (Apolog. II. c. 6.), *Irenaeus* (adv. haeres L. II. c. 31. L. V. c. 6. coll. Euseb. in H. E. L. V. c. 7.), *Tertullianus* (de praescript. adv. haeret. c. 15. Apologet. c. 23. 27. 32. 37. ad Scapulam c. 2.), *Cyprianus* (de idolorum vanit. c. 4.), *Minucius Felix* (Octav. c. 27.), *Origenes* (contra Cels. L. I. p. 5. 34. 53. L. II. p. 124. ed. Spenc.), *Arnobius* (adv. Gentes L. I. c. 46.), nunc daemones aut precum assiduitate, aut crucis signo fugatos, nunc morbos ipso Deo interveniente sanatos, nunc alia miracula commemorant. Quae quamquam non erant miracula, ut post *Middletonum* plurimi recentiorum temporum viri docti iudicarunt, habebantur tamen pro miraculis, h. e. pro eventis, quorum causa immediata Deus esset, et hanc ob causam eo facere debebant, ut fides Christianorum argumentis, a sensuum testimonio ductis, confirmaretur.

siae christianae fundamenta ponebantur, temporibus multi non modo sacrorum, a patribus acceptorum, sed omnis religionis contemtores*), quoque plures ad Epicuri hortos advolabant, eo maior in templis erat solitudo. At ipsa natura homines ad religionem ducit, ideoque multi Romanorum, pertaesi philosophiae voluptatibus inservientis, a medio inde saeculo secundo aut Christo nomen dabant, aut ad sacra patria, Neoplatonicorum studiis exornata, revertebantur**). Ac saepe in locum contemtus rerum sacrarum non religio, imo superstitio, eaque videndi contrectandique studium, quae nec oculis cerni nec manibus tangi possunt, successit***). Huc quum accederent partim decreta religionis christianae, ut decretum de Deo preces hominum exaudiente, de Christo rerum divinarum interprete et generis humani redemtore, partim commenta, ut commenta de mundo senescente et prope instante rerum humanarum interitu †) et de Messia brevi ad inaugurandum regnum suum reversuro ††), pietati alendae idonea, non mirum est, veteres Christianos totos fuisse in meditandis rebus divinis. Pietas autem praecipua rerum sacrorum studii causa habenda est. Quum enim homo promere studeat et significare sensus, animum eius crebrius subeuntes et fortius impellentes: qui sensibus a rerum divinarum cogitatione venientibus agitatur, non potest non ad sacra facienda ferri. Huc accedit, quod animus, ut corpus movendi, ita cogitandi sentiendique consuetudines suscipit, et quae iis conveniunt et respondent quasi modis, ad quos animus moveri consuevit, grata sunt et iucunda. Quam ob causam homines pii, quos sensus a rebus divinis venientes crebro adficiunt, sacris faciendis delectantur, quoniam agendis iis sensus, animi eorum modis consentanei, ideoque grati et iucundi, excitantur. Quam quidem pietatem ut Christiani sacris faciendis declararent, eo quoque factum est, quod precibus fundendis et

---

*) v. *Starckii Geschichte der christl. Kirche des ersten Jahrhunderts, Band I.* p. 114—27. et *Moshemii* commentarius de rebus christian. ante Constant. M. p. 14 sqq.

**) Multos Romanorum a saeculo inde II. ad Deorum cultum reversos esse, docet omnium maxime philosophia Neoplatonica, multos ubique locorum fautores nacta, cuius decretis et disciplina pietatis non delectati fuissent homines, nisi eos denuo rerum sacrarum studium cepisset. Qui plura hac de re legere cupit, adeat *Meiners Beiträge zur Geschichte der Denkart der ersten Jahrhunderte nach Christi Geburt, in einigen Betrachtungen über die neuplatonische Philosophie. L.* 1782. 8. et *Keilii* dissert. de causis alieni Platonicorum recentiorum a religione christiana animi. L. 1785. 4.

***) Hinc nata est theologia mystica, cuius vestigia sat multa in scriptis et Christianorum (cf. *Moshemii* Commentarii de rebus Christian. ante Constantin. M. p. 310 sqq. p. 659 sqq.) et Neoplatonicorum, Celsi, Porphyrii, Plotini aliorumque reperiuntur.

†) „Si in habitaculo tuo, dicit *Cyprianus* de mortalitate p. 236. ed. Paris., parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa, aedificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? — — — Mundus ecce nutat et labitur et ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur. Et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus, ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris?“ Cf. *Tertulliani* Apologet. c. 39.

††) v. *Iustini Martyris* Dialogus cum Tryphone, p. 245. ed. Col.

bona teneri et mala arceri putabant. Nam credidisse veteres Christianos, Deum hominum preces audire iisque saepenumero ea tantum bona, quae precibus suis flagitassent, concedere, et e formulis precandi, ecclesiae veteri usitatis, et ex iis apparet, quae patres ecclesiae de precandi causis et officio praeceperunt*). Plures vero et, quod est in hominibus commodi studium, graviores etiam precandi causas habet, qui, non modo ut sensus pios et honestos alat, verum etiam ut implorando Deo rebus suis prospiciat, ad sacra facienda accedit**).

Cum hac autem veterum Christianorum religione saepe coniuncta fuit superstitio, quam mature in ecclesiam invectam esse, non est quod miremur, quum nec Iudaei nec deorum cultores commenta sua facile exuerent. Qua quidem superstitione rerum sacrarum studium vario modo auctum est. Sic, ut nonnulla commemorem exempla, Christiani, angelos sacris interesse hominumque preces ad Deum perferre et martyres prope sepulcra sua in templis, memoriae eorum dicatis, commorari existimantes, loca sacra, coelestium naturarum numine plena, religiosius revereri et ardentius precari debebant. Veteres autem Christianos habuisse angelos pro interpretibus precum, quas funderent homines, ut alios omittam, testatur *Origenes* ***), eosdemque martyrum animas sub altaribus latere ibique commorari, dum Deus caedem eorum ulciscatur, existimasse, e locis nonnullis *Tertulliani* et *Cypriani* †), et ex canone XXXIV. concilii Iliberitani ††) satis apparet. Porro huc referenda sunt commenta de geniis malis, qui continuo insidias hominibus struere eosque miseriis et erroribus implicare studeant. Quum enim daemones precibus invocato Christi nomine et crucis signo fugari eorumque potesta-

---

*) v. *Origenes* in libro περὶ εὐχῆς, Segm. 6. et 13. Segm. 8. extrem. et Segm. 12. init.

**) Neque modo, ut sacris publicis studerent veteres Christiani, verum etiam ut privatas saepe preces facerent, religio eorum causa fuit. Statis cuiusque diei horis, hora tertia, sexta et nona, precari solebant, quod *Tertullianus* de ieiun. c. 10. et contra Psychicos c. 10. et *Cyprianus* de oratione dominica p. 154 ed. Paris. docent. *Origenes* saepe preces matutinas et vespertinas et *Clemens Alexandrinus* nocturnas adeo commendat. Neque Christianis, ut ait *Cyprianus*, hora convivii gratiae coelestis immunis erat, v. epistolas eius, ep. I. p. 7. edit. Paris. coll. *Tertulliano* in Apologet. c. 29. Nonnulla, huc pertinentia, congessit *Ernestus Simon* in libro: *Historischkritischer Versuch über das Gebet, besonders über das Tischgebet. Ein Beitrag zur Religions- und Menschengeschichte.* (Norimbergae 1799.) p. 98 sqq.

***) Contra Cels. L. V. p. 233. ed. Spenc. Ex hac ipsa autem sententia, qua angeli internuntii et interpretes rerum humanarum habentur, altera fluit sententia, qua sacris interesse hominumque preces audire putantur. Idque ipsum, praesentes esse angelos, ubi sacra agantur, *Chrysostomus*, qui ab iis, de quibus mihi sermo est temporibus, prope abfuit, diserte dicit. *Οὐκ ἐννοεῖς*, inquit in Homil. I. de verbis Ies. Tom. III. p. 836., *ὁτ' ἄγγελοι ταύτῃ τῇ φρικτῇ περίστανται τραπέζῃ* (loquitur de s. coena) *καὶ φόβῳ ταύτην περιέπουσιν.*

†) Loca, huc pertinentia, congessit *Gabriel Albaspinaeus* in Observatt. de veteribus ecclesiae ritibus, p. 314—15.

††) Qui quidem concilii Iliberitani, habiti a. 305, canon ita se habet: „Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt.“ Cf. *Albaspinaeus* l. l.

tem cohiberi veteres Christiani opinarentur*), non potuerunt non daemonum metu ad sacra facienda ferri. Tutos sese putabant ab insidiis Satanae eiusque satellitum, quamdiu precibus vacarent, et sacris agendis triumphare arbitrabantur ecclesiam de Satanae regno. Noctu maxime, quae est hominis tenebris ingruentibus ad timorem proclivitas, daemones terram pervagari et grassari in homines credebantur, ideoque verosimile est, sacra nocturna eam quoque ob causam instituta esse, ut daemonum potestas cohiberetur**). Quodsi vero sacris agendis daemonum potestatem reprimi Christianis persuasum erat, et crebro iis vacare, et metuere debebant, ne, si diutius ab eorum communione abhorruissent, in Satanae potestatem inciderent et aeternae salutis iacturam facerent. Idque ipsum veteres Christianos metuisse, exinde patet, quod, ut ait *Tertullianus* ***), summum futuri iudicii praeiudicium putabatur, si quis ita deliquerat, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii religeretur, quodque Satanae tradi dicebantur †), quos ecclesia a communione sua arcebat.

Omissis, quae praeterea de superstitione veterum Christianorum eiusque cum rerum sacrarum studio coniunctione disputari possint, ad eas religionis eorum, sacrorum cultu probatae, causas venio, quae in ipsa horum sacrorum natura et indole positae sunt. Quo quidem in loco ante omnia convenientia sacrorum veteris ecclesiae cum decretis, quae horum temporum Christiani fovebant, observanda est. Quamquam enim Christiani mature in varias partes discesserant, de praecipuis tamen fidei capitibus et de rebus a Domino et apostolis gestis una erat omnium eademque sententia, quique haeretici dicti sunt (ut taceam, plurimos eorum in peculiares ecclesias coivisse), non deserendis fidei capitibus, verum secus explicandis iis et definiendis, quam ecclesiae catholicae visum fuerat, in haereseos reprehensionem incurrebant. Omnes horum temporum Christiani Christum, quamquam de natura eius magna erat sententiarum diversitas, pro interprete Dei, decretorum eius gnaro, habebant, venerabantur eum Messiam, serius ociusve reversurum ad homines e sepulcris evocandos et ad instituendum iudicium solemne, suspiciebant angelos, metuebant daemones, nec ullus facile, quae in evangeliis de rebus a Domino gestis, de resurrectione et de reditu eius ad sedes coelestes narrantur, in dubitationem vocabat. Quare sacra publica, his ipsis decretis, tanquam fundamento suo, superstructa, placitis, quae veteres Christiani fovebant, consentanea erant, idque ipsum ad alendum eorum amorem haud parum facere debebat. Nam quoties Christiani sacris vacabant, sive preces facerent, sive hymnos et psalmos decantarent, sive homilias audirent et literarum s. recitationes, toties decreta, de quo-

*) v. *Tertulliani* Apologet. c. 22. *Iustini Martyris* Apolog. I. p. 55—56. Apolog. II. p. 46. *Origenes* contra Cels. L. VII. ed. Spenc.

**) De temporibus aetatem, de qua mihi sermo est, insecutis certum est, sacra nocturna ad arcendos daemonum impetus instituta esse. V. *Cassianus* Collat. VII. c. 23.

***) v. Apologet. c. 39.

†) v. *Binghami* origg. Vol. VII. p. 106 sqq.

rum veritate persuasum sibi habebant, in memoriam iis revocabantur, ut non possent non ad rerum divinarum meditationem et ad sensus, a cogitatione earum venientes, sacris agendis adduci. At longe alia est hominum nostrorum ratio. Sunt enim, in nostra praesertim ecclesia, haud pauci, qui, quae una literarum s. auctoritate nituntur, dogmata deserant resque omnes, in evangeliis traditas, quae a consueto rerum ordine abhorrent, pro fabulis habeant. Quos quidem homines taedere debet rituum et festorum, ad res, quas in fabularum numero ponunt, pertinentium, nec fieri facile potest, ut iis homiliae et carmina, quae, ut ipsis quidem videtur, vera falsis mixta tradunt, probentur. Quid quod, ubi dogmata, quae pro commentis, et narrationes, quas pro fabulis habent, tradi audiunt, indignantur et animus eorum ita turbatur, ut nec meditandis rebus divinis nec fovendis sensibus religiosis apti sint. Quare, si quid video, sacrorum veteris ecclesiae cum decretis, quae temporum istorum homines ad unum omnes fovebant, convenientia pro causa rerum sacrarum studii praecipua habenda est. Huc accedit, quod vetus ecclesia sacra sua ad sacrorum, a Christianis desertorum, similitudinem formabat. Nam fuisse ea tota ad synagogae formam et exemplum expressa, nemo ignorat, qui synagogae et ecclesiae ritus et instituta invicem comparavit. Synagogam redolet mos legendi et interpretandi literas sacras *); synagogam produnt cum precandi formulae, in ecclesia usitatae **), tum hymni et psalmi, quos Christiani decantare solebant ***); et agapas veteris ecclesiae, inter quas Christiani s. coena utentes Christi memoriam recolebant, ad exemplum conviviorum sanctiorum, sabbati die a Iudaeis celebratorum, institutas fuisse, dudum viri docti viderunt †). Qua quidem cum sacris Iudaicis similitudine omnibus, qui aut Iudaei, aut proselytae fuerant, sacra christiana maxime commendari debebant. Nam reverentur homines maiorum mores et instituta, eaque, cara sibi ob usum longum et diuturnum, aegre deserunt. Quare sacra ecclesiae, ad synagogae exemplum composita, hac ipsa cum ritibus Iudaicis similitudine Iudaeo-christianos maxime alliciebant, delectabant et tenebant. Eo autem, de quo mihi sermo est, tempore, nulli fere ritus, a rebus Graecorum et Romanorum ducti, in ecclesiam invecti sunt. Nam Christiani, sacra paganorum ad daemones, Deo infensos et honoris divini cupidos, pertinere rati, ita ea abominati sunt, ut communionem eorum angue peius fugerent. Praeter epulas et ludos, qui, *Gregorio Thauma-*

*) v. *Campegius Vitringa* de Synagoga vetere, p. 948—1008. p. 686 sqq. p. 669 sqq.

**) Ut formulae: Amen, Hosianna, Hallelujah. Cf. *Ernesti Friderici Wernsdorfii* exercitatio liturgica de formula veteris ecclesiae psalmodica Hallelujah. Viteb. 1762. *Eiusd.* commentatio de prece Hosianna eiusque in liturgia usu. Ibid. 1765. *Io. Georg. Weberi* Diss. de vocis Amen sensu et usu. Ienae 1734.

***) Cf. *Walchius* de hymnis ecclesiae apostolicae. Ien. 1737. et *Io. Zach. Hilliger* de psalmorum et odarum discrimine. Viteb. 1770.

†) Cf. *Hugo Grotius* de coenae administratione, ubi pastores non sunt, pag. 22. et *Boehmerus* de coitionibus Christianorum ad capiendum cibum, in dissertt. iuris ecclesiastici antiqui ad Plinium secundum et Tertullianum p. 237—39.

turgo auctore, prope martyrum sepulcra celebrabantur saeculo III *), nulli, quantum scio, Graecorum et Romanorum ritus et instituta, tribus primis p. C. n. saeculis, in sacra christiana translati sunt; seriore tamen tempore multi admodum ritus peregrini in ecclesiam irrepserunt **). Itaque aliae adesse debebant causae, quibus sacra veteris ecclesiae publica non modo τοῖς ἐκ τῆς περιτομῆς, verum etiam τοῖς ἐκ τῆς ἀκροβυστίας χριστιανοῖς commendabantur. Quarum quidem causarum praecipua in eo posita est, quod, quos cultus Dei et Christi, lege publica sancitus, amplectebatur ritus, ii alendae pietati alendoque mutuo Christianorum amori admodum idonei erant. Audienda literarum s. lectione et interpretatione imbuebantur Christiani decretis et praeceptis salutaribus, et cum prophetarum oracula, tum res a Domino et apostolis gestas cognoscebant. Psalmi et hymni, per antiphonias decantati, quae est vis cantus in hominum animis, ita Christianorum animos movere debebant, ut nunc beneficiorum, a Deo acceptorum, memoriam grata mente recolerent, nunc maiestatem eius admirabundi venerarentur. Atque convivia illa sanctiora, inter quae s. coena celebrabatur ***), oscula pacis, quibus Christianus Christianum salutabat †), et fratrum sororumque nomina, in conventibus ecclesiae usitata, Christianos, sacra facientes, ita adficiebant, ut inter homines ab odio, invidia, ira et cupiditate alienos versari et ab ipsa Sanctorum communione prope abesse sibi viderentur, hocque modo ad alendum mutuum amorem haud parum faciebant. Alia autem erat sacrorum a Graecis et Romanis frequentatorum ratio, quippe quae auguriis, sacrificiis, lustrationibus aliisque ritibus, alendae pietati augendoque honesti studio parum idoneis, continerentur. Itaque Graeci et Romani, qui, cognita idolorum vanitate, Christo nomen dederant et rebus divinis meditandis honesti studium alere cupiebant, sacris ecclesiae christianae, longe praestantioribus sacris, quae diis dicata erant, non potuerunt non vehementer delectari. Denique nec hoc silentio praetereundum est, sacra veteris ecclesiae arcani quid habuisse, quo et ipso reverentia eorum aucta est. Quemadmodum enim Christiani placita nonnulla, subtiliores maxime literarum s. interpretationes, et fidei capita, philosophiae decretis mixta, occultabant (*κρύφιον δόγμα*, ut apud Celsum, et *γνῶσις*, ut apud Clementem Alexandrinum haec disciplina arcani audit) ††): ita etiam, mysteria Graecorum et Romanorum imitaturi, aliquam sacrorum suorum partem clandestinam esse voluerunt. Nam satis notum est, et Iudaeos deorumque cultores, et catechumenos a precibus

*) v. *Gregorii Nysseni* orationem de vita Gregorii Thaumaturgi, T. II. opp. ed. Paris. p. 1006 sq.

**) Cf. *Hambergeri* enarratio rituum, quos Romana ecclesia a maioribus suis gentilibus in sacra sua transtulit. Gotting. 1751.

***) v. *Boehmeri* diss. de coitionibus Christianorum ad capiendum cibum, in Dissertatt. iuris ecclesiast. antiq. p. 242 sqq. Locus, hac in re classicus, legitur apud *Tertullianum* Apologet. c. 39.

†) *Iustini Martyris* Apol. II. p. 97. *πᾶς ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα.* Cf. *Binghami* origg. Vol. VI. p. 299 sqq.

††) Cf. *Moshemii* de rebus Christ. ante Constant. M. commentarii, p. 303 sqq.

communibus, oblationibus, conviviis illis sanctioribus et ab eucharistiae communione prohibitos fuisse *). Ex eademque arcani disciplina, ut alia, ita et hoc repetendum esse videtur, quod ut *Basilius* perhibet **), baptismi formula ex traditione tantum, mira cautione, propagata nec literis mandata est. Res omnes autem, quae μυστηριώδες τι habent et prae se ferunt arcani speciem, alliciunt homines iisque reverentiam sui, quae dici fere possit religio, iniiciunt. Initiati mysteria, quorum partem aliquam norunt, eam ipsam ob causam, quod tegere ea iubentur et occultare, magis reverentur et non initiati mysteriorum communionem ideo magis appetunt, quod ab ea arcentur. Itaque, quae dicitur disciplina arcani veteris ecclesiae, hoc in loco non praetermittenda erat.

Denique externae veteris ecclesiae rationes ita comparatae erant, ut iis Christiani ad rerum sacrarum studium et amorem ducerentur. Nam primum conventus, ab ecclesia instituti, vinculum erant, quo societas Christianorum continebatur. Christiani, cincti undique Iudaeis et deorum cultoribus, congregari debebant sacra peculiaria facturi, ut agendis iis, sese in peculiarem societatem coivisse testatum facerent, arctius invicem coniungerentur et notis idoneis ab aliarum religionum sectatoribus discernerentur. Quoque magis Christiani esse viderique volebant societas peculiaris, a Iudaeis et a deorum cultoribus aliena, eo magis sacris publicis studebant. Porro Christiani, quamdiu ecclesia forma democratica utebatur, inter ipsos conventus publicos de rebus suis agere, episcopos et presbyteros eligere, eleemosynas congerere, de propellendis periculis consultare, de lapsis aut arcendis ab ecclesia, aut revocandis in eius communionem decernere solebant, ut cuilibet Christiano, qui consiliorum communium particeps esse cuperet, ad publicos ecclesiae conventus accedendum esset, et sacra publica hanc quoque ob causam vinculum, quod Christianorum societatem continuerit, recte dicantur. Huc accedebat partium studium, quo primorum a C. n. saeculorum Christiani tenebantur. Quum enim Christiani inter medios aliarum religionum sectatores, sibi infensos, viverent, proderentur a Iudaeis, vexarentur a Romanis, non mirum est, ita eos rebus suis studuisse, ut Iudaeos aeque ac deorum cultores aut contemtui aut odio haberent. Quaevis autem hominum societas, quo magis rebus suis studet, eo magis omnibus, quae propria ei sunt et peculiaria, delectatur. Itaque Christiani eam quoque ob causam ad sacra facienda ferebantur, quoniam agendis iis sese cum a Iudaeis tum a Romanis abhorrere palam faciebant. Neque haec temere sumi, multa recentiorum temporum exempla docent. Nam, quod multi recte observarunt, in iis aut urbibus aut municipiis, ubi diversorum coetuum christianorum sacra publica instituta sunt, magis iis student et crebrius vacant Christiani, quam ubi unius tantum ecclesiae sacra aguntur. Cuius quidem rei causa in eo posita est, quod diversorum coetuum contentionibus partium studium, partium studio autem sacrorum, cuilibet coetui propriorum, studium au-

*) v. *Binghami* origg. Vol. I. p. 39—41. Vol. IV. p. 126.
**) v. epist. ad Amphilochium de Spiritu S. c. 27. tom. II. ed. Paris. p. 353.

getur. Deinde haud parum, hac quidem in causa, miseriis et persecutionibus praesertim, quibus Christiani vexabantur, tribuendum est. Etenim homines miseriis oppressi rerum divinarum meditatione erigi cupiunt, quique inopes incertis fluctibus agitantur, ad Deum, tamquam ad portum, confugiunt. Itaque Christiani veteres, patria saepe extorres, parentibus et amicis orbati, et, nunc Iudaeis clandestinas insidias struentibus, nunc magistratibus poenas minantibus, nunc plebe sanguinem eorum deposcente, in anceps vitae periculum adducti, eam saepe ob causam ad sacra agenda accesserunt, ut implorando Dei auxilio, cogitandis martyrum extrema strenue perpessorum exemplis et meditanda salute post mortem speranda animos confirmarent. Ac quum homo ita comparatus sit, ut res sibi caras, quo maius est earum amittendarum periculum, eo habeat cariores, quaeque extorqueri sibi videt, firmius teneat, non dubitari potest, quin ipsis persecutionibus rerum sacrarum studium auctum fuerit. Veteres Christiani, quibus, ut ait *Tertullianus* *), accusatio votum erat et poena felicitas, eam ipsam ob causam, quod periculosum erat, sacris, nocturnis maxime, vacare, acriori studio ad ea advolabant nec quidquam iis metuendum erat, qui aut contemnerent mortem aut exoptarent. Denique nec hoc silentio praetereundum est, veteres Christianos, praeter sacra publica, aut nulla, aut pauca alendae pietatis adminicula habuisse. Quum enim maxima esset librorum scriptorum caritas, pauci admodum Christiani, quorum plurimi primis p. C. n. saeculis egeni et inferioris conditionis homines erant, aut literarum s. aut aliorum librorum exemplis utebantur. Quare, in tanta librorum scriptorum raritate, qui literas s. cognoscere iisque cognoscendis pietatem alere cuperent, ad conventus ecclesiarum accedere ibique literarum s. recitationes et homilias audire debebant.

Quae hactenus disputata sunt, satis, opinor, docent, qui factum sit, ut ecclesia vetus sacris publicis maxime delectaretur; nec, qui temporum novit discrimina, mirari potest, nostros homines non eo, quo veteres Christiani, rerum sacrarum studio teneri. Multi nostrorum temporum Christiani iique religiosi satis Dei et Christi cultores, ab ea absunt sententia, qua precibus bona teneri et mala arceri putantur. Qui autem, quod est in hominibus commodi studium, non ut precum compotes fiant, sed ut alant pietatem, precantur, non eas habent precandi causas, quibus, qui Deum precibus flecti putant, ducuntur. Maxima porro est inter nostros homines, in nostra praesertim ecclesia, sententiarum de religionis christianae decretis diversitas, ut sacra publica ad normam formulae, quam ecclesia sanxit, composita, multorum decretis parum conveniant. Nec denique eae sunt nostris temporibus externae ecclesiae rationes, ut Christiani aut partium studio aut periculorum metu aut adminiculorum alendae pietatis inopia ad sacra facienda ducantur. Quare qui nostros homines eo nomine reprehendunt, quod in iis non idem sit sacrorum publicorum studium, quod in veteribus Christianis fuit, temporum

*) ad Nat. L. I. c. 1.

diversitatis parum memores de nostrorum hominum moribus nimis severe iudicant.

Nihilominus nostrates quoque idoneas ad sacrorum solemnia veniendi causas habent neque nobis eorum sententia probatur, qui homines cultiores facile iis carere existimant. Quamquam enim literae a. aliaque alendae pietatis adminicula in omnium manibus sunt, nec sacra publica ita ubique aguntur, ut hominibus cultioribus satis probentur: eo tamen, quod, sacris publicis vacantes, insignem hominum multitudinem Deum adoraturam congregari videmus, ita componitur et adficitur animus, ut ad cogitandas res divinas feratur. Quum enim in sensuum quorumcunque, quos ab aliis declarari videmus, communionem veniamus, cincti undique hominibus, Deum adorantibus, non possumus non et ipsi ad pietatem adduci. Neque uti solent homines, curis et cupiditatibus turbati, quae in promtu habent, alendae pietatis adminiculis; atque ita ad res externas rapiuntur, ut raro res divinas meditentur. Ac quum praeterea magna admodum sit cantus vis in movendis hominum animis, et quae auribus percipiuntur homiliae fortius feriant animos, quam quae intra privatos parietes leguntur, nemo facile, quem res divinae et sensus ab earum cogitatione venientes delectant, abesse volet a Christianorum conventibus.

XXIX.

J. G. Walch de hymnis ecclesiae apostolicae *).

Laudabili omnino opera functi sunt, qui studia sua ad historiam ecclesiae apostolicae contulerunt atque enarrarunt, quae ad illam illustrandam pertinent **). Notitia enim illius sacrarum literarum cultoribus non solum utilis, verum etiam maxime est necessaria, adeo ut in omni divinioris doctrinae parte egregia praebeat adiumenta ac claram adferat lucem; ubi autem quis ista destituitur, varias habeat difficultates, quae feliciori studiorum cursui impedimenta iniiciunt, ut pluribus J. F. Buddeus ***) ostendit. Ipsius historiae huius argumenta et capita sunt varia. Agendum in ea est de ecclesiae apostolicae doctoribus, sive legatis divinis; de ipsa doctrina fidei pariter ac vitae eamque tradendi methodo; de controversiis tempore apostolorum exortis deque ratione, qua apostoli hostibus veritatis se opposuerint atque adversus illos disputaverint itemque de vita et moribus Christianorum in hac ecclesia; de cultu divino et variis illius partibus ritibusque, qui eo tempore fuerunt usitati. Multa igitur argumenta sunt enarranda, si quis historiam hanc accurate ac iusto ordine describere velit. Quodvis illorum rite pertractatum suam adfert utilitatem, praesertim in sanctioris disciplinae studio. Ex eo enim nunc exemplum, quod imitandum est, nunc subsidia ad rectam intelligentiam librorum N. T., inprimis epistolarum apostolicarum, necessaria capere possumus. Cuius rei ut documentum quoddam exhibeamus, iam usum hymnorum in ecclesia apostolica edisserere illumque ex sacris antiquitatibus illustrare nobiscum constituimus. — §. 2. In libris N. T. varia momenta, exempla atque testimonia deprehendimus, ex quibus haud obscure patet, in ecclesia apostolica usum hymnorum omnino locum habuisse. Primum huc spectat, quod apostoli cum Christo, postquam agnum paschalem comederint, hymnum cantasse dicantur, *Matth.* 26, 30. De vera cantione hic sermonem institui hunceque hymnum tamquam veram cultus divini externi partem esse considerandum,

*) Prod. Jenae 1737. 4.

**) Scriptores historiae apostolicae et ecclesiarum apostolicarum simulque commentarios in acta apostolorum recenset 1. A. Fabricius, in *salutari luce evangelii toti orbi per divinam gratiam exoriente* 5. p. 64 ss.

***) in *praefat. tract. de ecclesia apostolica.*

apud omnes est in confesso, et maiorem mox nanciscetur fidem, si modo de vocabulo ὑμνήσαντες quidquam cum generatim tum speciatim observaverimus. Generatim expendenda est huius vocabuli origo, de qua ita disserit C. Sagittarius*): *Apud Proclum in chrestomathia, sive potius in excerptis eius apud Photium legas, dici ὕμνον, quia sit ὑπόμνησις sive commemoratio rerum, quae celebrantur; sed verius est etymon, quod subiungit, sic dici ἀπὸ τοῦ ὕδειν, quod Hesychius interpretatur ἄδειν, λέγειν.* Quaecunque autem vocis huius sit origo, magis conducit, inquirere, quo sensu veteres ea usi sint? Vocabulum hoc in rebus etiam mali ominis nec laude dignis interdum a veteribus tragicis adhibetur, imo ὕμνος de vituperio, non laude, dicitur, uti Ez. Spanhemius**) et Corn. Adami***) observarunt; in N. T. tamen in bonam partem tantum sumitur. Objectum eius debet esse laus, non unaquaeque, sed speciatim Dei, uti docet laudatus C. Sagittarius†) ex Ammonio atque Arriano, haecque canendo recitari debet, quam in rem scribit Augustinus††): *hymni laudes sunt Dei cum cantico. Etsi sit laus et non sit Dei, non est hymnus: si sit laus et Dei laus et non cantetur, non est hymnus.* Tria igitur hymnus requirit, nimirum ut sit cantio, ac quidem laudans, non quasvis, sed divinas tantum continens laudes. Hymnum primus excogitasse creditur Stesichorus Himeraeus, ut est apud Clementem†††) et apud Eusebium†*) legimus: *in Ponto generata Sido, quae quadam vocis excellentia primum reperit morem, carmine pangendi hymnum.* Sed non est dubium, quin his longe vetustior sit hymnorum origo, quum tempore Mosis eos in usu fuisse notum sit. Et fortassis iam ante diluvium eosdem usurparunt. Extra controversiam positum est apud omnes, quotquot affectuum indolem perspectam habent atque exploratam, nos natura pronos esse ad id, quod praestantia ac dignitate sua nos movet, praesertim si relatio eius quaedam ad nos accedat, cultu ac veneratione prosequendum hocque magna ex parte nonnisi δοξολογίᾳ absolvi posse. Quum autem Deus mortalibus semper sese benignissime manifestaverit, et quoad suam existentiam et quoad suam gloriam, bonitatem ac misericordiam, per consequens numquam materia hymnorum defuerit: etiam homines cantiones partem cultus divini externi semper constituerint et sole meridiano clarius sit, eas ad animos commovendos multum valere, quis quaeso adhuc dubitaret, carminum sacrorum usum esse vetustissimum? Homines sane ad canendum et per naturam ducuntur et a brutis animantibus invitantur. Potuerunt quoque, simulac existere coeperunt, canere, ut adeo ex his aliisque momentis sit colligendum, eos suis cantilenis nomen Dei celebrasse, licet ante tempora Mosis exitumque Israelitarum ex Aegypto musicae in laudem Dei adhibitae nulla fiat mentio.

*) *Harm. pass. Jesu* 2, 1. p. 306.
**) *Ad Juliani or.* 1. p. 10.
***) *Observ. philol. theol.* p. 171 sq.
†) *citat. loc.*
††) *enarrat. in* Ps. 72.
†††) *lib.* 1. *stromat.*
†*) *lib.* 1. *praepar. evangel.*

Apud paganos homines, inprimis graecos, itidem perantiqui ac frequentes fuerunt hymni in deorum dearumque laudes compositi. Eiusmodi hymnorum ethnicorum formulas servatas habemus, quae exstant sub nominibus Orphei, Homeri, quas composuerunt Callimachus ac Proclus, quarum fragmenta apud Pausaniam, Stobaeum atque Laërtium leguntur. Qui plura de hymnis veterum eorumque ratione scire vult, evolvat G. J. Vossium*), Ez. Spanhemium**), Ant. Bynaeum***), Ant. van Dale†) et Salom. Deylingium††). — §. 3. Sed tamen hymnum, quem apostoli cum ipso Christo cecinerunt, speciatim considerare decet. Observat, quem iam laudavimus, C. Adami†††), quod οἱ προσδεχόμενοι λύτρωσιν, (*Luc.* 2, 38.) testati fuerint partim fidem certissimamque fiduciam indeque orientem laetitiam de Messia antitypo immolando et mactando in plenitudine temporis, cuius illustrissimum in mactatione agni paschalis typum habuerint; partim desiderium et expectationem illorum temporum, quum unico illo ἀντιλύτρῳ immolato, Christus foret unicus ἀρχιερεύς, liceretque, Deum patrem per fidem in nomine eius adire absque sacerdote et victima alia, nisi spirituali, quippe quum singulae domus, imo corda, templa existerent Spiritus S., et singuli fideles revera essent ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ (*Apoc.* 1, 6.), cuius umbram et praefigurationem in hac mactatione agni paschalis viderint. Quodsi autem quaeras: quam ob causam ipse Christus hymnum adhibuerit? dicendum est, eum voluisse Judaeorum morem sequi, ne hostibus maledicendi et calumniandi ansam daret utque simul ostenderet, se agni paschalis antitypum esse iamiam immolandum, quique in locum agni illius, sua morte abrogandi, poculum benedictionis et gratiarum actionis 1 *Cor.* 10, 6. instituerat. Haec vera causa hymni decantati fuit. Simul tamen alia piae meditationis argumenta deprehendimus. Ex antiquitate constat, gentes varias, quum proelia inire voluerint, musica sive vocali sive instrumentali usas fuisse; ipsas etiam in proelio ὑμνεῖν consuevisse, quod ex diversis veterum locis docuit Jac. Lydius†*). Hinc cogita, quod Christus ὁ ἀρχηγὸς hymnum hunc tamquam paeanem praemittat, apostolis, qui postea sub vexillo eius pro honore imperatoris certaturi erant, subsequentibus. Nec antea cecinit hymnum, quam quum proelium paullo post committendum esset, ut paean non solebat cani, nisi quando hostes iam in procinctu erant et contra illos exeundum. Expendas porro, quod quum passio Servatoris describatur sub emblemate calcantis torcular, cuius vestes rubicundae sunt instar calcantis in lacu torcularis, *Jes.* 63, 2—3. non absurde videatur observare, vindemiantes in ipso opere vindemiae illoque confecto hymnos cecinisse Christumque eorum morem fuisse imitatum, quum sanguis eius, sanguis novi

*) *institution. poetic.* 3, 13. §. 14. p. 152.
**) *in not. ad Callimach.* princ.
***) *de morte Jes. Christ.* 2, 1. §. 6. p. 15.
†) in *dissertt. antiqu.* 7. p. 567 sq.
††) *observat. sacrar.* 3. p. 336.
†††) *citat. loc.*
†*) *flor. sparsion. ad passion. Jes. Christ.* p. 2 ss.

foederis in passione exprimendus et effundendus esset in remissionem peccatorum. — §. 4. Quod ad tempus adtinet, quo Christus hymnum cum discipulis decantaverit, praeter Jansenium putat Baronius*), illum dilatum fuisse post omnes Christi sermones ac preces, quas recenset Joannes *cap.* 17. iis, ut videtur, causis adductus, quoniam Matthaeus ac Marcus habent, Christum, dicto hymno, exiisse in montem olivarum; verum probabilius est, hymnum precationem illam et omnes sermones a Joanne memoratos praecessisse, quoniam Christus apud *Jo.* 14, 31. dixit: *surgite et discedamus nos*, et per consequens iam hymni paschalis decantatio absolvi debuit. Etenim in eo omnes consentiunt, nemini nondum impletis omnibus ceremoniis atque ritibus, in praesenti negotio unicuique Israelitae ad accuratam observationem inculcatis atque praescriptis, licuisse exire domo, in qua comesus fuit agnus paschalis. Accedit, quod non solum admodum prolixi sint isti sermones et tantam momenta concionum Servatoris ex more scribendi evangelistis proprio sistentes; verum etiam perpetua apostolorum discipulorumque Christi consuetudo fuerit, statim explicationem gravium atque insolitarum rerum a praeceptore suo efflagitandi, quin imo re etiam non postulante, adlatis alienis et scopo Christi quandoque contrariis quaestionibus atque interrogationibus sermones eius interrumpendi. Quare dicendum esset, quod tempus decantationi posterioris hymni paschalis partis destinatum prius praeterlapsum fuisset, quam Christus suae valedictoriae orationi finem imposuisset, quod tamen factum fuisse non est verisimile. Idque est, quod praeter alios monet J. Gerhardus**) ac dicit: *ceterum quod Matthaeus et Marcus dicunt, Christum hymno dicto exiisse in montem olivarum, non est ita intelligendum, quod hymni decantationem statim et immediate egressus ille secutus fuerit, siquidem post hymnum, quem esui agni paschalis et administrationi eucharistiae subiunxit, ante suum e coenaculo Hierosolymitano egressum habuit prolixum illum sermonem ad discipulos, quem Joannes commemorat et preces ad patrem coelestem effudit*, hancque sententiam, quod hymnus praecesserit omnes illos sermones a Joanne memoratos, ut probabiliorem adversus Baronium tuetur, id quod etiam Is. Casaubonus***) observat. Quod autem Matthaeus et Marcus exitum Christi cum hymno immediate coniungant, ex eo factum est, quod longum eius sermonem omiserint. — §. 5. Nunc discipiendum est, qualem hymnum Christus cum apostolis cecinerit. Nonnulli putant, Christum composuisse et cantasse novum quemdam hymnum, quoniam instituerit novum novi foederis sacramentum sicque eum ita formaverit, ut cum instituto novo conveniret. Ita sentit Hugo Grotius†), quod sicut ad veterem gratiarum actionem Christus novam addiderit suo instituto congruentem, ita et de hymno eum fecisse, sit credibile, ac forte ea ipsa in modum hymni dixerit, quae apud Joannem c. 17. legamus. Sed sententia

*) *Annal. ad ann. Chr.* 34. *num.* 64. *tom.* 1. p. 185.
**) in *harm. ev. Chemn. Lysero-Gerhard.* 181. *tom.* 3. p. 1725.
***) *exercitation. ad* Baron. *num.* 16. p. 510.
†) *adnot. ad Matth.* 26, 30. *tom.* 3. *oper. theol.* p. 283.

haec nullam probabilitatis speciem prae se habet recteque Ant. Bynaeus*) de ea pronuntiat, quod sit mera coniectura, quae plane nullo nitatur fundamento nec ulla ratione verisimilis sit atque addit: *quis credat, ea ipsa hymni in modum dixisse Christum, quae apud Joannem c. l. legimus, quum preces sint? quis credat, si vel maxime ea ipsa hymni in modum dixisset Christus, eadem hunc ipsum hymnum esse, quem Jesus post paschales epulas cecinit cum suis apostolis? Preces enim illas solus fudit neque eadem hymni in modum cum ipso dixerunt apostoli, quod de hymno hoc dicitur tam diserte.* Augustinus**) refert, circumferri hymnum quemdam ita inscriptum: *hymnus Domini, quem dixit secrete sanctis apostolis, discipulis, quia scriptum est in evangelio: hymno dicto, ascendit in montem*; simul autem testatur, inveniri illum in scriptis apocryphis, quibus Priscillianistae haeretici uterentur ac nonnulla ex eo verba recitat, ut, genuinum illum haud esse, adpareat***). Quemadmodum autem, qui Christum novam cantionem usurpasse, putant, qualis illa fuerit, haud definire possunt; ita ipsa res in se spectata minime est credibilis. Varia sunt momenta, quae ei repugnant. Evangelistae de recitatione hymni tanquam de re nota et consueta disserunt ac simpliciter dicunt: καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. At vero si Jesus novum cantasset carmen, vix est credibile, quod sacri hi scriptores id silentio praeteriissent; imo quomodo apostoli Servatorem in canendo sequi potuissent? Igitur dicendum est, Christum etiam in hac causa Judaeorum consuetudinem secutum atque usum esse hymno, quem Judaei in nocte paschali canere solent. Quum enim horum ritus servaret in ipso agno paschali comedendo, nullum est dubium, quin et in hymno canendo pro consuetudine eorum egerit. Ipse hymnus, quo Judaei utuntur, complectitur sex psalmos, nimirum 113—18. cujus duas constituunt partes, et priorem ex psalmo 113 et 114. constantem ante accubitum, posteriorem vero, quae reliquos memoratos psalmos in se continet, post coenam canunt, uti pluribus docent J. Buxtorfius†), J. Drusius††), J. Lightfootus†††); adde J. Saubertum†*), A. Bynaeum†**) et J. C. Wolfium†***). Quod autem Christus hymnum hunc paschalem non simpliciter recitaverit, sed omnino cantaverit, colligendum est partim ex Judaeorum more, partim ex voce ὑμνήσαντες, ab evangelistis usurpata. — §. 6. Usum hymnorum in ecclesia apostolica probamus porro ex *Act.* 16, 25. ubi Paulus ac Silas precibus invocasse Deum eumque cantionibus laudasse dicuntur in carcere circa mediam noctem.

---

*) *citat. loc.* p. 20.
**) *ep.* 237. ed. Benedictin. *tom.* 2. p. 643.
***) v. Baronium in *annalibus ad a.* 34. *num.* 65. *tom.* 1. p. 185. et 1. A. Fabricium in *codic. apocr. N. T.* 1. p. 307.
†) in *lexic. talm.* p. 613—14.
††) *observat.* 7, 15.
†††) in *hor. ebraic. ad Marc.* 26. *tom.* 2. *oper.* p. 459.
†*) in *palaestr. theol. philol.* p. 85.
†**) *de morte Jesu* 2. *c.* 1. §. 7—8. p. 16 sqq.
†***) in *curis, philol. et crit. ad Matth.* 26, 30. p. 376.

Ita enim Lucas de illis refert: *κατὰ τὸ μεσονύκτιον Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν θεόν*, quorum verborum singula momenta nunc distincte illustrare animus est. Qui hic canebant Deumque laudabant, fuerunt Paulus atque Silas. De Paulo non est, quod quaedam edisseramus, quum, quae ad eum spectant, satis sint nota ac in multorum commentationibus diligenter enarrata; de *Sila* tamen ut nonnulla observemus, non abs re erit. Quod ad *Silas* nomen adtinet, plerique existimant, illud idem esse cum nomine *Silvanus* idque graecum ad Latinorum rationem inflexum. Hugo Grotius*) dicit: *Silvanus ille idem est, qui Silas, levi flexu, ut Saulus Paulus. Ita sentiunt Hieronymus et nostro aevo Beza. Silas autem ille ex primis Christianis fuit, Act.* 15, 22. 1 *Petr.* 5, 12. *Pauli ferme semper comes*, 2 *Corinth.* 1, 19. *aut, ut credibile est, in epistolis describendis eius adiutor. Nam aliena manu scriptas epistolas Paulus mittere solebat.* Alibi idem habet**): *Silvanus non alius est, quam qui Silas in actis, varia pronuntiatione*; itemque***): *puto, esse verum, quod notat Hieronymus*, Silas *olim scriptum fuisse, non* Silvanus: *quamquam enim idem est nomen varie inflexum, illud tamen Ebraeis, hoc Romanis erat accommodatius. Multi autem in Macedonia erant Romani; itaque videri potest haec vocula immutata ad exemplum alterius epistolae scriptae ad Thessalonicenses ex gentibus collectos, quamquam utro modo scribatur, non multum refert.* Eandem in sententiam L. Capellus †), H. Witsius††), M. Hillerus†††), J. C. Wolfius†*), J. L. Lindhammerus†**), J. Langius†***) atque alii legendi sunt, quae et vero maxime similis est. Etenim 2 *Corinth.* 1, 19. 1 *Thess.* 1, 1. 2 *Thess.* 1, 1. Paulus dicitur habuisse *συνεργούς* Silvanum et Timotheum; nunc autem ex *Act.* 15, 40. 16, 3. 17, 14—15. 18, 5. constat, quod Paulus Silam ac Timotheum, ut socios ac comites assumserit et habuerit. Ex quo omnino colligitur, qui in *Actis* adpelletur *Silas*, in *epistolis* dici *Silvanus*. Nec carent suo fundamento, qui statuunt, *Silas* esse graecum nomen, ac longe probabiliorem tuentur opinionem, quam illi, qui istud origine ebraeum esse credunt, eniusmodi quid ex antiquioribus Hieronymus*†), ex recentioribus vero F. Burmannus**†) sibi persuasit. Ille enim dicit: *sciendum, Silam collegam Pauli lingua Ebraea* apostolum dici, *qui cum eo nonnullas epistolas scribit. Et vitiose* Silvanus *legitur pro* Sila, *quum* Silvanum *in apostolorum Actis non leganus*; procul dubio, quemadmodum J. C. Wolfius***†) obser-

*) *adpend. ad comment. de antichrist. tom.* 4. *oper. theol.* p. 478.
**) *adnotat. ad.* 2. *epistol. ad Corinth.* 1, 19. *tom.* 3. *oper.* p. 832.
***) *adnotat. ad* 2. *Thess.* 1, 1. *tom.* 3. *oper.* p. 948.
†) in *spicileg. notar. in libros N. T.* p. 97.
††) in *meletem. Leidens.* p. 99.
†††) in *onomastic.* p. 680.
†*) *cur. philol. ad Actor.* 15, 27. p. 1229. et 2 *Cor.* 1, 19. p. 571.
†**) in *der Erklärung der Apostel-Geschichte.* p. 567.
†***) *exeges. epistolar. Petri* 1 *epist.* v. 12. p. 532.
*†) *epist. ad Damasum, tom.* 3. *oper.* p. 526. ed. Martianaei.
**†) *exercitation. part.* 2. p. 161.
***†) *cur. philolog. et critic. in* 2 *Cor.* 1, 19. p. 311.

vat, in hanc sententiam per vocem ebraeam שלח *misit* aut *missus* eiusque convenientiam quamdam cum nomine *Silas* inductus; hic autem opinatur, *Silam* ex ebraeo שלוש quasi *tertium* dictum fuisse. — §. 7. Ipse Silas a Luca *Act.* 15, 22. ἀνὴρ ἡγούμενος ἐν τοῖς ἀδελφοῖς dicitur, ex quo colligitur non sine ratione, eum in ecclesia Hierosolymitana doctoris munere perfunctum esse. Vox enim ἡγούμενος eam habet significationem, ut indicet doctorem ecclesiae, quum *Hebr.* 13, 7. et 17. dicitur: *mementote τῶν ἡγουμένων ὑμῶν*, et statim additur: *qui locuti sunt vobis verbum Dei*, et iterum: *parete ἡγουμένοις ὑμῶν, doctoribus vestris, et obsequimini, nam ii pro animabus vestris vigilant.* Minime tamen fuit episcopus, prout a presbytero distinguitur, cuiusmodi quid H. Hammondus fingit*) et verba Lucae v. 22. ita παραφράζει: *quum res esset definita, omnibus sententiae episcopi Hierosolymitani absentientibus, Jacobus, Petrus, Joannes et episcopi Judaeae, consentiente universa ecclesia Hierosolymitana, censuerunt, eligendos aliquot episcopos Judaeae, qui concilio adfuerant, ut Antiochiam cum Paulo et Barnaba irent, et electi quidem Judas et Silas diversarum ecclesiarum episcopi.* Certe tempore apostolorum nullum fuit discrimen inter episcopos atque presbyteros. Recte hic monet J. F. Buddeus**), quod Hammondus multa scriptori sacro affingat, quae illi in mentem venisse ne unico quidem verbo probari possit. Dicitur quoque Silas a Luca v. 32. *propheta*, i. e., qui singularem facultatem a Deo accepit, scripturam sacram, inprimis oracula prophetica explicandi, fortasse etiam dono futura praedicendi instructus. Quum apostolis et senioribus una cum tota ecclesia visum fuerit, quosdam ad Antiochenos mittere, qui litteras synodicas decretum concilii Hierosolymitani in se continentes ad eos perferrent, in illis Silas quoque fuit. Venit Antiochiam ac postquam reliqui, partibus negotii rite impletis, a fratribus amice ad apostolos dimissi fuerant, ipsi visum est, Antiochiae remanere, Deo arcano instinctu voluntatem eius ita regente. Praevidebat enim Deus, fore, ut Barnabas a Paulo discedat hincque efficiebat, ut Silas a Paulo loco Barnabae adsumeretur, qui in itineribus illum comitaretur. Haec itidem Lucas *Act.* 15, 22 ss. enarrat. Ita Silas Pauli comes factus est et cum eo profectus in Syriam et Ciliciam itemque Lycaoniam, Phrygiam et Galatiam, ac postquam per Mysiam venit Troadem, transiit in Macedoniam, ac praecipue Philippis, Thessalonicae, Berrhoeae, Corinthi Paulum in praedicando evangelio adiuvit ac communes operas praestitit, quod ex Lucae commentariis de rebus ab apostolis gestis satis notum est. Quemadmodum autem Silas Pauli comes fuit, ita eiusdem opera Petrus I, 4. 12. quoque usus est, id quod ipse testatur ac dicit: *διὰ Σιλουανοῦ ὑμῖν τοῦ πιστοῦ ἀδελφοῦ, ὡς λογίζομαι, δι ὀλίγων ἔγραψα.* Adpellat eum *πιστὸν ἀδελφόν*, qui non solum fide in Christum praeditus sit, sed etiam in munere suo administrando, ecclesiis in Ponto, Cappadocia atque aliis, ad quas pronomen *ὑμῖν* respicit, sua fidelitate adhuc satisfecerit. Laudi huic tantum abest,

*) *paraphras. N. T. Act.* 15, 22. *tom.* 1. p. 555.
**) *de eccles. apostol.* 4. §. 4. p. 259.

ut parenthesis ὡς λογίζομαι quidquam detrahat, aut istam dubiam reddat, ut potius eam augeat atque confirmet. Nam λογίζομαι idem est ac *firmiter statuo, alterum ex altero infero*, ut patet ex *Rom.* 3, 28. 6, 4. 8, 18. *Hebr.* 11, 19*). Quando autem Petrus dicit: *per Silvanum paucis scripsi*, verba haec duplici modo intelligi possunt, ita ut apostolus Petrus opera eius usus sit vel in scribenda vel in perferenda sua epistola, cui posteriori interpretationi non obstat loquendi ratio: διὰ Σιλουανοῦ ἔγραψα, quoniam ista non semper de ipso scriptionis actu usurpatur. Probabile est, Silam evangelii causa a Paulo Babylonem ad Petrum missum esse eumque Petro enarrasse, quomodo Antiochenum illud certamen, cuius mentio fit *Galat.* 2, 11 ss. ecclesiis Ponti Cappadociae atque aliis, per quas Silas transierat, adtulerit suspicionem, ac si Petrus a Paulo in causa evangelii dissentiret. Quam ut removeret, verosimile est, eum priorem suam epistolam ad ecclesias illas scripsisse eamque Silae, per istas regiones a Petro rursus abituro, perferendam dedisse. Ita sentit J. Langius**) nec sine veritatis specie. — §. 8. Silas hic cum Paulo cecinit hymnum. Lucas expresse dicit: Παῦλος καὶ Σίλας προσευχόμενοι ὕμνουν τὸν Θεὸν, ubi vocabulum ὑμνεῖν eandem habet significationem, quam supra in verbis *Matth.* 26, 30. itemque *Marc.* 14, 26. declarantibus, quod Christus atque apostoli ad montem olivarum accesserint ὑμνήσαντες, i. e. *quum hymnum cecinissent*, observavimus. Nimirum canendo laudes Dei praedicarunt. Proprie *hymnus* est cantio, qua Deus laudatur sive ut scholiastes Sophoclis habet: ὕμνος κυρίως ἡ εἰς θεὸν ᾠδή. Hinc verba Lucae de Paulo et Sila: ὕμνουν τὸν Θεὸν, ita sunt interpretanda: *carmen canebant Deo.* S. van Til***) probabile esse putat, eos cantasse psalmos. Sane hymnus eorum plane insignis fuit. Consideres, quaeso, momenta loci ac temporis, quo Paulus ac Silas carmen laudibus Dei consecratum cecinerint. Erant Philippis in carcere, postquam Paulus ex ancilla malignum spiritum eiecerat; pedes eorum vinculo ligneo constringebantur, ne fugam arripere possent; erant in summo vitae periculo. Quae omnia tamen mala, eaque graviora haud impediebant, quo minus laudes Dei canerent. Ita monstrabant, se in suis calamitatibus magno ac forti animo esse ac recte reputare, Deo auctore omnia tristia adversus pios et bonos homines provenire in ipsorum salutem, *Rom.* 8, 28. Ita declarabant, se magnam capere ex eo voluptatem, quod digni siat iudicati, qui Christi causa contumeliis ac miseriis afficiantur. Hymnus hicce clare significabat, quanta sit vis solatii divini, quo piorum mentes eriguntur ac firmantur, quanta vis amoris erga Jesum Christum, quo Paulus et Silas erga eum ita flagrabant, ut nec carceris foetor, nec nervi, quo pedes constringebantur, nec gravis molestia, nec noctis ratio, quam somnus capiendus sibi vindicat, studia sancta laudandi Deum potuerint reprimere. Suum enim carmen κατὰ τὸ μεσονύκτιον canebant. — §. 9. Quemadmodum ex iis, quae adhuc dixi-

*) vid. Abr. Calovium in *bibl. illustr. ad h. l.* p. 1529.
**) *citat. loco.*
***) in *der Dicht- und Sing-Kunst der Ebr.* p. 196.

mus, luculenter patet, ipsos apostolos hymnos cantasse; ita etiam ex libris N. T. clarum est, quod hi legati divini usum hymnorum sive cantionum sacrarum ecclesiis omnibusque christianae professionis hominibus commendaverint. Constat id de Ephesiis, ad quos Paulus (5, 19.) scribit: *πληροῦσθε ἐν πνεύματι, λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ.* Eadem fere leguntur in epistola ad Colossenses (3, 16.) scripta, quos postquam apostolus hortatus fuerat, velint id agere, ut verbum Christi in eis large habitet, summa cum sapientia subiungit: *διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτούς, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς ἐν χάριτι ᾄδοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ Κυρίῳ.* In utroque loco Paulus Ephesiis ac Colossensibus et id, quod canere debebant, et modum, quo sit canendum, monstravit. Quod ad cantilenas sacras ipsas adtinet, quarum usum illis commendat apostolus, tria earum genera memorat, *ψαλμούς, ὕμνους* et *ᾠδάς*, num autem quoddam ac quale sit horum canticorum discrimen, de eo varias ac diversas interpretes declarant sententias. Inter veteres Hieronymus*) differentiam eorum ita explicat: *quid interesit inter psalmum et hymnum et canticum, in psalterio plenissime discimus. Nunc autem breviter hymnos esse dicendum, qui fortitudinem et maiestatem praedicant Dei, et eiusdem semper vel beneficia vel facta mirantur, quod omnes psalmi continent, quibus alleluia vel praepositum vel subiectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quid faciendum et vitandum sit noverimus. Qui vero de superioribus disputat et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtiles disputator edisserit, iste spirituale canticum canit.* Ad sententiam hanc quodammodo accedit J. Thomasius**) atque existimat, *psalmos* inprimis ad moralia sive ethica, *hymnos*, quibus praecipue Dei humano lapsui consulentis misericordia celebretur, ad theologiam, et *odas*, quae divinam ex creaturis providentiam admirentur, ad scientiam naturalem referri posse. Sed sententia haec ita comparata est, ut vix quisquam sibi possit persuadere, recte illam cantionum, quas Paulus memorat, discrimen declarare. Alii inter ecclesiae patres rationem discriminis horum canticorum non tam a vario rerum, quas in se continent, genere, quam a diverso modo, illa canendi, derivant, quo pertinent Augustinus, Basilius Magnus ac Hilarius. Idem existimant multi inter recentiores, licet de ipsis cantionum speciebus, earum numero ac ratione non uno eodemque modo suam explicent mentem. Nonnulli tria canticorum genera a Paulo memorari putant ac ipsam distinctionem a Judaeis repetunt, quippe qui tres cantionum species recensent, תהלים משמורים שירים***) diversa autem ratione hanc Judaeorum divisionem ad ea, quae Paulus habet, adplicant. Stephanus le

*) *comment. in epistol. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 4. *oper.* p. 387. ed. Martianaei.

**) in *praefationib.* p. 525.

***) vide S. van Til in *der Dicht-, Sing- und Spiel-Kunst der Ebr.* p. 163 sqq.

Moyne*) existimat, תהלים esse proprie psalmos; משׁשׁרים hymnos et שׁירים ᾠδάς, a qua adplicatione tamen H. Hammondus**) discedit putatque Judaeorum תהלים respondere a Paulo memoratis hymnis, משׁשׁרים psalmis et שׁירים odis. Quemadmodum autem discrepant, quando convenientiam inter Judaeorum ac Paulinam canticorum divisionem monstrare volunt: ita sane Judaeorum distinctio nihil adfert ad ipsum discrimen cognoscendum, quod sit inter cantionum genera, ab apostolo Paulo tradita, quoniam nomina illa in sacris promiscue adhibentur, uti J. C. Wolfius***) recte observat. Alii igitur, qui itidem tria cantilenarum genera a Paulo enarrari credunt, ut discrimen eorum ostendant, psalmos de carminibus sacris, maiore ex parte a Davide compositis et in libro psalmorum extantibus, hymnos de cantionibus, quae in libris utriusque foederis occurrunt, Mosis quippe, Deborae, Salomonis, Esrae, Danielis, Habacuci, Zachariae, Mariae, Christi atque apostolorum, et odas de carminibus non θεοπνεύστοις, sed ecclesiasticis, i. e., a viris, qui pietatis atque aliarum virtutum laude conspicui fuerunt, privato studio elaboratis interpretantur, cuiusmodi explicationem praeter alios J. Z. Hilligerus†) instituit ac defendit. — §. 10. Quodsi tamen quaeras, qualis fuerit differentia inter haec cantionum genera, sive ratione argumenti, sive modi, illas canendi? plerique observant, in psalmis canendis simul instrumenta musica fuisse adhibita, hymnos vero atque odas esse carmina, sola eaque alta voce decantata haecque duo posteriora genera in suis argumentis ita extitisse diversa, ut hymni laudes Dei ac odae monita ac praecepta utilia, in usu vitae observanda in se continerent. Hoc modo rem explicat, ut de aliis taceamus, S. van Til††) dicitque: psalmos *vocat, quando voci instrumenta musica coniunguntur*: hymni *et* odae *alta voce cantabantur, distinguebantur autem inter se argumento*, ut hymni *spectarent ad laudes Dei*; odae *autem* spirituales *monita utilia continerent, in usu vitae observanda.* Quo et spectant, quae Euthymius Zygabenus†††) habet. Ita enim ille differentiam harum vocum interpretatur: ψαλμὸς μὲν κυρίως, ὁ μετὰ ὀργανικοῦ ψαλτηρίου ἐμμελῶς ἐκφωνούμενος, ᾠδὴ δὲ φωνή τις μουσική τε καὶ ἐναρμόνιος, ἀπὸ μόνου στόματος, ὕμνος δὲ ἡ ἐπιτεταγμένη δοξολογία, ἢ παλῶν ὧν πεπόνθαμεν ἢ κακῶν ὧν δεδράκαμεν. — §. 11. Sunt alii, qui non tres, sed duas tantum cantionum sacrarum species a Paulo memorari contendunt. Putant enim, odas spirituales esse commune genus, quod psalmos et hymnos, ut duas distinctas species complectatur, atque apostolum utrique

---

*) in *not. ad varia sacr.* p. 970.

**) in *not. ad. Ephes.* v. 19. p. 297. adde S. Deylingium *obs. sacrar. part.* 3. p. 338.

***) in *curis phil. et crit. ad Ephes.* v. 19. p. 136.

†) in *dissert. de psalmorum, hymnorum et odarum discrimine.* Viteb. 1720. 4. Adde F. Wokemium in *stromat. apostol.* p. 165.

††) in *commentar. in epistol. ad Ephes.* v. 19. p. 235. adde J. Bonam *de divina psalmod.* 16. §. 9. p. 495 ss.

†††) *praefat. in psalmos* apud Stephanum le Moyne *varior. sacror. tom.* 1. p. 179 s.

speciei eam ob causam generale nomen subiecisse, quoniam carmina haec canendi modus fuerit diversus atque in psalmis non solum ad vocem, verum etiam ad instrumenta musica, in hymnis vero ad solam vocem adcommodatus. Inter huius sententiae defensores locum habet J. Hoornbeekius*) quippe qui dicit: *odas spirituales potius genus explicamus τῶν ψαλμῶν καὶ ὑμνῶν, quam ut distinctam speciem faciant, quae opera Dei canteb.* Immo J. Clericus**) existimat, tria vocabula ab apostolo Paulo usurpata, *psalmorum, hymnorum* et *odarum spiritualium* idem significare nec illum distinctas cantilenarum sacrarum species indicare voluisse. Iis enim, quae H. Hammondus ad locum Paulinum observat, paulo ante a nobis memorata, haec subiungit: *ostendit quidem noster, cantica tribus nominibus adpellari; sed diversa genera fuisse, nemo possit probare, quum passim misceantur, ut docebunt tituli psalmorum. Graecae voces possent etiam ad varia referri, si earum usus frequentissimus spectetur, sed miscentur etiam saepe. Malim ergo dicere, Paulum idem tribus verbis significasse.* Plures aliorum sententias de hoc loco Paulino deque psalmorum, hymnorum atque odarum discrimine siquis cognoscere velit, legat A. Calovium***), J. Bonam†), J. C. Wolfium††), J. G. Carpzovium†††), J. Z. Hilligerum†*). — §. 12. Non sine causa Paulum tria distincta vocabula de cantilenis sacris usurpasse, omnino dicendum est, inprimis quum ista non solum in epistola ad Ephesios, verum etiam ad Colossenses uno eodemque modo adhibeat. Nec, ut credimus, a veritate aberratur, si quis ab apostolo distincta eaque tria atque eo tempore in ecclesiis christianis usitata ac recepta carminum genera indicari adfirmet, quoniam de illis, tamquam de re satis nota loquitur; nullam addit interpretationem, quidnam per psalmos, per hymnos atque odas spirituales intelligat, imo genera haec non in una, sed in duabus epistolis, ad Ephesios quippe ac Colossenses, eadem ratione recenset. Verum licet haec omnia suam prae se habeant veritatem hincque sint admittenda, minus tamen definiri potest, quaenam fuerint illae cautiones, ab apostolo Ephesiis ac Colossensibus commendatae ac quid cuiusvis generis extiterit proprium. Non illud dicendum est, quia nobis desunt monimenta antiquitatis ecclesiasticae, ex quibus sit cognoscendum, quales cantilenae sacrae ea aetate in cultu Dei publico vel privato fuerint receptae. Quod si enim dicas, hymnos a Paulo commendatos fuisse cantica Mosis, Deborae, Salomonis, Esrae, Danielis atque aliorum, sane nihil aliud, nisi coniecturam in mente tua formatam in medium profers. Nec licet certo atque accurate de discrimine indicare, quod Paulus posuit inter psalmos, hymnos atque odas spirituales, aut illud ita explicare, ut pateat, quomodo ex mente apostoli quodvis cantio-

*) in *miscellaneis sacr.* 1, 2. p. 308.
**) *not. ad* Hammondi *N. T. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 2. p. 297.
***) in *bibliis illustr. ad Ephes.* v. 19. p. 721.
†) *de divina psalmod. cap.* 16. §. 9. p. 495 ss.
††) *curis phil. et crit. ad Ephes.* v. 19. p. 136.
†††) *introduct. ad libros canon. liblior. vet. testam. part.* 2. p. 90.
†*) *citat. dissertat.*

num genus ab altero sit distinguendum. Id quidem verum est, quod veteres psalmos a reliquis canticis distinguant eosque carmina esse tradant, in quibus canendis voci instrumenta musica adiungantur. Basilius Magnus*) dicit: ὁ ψαλμὸς λόγος ἐστὶ μουσικὸς, ὅταν ἐυρύθμως κατὰ τοὺς ἁρμονικοὺς λόγους πρὸς τὸ ὄργανον κρούηται. Gregorius Nyssenus**) postquam observavit, quod et psalmus et canticum, et laudatio et hymnus et oratio inter se differant, de psalmo addit: ψαλμὸς ἐστιν ἡ διὰ τοῦ ὀργάνου τοῦ μουσικοῦ μελῳδία. Augustinus variis in locis de indole psalmi disserit. Inter alia dicit***): *discreverunt quidam ante nos inter canticum et psalmum, ut quoniam canticum ore profertur, psalmus autem visibili organo adhibito, id est, psalterio canitur, videatur cantico significari intelligentia mentis, psalmo vero opera corporis.* Verum quoque est, quod apud veteres hymnus sit cantio laudibus divinis consecrata, quemadmodum supra a nobis observatum fuit. At vero, si et hasce interpretationes utriusque vocis, et psalmi et hymni, quae in antiquiorum monimentis enarrantur, in effato Pauline admittamus hincque statuamus, apostolum voluisse, ut Ephesii ac Colossenses decantent non solum hymnos, sola quippe voce, iisque laudes Dei celebrent, verum etiam psalmos atque in iis simul instrumenta musica adhibeant, inprimis quum in epistola, quam ad Ephesios scripsit, utrumque vocabulum ᾄδοντες et ψάλλοντες coniungat; attamen nec accurate nec certe definire possumus discrimen, quod sit inter cantionum genera, a Paulo memorata. Primum enim constat, voces psalmi et hymni ab antiquioribus diversa adhiberi ratione, ita ut modo ampliorem, modo strictiorem habeant vim significandi atque interdum promiscue usurpentur. Deinde licet pronuntiare velimus, apostolum indicare, Ephesios ac Colossenses debere canere psalmos et hymnos, i. e., carmina sacra, partim voce ac instrumento musico adhibito simul, partim sola voce: nondum tamen patet, quomodo a psalmis ac hymnis distinguendae sint odae spirituales, quum peculiare, ut probabile est, genus cantionum constituant. Oda enim generatim est cantio sive carmen. — §. 13. Sed quaecumque sit ratio discriminis cantionum, quas Paulus recenset, sufficit, clarissimum testimonium de usu hymnorum sive carminum sacrorum in ecclesia apostolica ab eo nobis esse traditum. Quod uti satis est luculentum, ita inprimis modum, carmina sacra canendi, ab apostolo graviter praescriptum, accuratius considerare decet. Ab Ephesiis in hac causa religiosa primum requirit: μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι, hincque vult, ut odae, quas canant, sint spirituales. Respicit ad paganorum hominum impios atque obscoenos mores, qui quum epulas suas solemnes post sacrificia†) instituerent, in illis multa intemperantiae

*) *homil. in psalm.* 29. *tom.* 1. *oper.* p. 160.

**) *tract.* 2. *in psalmos cap.* 3. *tom.* 1. *oper.* p. 295.

***) *enarrat. in psalm.* 67. *tom.* 4. *oper.* p. 497. ed. Bened. adde Hilarium in *prolog. in libr. psalmor.* p. 1. *oper.* ed. Bened.

†) De conviviis post sacrificia a paganibus hominibus institutis legendi sunt. J. Spencerus *de legibus ebraeor. ritualib.* 3. 1. 7. p. 703. Cudworthus *de vera notione coenae Domini* 1. §. 6 s. quem librum latine versum

ac libidinis edebant documenta. Fas esse putabant, in bibendo omnem modum negligere sequc ebrietati tradere. Plato*) dicit: *πίνειν δὲ εἰς μέθην, ἤτε ἄλλοθί που πρέπει, πλὴν ἐν ταῖς τὸν οἶνον δόντος θεοῦ ἑορταῖς.* Plutarchus**) autem refert, quod, quum orgia sive Bacchi sacra aut alia mysteria essent celebrata ac sacrificia oblata, licitum fuerit, *delectationi usque ad ebrietatem, risum iocumque indulgere.* Ex nimio eiusmodi vini usu alia flagitia oriebantur, stupra inprimis atque adulteria, quae itidem fiebant, quando exhibebant sacrificia ac Baccho praesertim cultum praestabant, uti multa veterum testimonia diserte docent. Minucius Felix***) hanc in rem dicit: *ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in aedituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Id quod etiam alii, non solum christiani, sed etiam profani auctores testantur, quemadmodum N. Rigaltius, G. Elmenhorstus et Jac. Ouzelius†) observant. Quum autem pagani illi homines in conviviis pocula exhaurirent ac ebrii essent, hymnos atque odas in honorem suorum deorum canere solebant. Vocabantur illa cantica *παιανικὰ* et *σκολιὰ*; erant cantiones impiae, *ᾠδαὶ σαρκικαί*, ut pluribus ostendit S. Deylingius††) remque ipsam inprimis ex Athenaeo comprobat. Inter alia usitata erant dithyrambica carmina, ita adpellata a cognomine apud Graecos Bacchi, cuius honori fuerunt dedicata. Canebantur maximo motu ac mira licentia, ab ebriis praecipue, per circulos hominum saltantium circa aras Bacchi, id quod copiosius docent, qui de hoc carminis genere exponunt, E. Schmidius†††), J. C. Scaliger†*), J. Perizonius†**); de ipso autem hymnorum usu in conviviis ethnicorum exponit E. Feithius†***). — §. 14. His hominum, qui verorum sacrorum erant expertes, impiis ac nefandis moribus Paulus sanctissima sua praecepta de modo carmina religiosa canendi opponit. Primum ostendit fundamentum veri cantionum usus. Jubet Ephesios ebrietatem nimiumque vini usum devitare, quoniam ex eo oriatur *ἀσωτία*. Vocabulum hoc plerique per luxuriam

---

eiusdem *systemat. intellectual.* subiecit J. L. Moshemius; itemque P. Zornius in *bibliothec. antiquar. tom.* 1. p. 554. et in: *Erörterung der dunkelsten Schrift-Stellen im N. T.* 1. p. 741. J. Elsnerus *observat. sacrar. tom.* 2. p. 99. et auctor libelli: *Historie der heidnischen Opfer-Mähler* 1726. 4.

*) *de legibus* 6. p. 870.

**) in *comment. ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta, opp.* 2. p. 1101.

***) *Octav. cap.* 25. p. 260. ed. Gron.

†) in *not. ad* Minucium Felicem, quae eiusdem editioni a Jac. Ouzelio, (Amst. 1652.) additae sunt.

††) *Observ. sacr.* 3. p. 339 sq. Adde P. Zornium in: *Erörterung der dunkelsten und schwersten Schrift-Stellen im N. T. tom.* 2. p. 24. et 10. Nicolai *commentat. de ritu antiquo et hodierno Bacchanalior*; (in Jac. Gronovii *thes. antiqu. graec. tom.* 7. p. 173.)

†††) in *diss. de dithyrambis*, quam Pindari *commentario* subiecit.

†*) *poetic.* 1, 46.

†**) *not. ad Aelian. libr.* 10, 6. p. 603.

†***) in *antiquit. Homeric.* 4, 4.

explicant. Secundum veteres glossas graeco-latinas, ut J. C. Suicerus*) observat, ἄσωτος est *ganearius, lascivus, luxuriosus, prodigus, profusus, sumtuosus, helluo.* Clemens Alex.**) putat, ἄσωτος idem esse ac ἄσωστος, *a salute alienus*, ex verbo σώζω. Theophylactus***) vocem hanc exponit per ἀμετρον χρῆσιν atque addit: οὐ γὰρ σώζει, ἀλλ' ἀπόλλυσιν οὐ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τοῦτο ἔστιν ἡ ἀσωτία, itemque: ἡ ἀσωτίαν ἐνταῦθα κατὰ τὴν τῶν ἰδιωτῶν συνήθειαν τὴν ἀκρλασίαν φησίν. ἐκ γὰρ τῆς μέθης ἡ ἀκολασία τίκτεται. Late omnino patet vox haec ac respicit quoque ad venereas cupiditates, quemadmodum de prodigo illo apud Lucam 15, 13. dicitur, quod *dissipaverit facultates suas*, ζῶν ἀσώτως, ac deinde haec ἀσωτία hunc in modum explicatur: καταφαγὼν τὸν βίον μετὰ πορνῶν †). Uti autem apostolus vult, ut Ephesii se abstineant a nimio vini usu, ita requirit, ut eorum pectora *plena sint Spiritus S.* hicque in iis, tamquam in templo habitet ac semper et in intellectu et in voluntate sanctiores operas producat. Hoc est verum ac solidum fundamentum omnis cultus divini, etiam per cantiones. Opponit Paulus τῇ μέθῃ τοῦ οἴνου, quam ut turpem ac vitiosam reiicit, τὴν μέθην τοῦ πνεύματος ἁγίου, haneque optimam ac laude dignam. Quare non sine causa dicit: πληροῦσθε ἐν πνεύματι, ac plenitudinem quandam indicat, ut declaret, omnes facultates, quibus Christiani sunt praediti, plenas esse debere Spiritus S., eius donorum atque operationum. Id quod H. A. Roell††) hoc modo edisserit: *spiritu impleri est impleri operationibus spiritus, ita ut totus homo spiritualibus bonis repletus sit. Ita mens est plena spiritu, quando est plena quoad intellectum et voluntatem sanctis cogitationibus sanctisque desideriis circa Deum, Christum, proximum et seipsum, atque ita tota Dei plena est; ita lingua, quando ex cordis abundantia loquitur spiritualia, et porro reliqua membra, quando se spiritui subiiciunt, ut spiritus quasi totum hominem occupet, ut templum suum, in quo, ut ita loquar, cogitet, velit, audiat, loquatur.* Haec est plenitudo, cuius et alibi scriptura sacra mentionem facit istamque improprie ac metaphorice ebrietatem adpellat, Ps. 36, 9. Cant. 5, 1. Jer. 31, 14, de qua etiam LXX interpretes vocabulum μεθύειν usurpant, propriam eamque corporis ebrietatem significans, ut pluribus C. Adami†††) ostendit. Talis animus, qui plenus est sanctissimi spiritus, omnino ad rectum ac pium usum cantilenarum sacrarum necessarius est; sine eo nec rite precari nec rite canere possumus. Utrumque constituit partem cultus, quem Deo debemus praestare ac requirit fidem in Jesum Christum, per consequens etiam gratiam divinam ac Spiritus S. operationem. Per hunc spiritum ipsa carmina, quae ca-

*) in *thesaur. eccles. tom.* 1. p. 566.
**) *paedagog.* 2, 1. p. 168.
***) *comment. in epistol. ad Ephes.* v. 19. p. 554.
†) De voce ἀσωτία plura habent J. Olearius *de stilo N. T.* p. 38. J. C. Suicerus in *thesaur. eccles. tom.* 1. p. 566. S. Deylingius *obs. sacrar.* 3. p. 340. J. A. Fabricius in *notis ad Sextum Emp.* p. 496.
††) *comment. in epistol. ad Ephes. tom.* 2. p. 362.
†††) in *exercitation. exegetic.* p. 203 ss.

nenda sunt, debent esse odae spirituales hasque praescribit Paulus Ephesiis atque ethnicorum impiis canticis et ᾠδαῖς σαρκικαῖς opponit. Sunt enim spirituales partim propter argumenta et formas suas, quum non solum de rebus divinis ac sanctioribus tractant, verum etiam ita sunt compositae, ut vim quandam in se contineant, animos excitandi, sancta in illis studia confirmandi atque augendi, partim ob pium ac religiosum earum usum, quando per spiritum atque in spiritu, mente pia ac Deo penitus consecrata cantantur. — §. 15. Postquam apostolus Ephesiis monstraverat, quale fundamentum, qualem mentis indolem legitimus cantionum sacrarum usus requirat, porro ostendit, cuinam illae sint canendae, ac praecipit, ut cantentur τῷ *Κυρίῳ*. Qui a veris sacris alieni erant, paeanes ac hymnos suos laudibus primum Apollinis, sequenti vero tempore aliorum quoque deorum dearumque consecrabant. Hinc Julius Pollux*): *αἱ δὲ εἰς θεοὺς ᾠδαὶ κοινῶς μὲν παῖανες, ὕμνοι.* In deorum laudes hymnos decantatos fuisse, veterum monimenta luculenter atque abunde probant. Olenem Lycium hymnum Lucinae, a Cretensibus cantatum, ac carmen Junonis composuisse, auctor est Pausanias**). Apud Euripidem***) Hippolytus Dianae ita canit:

Χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα,
Καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
Παρθένων Ἄρτεμι.

et Horatius Flaccus†):

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date, quae precamur
Tempore sacro.

Hymnos eiusmodi canebant et publice et privatim, nunc in sacris solemnibus, nunc in conviviis, prout iam supra a nobis observatum est idque expresse refert Athenaeus††): *οἱ ἀρχαῖοι καὶ περιέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τοὺς τῶν θεῶν ὕμνους ᾄδειν ἅπαντας ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν.* Nec in eorum comoediis ac tragoediis hymni deorum infrequentes erant, ut actores levamentum ac spectatores voluptatem quandam haberent; imo hymnis repraesentationes deorum, qui illis celebrabantur, saltantium iungebantur, quod G. Olearius†††) observat. Attamen non solum in deorum dearumque, verum etiam in heroum aliorumque hominum laudes atque honores hymni compositi ac decantati fuerunt, cuius rei multa testimonia in antiquorum libris leguntur. Athenaeus†*) memorat, quod apud Arcadas *pueri ab infantia consuescant, hymnos et paeanas cantare, praescriptis numeris, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι.* Idem†**) varia exempla, quae hanc rem

*) *Onomastic.* 1, 38. p. 26.
**) in *Boeoticis*, itemque in *Atticis* et *Corinthiac.*
***) *Hippolyt. v.* 70 sq.
†) *carm. secular.* 1 ss.
††) *deipnosoph.* 14. p. 627.
†††) *not. ad Philostratum.* p. 159.
†*) *cit. loc.* p. 626.
†**) *lib.* 15. *deipnosoph.* p. 696.

confirmant, recenset eaque hisce verbis, latine tantum a nobis memorandis, enarrat: qui de Lysandro Spartiata scriptus, paean versus est, quem Duris in eo libro, cui titulus est: Samiorum fasti, tradit a Samiis cantari. Est et paean scriptum carmen in Craterum Macedonem, quod Maximus Dialecticus composuit, ut inquit Hermippus Callimachius libro primo de Aristotele. Canitur ille Delphis, puero lyram pulsante. In eo, quem de Agenore Corinthio, patre Alcyones, cantant Corinthii et quem in epistola sua ad Aranthium Polemon orbis descriptor memorat, paeanicae sunt adclamationes, quemadmodum et in eo, quem de Ptolemaeo, primo Aegypti rege, canunt Rhodii. Quae hic Athenaeus de Lysandro refert, etiam Plutarchus*) tradit dicitque: εἰς πρῶτον παιᾶνες ᾄσθησαν. Suetonius**) de Caligula memoriae prodidit, quod ei *inter reliquos honores decretus sit clypeus aureus, i. e.* imago, ex auro atque ad formam clypei composita atque Caligulae imaginem exhibens, cuiusmodi viris illustribus veteres ponebant***), *quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius canentibus.* Plura de eiusmodi hymnis habent I. Casaubonus†), A. van Dale††), M. Broverius de Niedeck†††) et S. Deylingius†*). — §. 16. Ut apostolus ostendat, quam alienum sit a vera Deum colendi ratione atque a disciplina christiana, idolis, diis fictis ac commentitiis atque hominibus hymnos consecrare, iubet et Ephesios et Colossenses, canere τῷ *Κυρίῳ*. Quis autem est *Κύριος* hicce? Solus est unus ac summus Deus, qui proprie *Κύριος* est nuumque dominium idque absolutum ac perfectissimum a se ipso habet. Quum enim *Κύριος* idem est ac *dominus*, Deus talis est absoluto, per se ac perfectissime monetque Theophilus†**), cum adpellari *κύριον*, διὰ τὸ κυριεύειν αὐτὸν τῶν ὅλων; hanc autem ob causam recte observat Chrysostomus†***): κἂν τε κύριον ἀκούσωμεν, κἂν τε θεόν, οὐδεμία ἐν τοῖς ὀνόμασίν ἐστι διαφορά. Id ipsum est, quod etiam LXX interpretes confirmant, qui nomen Dei proprium et essentiale *Jehovah* per vocabulum *κύριος* reddiderunt, cuius versionis rationem nonnulli eam esse dicunt, quod nomen illud more aliorum nominum propriorum non commode potuerit retineri; alii, quod Judaei *Jehovah* legere soleant *Adonai*, quemadmodum J. Crellius*†) dicit: *quia* Adonai *pro* Jehovah *in lectione Ebraeorum verborum substitui consuevit, ideo illius etiam interpre-*

---

*) in *vita Lysandri tom.* 1. *opp.* p. 443.

**) in *vita eius cap.* 16.

***) vide J. Ph. Tomasinum *de donariis veterum c.* 20. J. Lipsium *in Tacit. annal.* p. 53. et S. Pitiscum *not. ad Sueton. in vita Calig. cap.* 16. p. 539.

†) in *animadversion. in Athenaei deipnosoph.* p. 442.

††) in *dissertationib. antiqu.* 7, 3. p. 565 sqq.

†††) *de populorum vett. adoratione.* 8. p. 95.

†*) *observ. sacr.* 3. p. 338 sqq.

†**) *ad Tatiol.* 1, 6. p. 20. ed. Wolf.

†***) *homil.* 14. *in Gen.*; adde Suicerum in *thes. eccl.* 2. p. 193. et in *obs. sacr. cap.* 7. p. 169.

*†) *de Deo et attribut. cap.* 14. p. 35.

tatio huo accommodatur. Utrumque reiicit J. Pearsonius*) atque adfirmat, LXX vocabulum *Jehovah* ideo vertisse graece per vocem κύριος, quoniam haec eandem cum illo habeat significationem atque itidem indicet ens primum atque independens, quod ab omni aeternitate extitit et in omnem durabit aeternitatem, semper in praesenti existens. Quam in rem provocat ad originem vocis κύριος monetque, quod quemadmodum יהוה sit ab הוה, ita illa derivari debeat a graeco verbo κύρειν, quod teste Hesychio idem sit ac τὸ εἶναι vel ὑπάρχειν, cuiusmodi etiam ab aliis sunt tradita**). Quae ubi admittamus, paulo ante a nobis observata multum confirmantur, quod Κύριος idem sit ac Deus; imo ipsum augustissimum atque essentiale Dei nomen. Sane solus Deus est, cui canere *debemus*, quoniam pium cantandi exercitium partem cultus religiosi constituit, qui ad solum Deum spectat. Sanctissima Trinitas est, in cuius honorem cantiones fieri debent ac per consequens etiam Jesus Christus, qui uti dicitur Κύριος ac nomine hoc divinitas eius clare indicatur, ita et dominus noster est non solum qua Deus, communi cum patre perfectissima atque absoluta potestate praeditus, verum etiam prout noster est mediator. Postquam enim sanguinem suum, verum redemtionis pretium, pro hominibus dedit, purgavit sibi λαὸν περιούσιον, *Tit.* 2, 24. λαὸν εἰς περιποίησιν, 1 *Petr.* 2, 9. et pater ipsi dixit: *pete a me*, nimirum pro iure tuo, quod tibi per pactum mecum initum adquisivisti, *et dabo gentes in possessionem tuam et fines terrae ius possessionis tuae*, *Ps.* 11, 8. Nos autem, quum emti sumus, iuris nostri esse desinimus, 1 *Cor.* 6, 19—20. 7, 23. 1 *Petr.* 1, 18—19. *Apoc.* 5, 9. Jesum Christum igitur, ut dominum nostrum venerari, ei cultum religiosum praestare, voluntati eius parere atque obedire, ei carmina sacra canere debemus. Hicque inprimis est, quem Paulus significat, quum ab Ephesiis ac Colossensibus requirat, ut canant τῷ Κυρίῳ. Ille enim est *dominus* isque ipse Deus, (*Act.* 20, 28.), *dominus omnium* (*ibid.* 10, 36.), *dominus mortuorum et viventium* (*Rom.* 14, 9.), *dominus gloriae* (1 *Corinth.* 2, 8.), *dominus e coelis* (1 *Corinth.* 15, 47.), *dominus dominantium* (*Apoc.* 17, 14. 19, 16.). Quis igitur dubitaret, eiusmodi Κυρίῳ carmina sacra esse canenda hocque apostolum ab Ephesiis ac Colossensibus, imo ab omnibus Christianis recte postulare? Observarunt id a Paulo praescriptum praeceptum Christiani illi, qui prima aetate sua in Jesum fide, suo amore ac virtutibus maxime floruerunt. De illis enim Plinius†) ad Traianum refert, *quod essent soliti, stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi*

*) in *expos. symb. apost.* p. 264 ss.

**) Quod vox κύριος derivanda sit a voce חור *albus, candidus*, unde חורים *principes, magnates*, contendit Massonius in *histoire critique de la republique des lettres* 1. p. 53 ss.

***) De voce κύριος, inprimis de Christo adhibita plura habent A. Calovius in *scriptis anti-Socinian. tom.* 1. p. 175 ss. J. Pearsonius in *expositione symb. apost.* p. 256 ss. H. Witsius in *exercit. in symb. apost.* 13. p. 218 ss. Petrus Kingius in *hist. symb. ap.* 3. p. 115 ss.

†) *epist.* X. 97.

Deo dicere secum invicem, hocque etiam Tertullianus *) hunc in modum memorat: *Plinius Secundus, quum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem, allegans praeter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo ut Deo et ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cetera scelera prohibentes.* Solius *Christi, quasi Dei* Plinius meminit, quia Christiani hoc habebant singulare, carmina quippe Christo consecrata, et gentiles etiam deum, sed suo more celebrabant. Hinc editiones illae Tertulliani, quae *ad canendum Christo et Deo* habent, emendandae sunt et pro ipsorum codicum manuscriptorum auctoritate, quemadmodum S. Havercampus **) observat, legendum est: *ad canendum Christo, ut Deo.* — §. 17. Denique Paulus Ephesiis ac Colossensibus ostendit ipsum modum, quo carmina sacra sint canenda. Ad utrosque scribit, quod canere debeant ἐν τῇ καρδίᾳ, et in epistola ad Colossenses addit: ἐν χάριτι. Quod si apostolus primum requirit, ut canamus ἐν τῇ καρδίᾳ, satis clare indicat, non sufficere, ut cantilenas sacras solo ore enarremus, sed mentis quoque, imo totius animae hisque et intellectus et voluntatis indolem accedere debere ita comparatam, ut, postquam mens illa ad Deum sit conversa, fide in Christum atque amore in Deum atque alios praedita, per gratiam divinam partim omnes cogitationes ad ipsas res, quae cantica sacra in se continent, referantur, partim voluntatis commotiones illis respondeant atque in ea inprimis pia, religiosa ac singularis insit cupiditas, gloriam divinam amplificandi itemque se atque alios aedificandi. Theodoretus ***) dicit: τῇ καρδίᾳ ψάλλει, ὁ μὴ μόνον τὴν γλῶτταν κινῶν, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν εἰς τὴν τῶν λεγομένων κατανόησιν διεγείρων. Ipsa recta mentis dispositio ut in omni cultus divini parte, ita quoque in usu hymnorum, sive cantionum sacrarum maxime est necessaria. Deus enim est πνεῦμα (*Jo.* 4, 24.). Deus cor postulat (*Prov.* 23, 26.). Sine fide ei haud placere nec quidquam in vita christiana meditari, cupere, loqui atque agere possumus, quod adprobet, nisi ista simus praediti (*Ebr.* 11, 6.). Quod si autem fides est necessaria, per illam Christus *habitare debet in cordibus nostris* (*Eph.* 3, 17.), ac Deus omnes reiicit, qui ore suo ad eum quidem accedunt, suo autem corde ab illo sunt alieni (*Jes.* 29, 13. *Matth.* 15, 8.). Ex his igitur simul patet ratio, cur apostolus velit, ut cantiones *in corde* fiant. Hieronymus †), postquam illius verba: *cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*, memoravit, graviter illis haecce subiungit: *audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum nec in tragoedorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica, sed in ti-*

*) in *apologet. cap.* 2. p. 24. edit. Havercampi.
**) *not. ad Tertullian. cit. loc.* p. 25.
***) *comment. in epist. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 3. *opp.* p. 314.
†) *comm. in ep. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 4. *opp.* p. 387.

more, *in opere*, *in scientia scripturarum*. Spectat huc quoque Basilii M.*) effatum, quod latine tantum recensere liceat: *non si quis*, inquit, *psalmi verba ore proferat, hic mox Domino psallit; sed quicumque corde puro enuntiat psalmodiam et quicumque sunt sancti erga Deum, iustitiam servantes, hi demum Domino psallere rhythmis spiritualibus concinno et consentaneo ordine poterunt. Quotquot vero in fornicationis cogitatione persistunt, qui furtum, qui dolum et mendacium in corde occultant, psallere quidem putantur, re autem vera non psallunt.* Pulcra quoque atque pia sunt, quae hac de re habet Augustinus**) atque ita pronuntiat: *non tantum cantamus, quando voce et labiis sonamus canticum, est et canticum intus, quia sunt et aures cuiusdam intus. Voce cantamus, ut nos excitemus; corde cantemus, ut illi placeamus.* — §. 18. Vult quoque Paulus, ac quidem in epistola ad Colossenses, ut carmina sacra canantur ἐν χάριτι. Vocabulum hoc duplici modo intelligi potest, vel de gratia divina eiusque operatione ac donis, vel de suavitate quadam. Utraque ratione vox haec usurpatur ac etiam in verbis Paulinis utroque modo commodum admittit sensum. Ubi enim χάρις de *gratia divina eiusque operationibus* explicatur, apostolus significat, cantiones fieri debere per gratiam divinam, cuius facti simus participes, adeo ut sint illius effectus nostramque fidem in Iesum Christum, nostrum amorem, nostram vivam spem declarent ac significent, Spiritum S. in nobis esse nosque ad rectum piumque canendi modum aptos efficere. Potest tamen vocabulum χάρις hic etiam exponi per *suavitatem* sive id, quod favorem gignit ac conciliat. Ita occurrit *Col.* 4, 6. ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, i. e., ita sit comparatus, ut valeat ad favorem ac gratiam conciliandam atque ad incunditatem in animis audientium gignendam. Hinc et apud profanos auctores χάρις vel χάριτες sunt quidquid in oratione, vel quacumque re elegantiae, venustatis ac suavitatis est. Aristophanes habet χαρίεντα λόγον et apud Aristotelem χαρίεντες dicuntur homines, in dictis elegantes, politi ac suaves. Quo et spectat verbum χαριεντίζομαι itemque χαριεντισμός, quam vocem Phavorinus explicat per λόγον εὐτράπελον, ἐν ᾧ διαχεῖται ὁτε λέγων καὶ ὁ ἀκούων. Pro hac significatione cantiones, quae ἐν χάριτι fiunt, ea ratione canuntur, ut suaves sint ac gratae seque commendent partim Deo, partim aliis hominibus. Deo canuntur ἐν χάριτι, quando in illis, qui canunt, animus fide in Christum praeditus, pius, ipsi Deo unice devotus ac simplex inest; hominibus autem aliis, ubi adferunt illis gratiam ac suavitatem, eiusmodi tamen, quae non solum suaviori canendi modo, verum etiam ipsa re innititur. Quam suavitatis sive χάριτος rationem si ponamus, facile patet, quod illa ex parte canentium gratiam divinam, ex parte audientium vero facultatem cognoscendi atque adpetendi, quod vere bonum atque animae salutare est, et ut paucis dicamus, gustum spiritualem, quemadmodum adpellatur, requirat. Summa enim illius pars ad gloriam divinam atque aedificationem aliorum promovendam spectat. Quare Paulus dicit: *nulla vitiosa oratio ex ore vestro*

*) *homil. in psalm.* 29. *opp.* 1. p. 163.
**) *enarrat. in psalm.* 147. *tom.* 4. *opp.* p. 1233.

prodeat; sed si quae bona est ad aedificationem, qua sit opus, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, Eph. 2, 29. Hoc modo *ἐν χάριτι* duplici modo explicari atque intelligi potest; posteriorem tamen priori praeferendum esse fatemur. Quum enim apostolus simul postulat, ut cantiones fiant *ἐν τῇ καρδίᾳ*, hoc idem fere esset, ac *ἐν χάριτι*, ubi *χάρις* de gratia divina eiusque operationibus explicaretur; at vero si vocem *χάρις* de suavitate sumas, discrimen omnino quoddam intelligere licet, quod inter cantilenas sacras est, prout sunt suaviores ac corde cantantur. — §. 19. Copiose adhuc explanavimus, quae Paulus et Ephesiis et Colossensibus de hymnis sacris praecepit. Sunt alia loca in libris N. T., quae usum illorum in ecclesia apostolica monstrant. Idem apostolus ad Corinthios scribit: *ὅταν συνέρχησθε, ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει*, 1 *Cor.* 14, 26. In eo est, ut ostendat, quomodo Corinthii sua dona ad aedificationem ecclesiae referre hincque in iis adhibendis, quum convenirent, iustum ordinem observare debeant. Hanc in rem dicit: *ὅταν συνέρχησθε, πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω*, utque constet, quanam in re aedificatio illa ecclesiae sit curanda, varias donorum, quibus utantur Corinthii in coetibus suis ecclesiasticis, species recenset atque addit: *ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει*, quae verba H. Hammondus *) ita *παραφράζει*: *sive adflatu spiritus recitetis psalmos in honorem Dei, sive utamini dono linguarum, sive explanetis figuras V. T., sive interpretemini, quod ab aliis ignota lingua dictum est*; minus autem accurata est haec paraphrasis. Primum enim verba Pauli: *διδαχὴν ἔχει*, omittit, quippe quae licet in quibusdam codicibus desint, plures tamen illa habent; nec dubium est, quin singulare quoddam donum aut negotium in coetibus sacris indicent, sive *διδαχὴν* de doctrina salutari generatim, sive cum Hugone Grotio **) de eximiis ac praeclaris sententiis, quales sint in libris Salomonis, sive cum aliis non tam de ipsa doctrina, quam de dono docendi sumas. Deinde non est, quod cum Hammondo *ἀποκάλυψιν* ad figuras V. T. et *ἑρμηνείαν* ad interpretationem eorum, quae lingua ignota dicta sunt, restringamus, quoniam ampliorem horum vocabulorum sensum et eorum usus et orationis Paulinae ratio admittit, ita ut *ἀποκάλυψιν* de revelatione mysteriorum et rerum futurarum, et *ἑρμηνείαν* de interpretatione eorum, quae in scriptura sacra et dogmatibus divinis obscura sunt, explicemus. Quemodo generatim ipsa Pauli verba sint intelligenda, breviter ac perspicue Aeg. Hunnius ***) enarrat, hunc in modum: Paulus per conclusionem evincit *veritatem propositionis, quae fuit, aedificationem ecclesiae debere esse scopum, finem et canonem, ad quem conformari debeat omnis prophetia; sive constet* cantico, *ad dicendas Deo laudes et gratiarum actionem, sive* doctrinam *contineat seu institutionem in capitibus fidei, sive* linguam *vel miraculose collatam, vel studio et labore comparatam, sive* revelationem *habeat mysteriorum Dei, sive* interpretationem scripturae. *Omnia haec*

*) in *N. T. ad h. l. tom.* 2. p. 189.
**) in *adnotat. ad* 1 *Cor.* 14, 6. 26. *tom.* 3. *opp. theol.* p. 815. 818.
***) *comment. in* 1 *epist. ad Cor.* 14, 26. *tom.* 4. *opp. latin.* p. 256.

vult fieri et dirigi ad ecclesiae Dei aedificationem. — §. 20. Quum igitur Paulus in loco iam memorato ac paucis illustrato *psalmorum* mentionem faciat, per illos indicari hymnos sive cantica sacra, de quibus supra disseruimus, nullum est dubium; quales autem illi fuerint, non licet definire. Ipse apostolus eorum tantum generatim meminit, per rei indolem, de qua volebat exponere. Hugo Grotius*) observat, quod extemporales isti hymni saepe ab afflatu divino suam originem habuerint, qualis fuerit hymnus Simeonis et Annae vidnae, et ut credibile sit, Mosis et sororis eius, alter Mosis ac Deborae aliorumque atque addit: *omnia, quae olim aut ex ingenio aut ex labore veniebant, tunc multis dabantur subito et divinitus, ut ex eo intelligeretur Dei summa beneficentia.* In quam sententiam eo inductus est, quod, ut videtur, omnia dona, quae Paulus memorat, ad extraordinaria *χαρίσματα* primitivae ecclesiae refert; quod tamen de singulis haud certe adfirmari posse existimamus. H. Dodwellus**), quum per *εὐλογίαν ἐν τῷ πνεύματι*, cuius apostolus *v.* 16. mentionem facit, celebrationem sacrae coenae intelligat, sermonem hic esse de hymno illo *εὐχαριστίας* putat, *unde nomen acceperit ipsum sacramentum, quem, quum sacramento ille soleret iungi, dictaverit, seu forte decantaverit non certus aliquis minister ecclesiae, sed etiam extraordinario illo ecclesiae regimine, quemcumque in fidelium coetu cepisset impetus ille propheticus, inde etiam eodem impetu impulsus ad ipsam sacramenti consecrationem.* Sed haec omnia a Pauli oratione eiusque mente plane aliena esse, quis non videat? De re ipsa censemus, quod quamvis haud negandum sit, eo tempore potuisse quosdam habere singulare donum hymnorum, ita ut illos, antea non cognitos, ex divina inspiratione atque afflatu cantarent, minus tamen sit statuendum, apostolum non aliud nisi hac ratione canendi donum voluisse significare. Verba enim illius: *ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει*, etiam de instinctu ac cupiditate canendi commode sunt intelligenda, sive ex inspiratione divina sive ex proprio ingenio hymnos quis cantaverit, sive isti antea iam fuerint cogniti sive minus. — §. 21. Sed quaecumque sit ratio horum psalmorum, id tamen luculenter ex hoc Pauli testimonio patet, quod usus hymnorum in ecclesia apostolica locum suum habuerit eumque in coetibus maxime sacris. Quo et referri possunt, quae idem apostolus, antequam testimonium hoc dicit, ita pronuntiat: *ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ* (1 *Cor.* 14, 15.). Variae horum verborum sunt interpretationes. Plerique observant, quod vox *νοῦς* hic recitati sermonis aut decantati hymni sensum atque intelligentiam significet ac ipsa verba ita sint explicanda: *cantabo spiritu*, solius meae aedificationis causa, ut ipsemet spiritu colam Deum meum nec ad alios eorumque utilitatem, quam ex canticis meis possent capere, respiciam, sive hac sive illa lingua, prout Spiritui S. placet, debeam uti: *cantabo mente*, nimirum ita, ut alii quoque, quae cano, possint intelligere habeantque occasionem, animarum emendationem promovendi atque ad

*) *cit. loc.* p. 817.

**) in *dissert. de jure laicorum sacerdotali ex sententia Tertulliani aliorumque veterum, cap.* 3. p. 173. et in *dissertat.* 2. *ad Irenaeum* §. 6. p. 101.

explicant. Secundum veteres glossas graeco-latinas, ut J. C. Suicerus*) observat, ἄσωτος est *gancarius*, *lascivus*, *luxuriosus*, *prodigus*, *profusus*, *sumtuosus*, *helluo*. Clemens Alex.**) putat, ἄσωτος idem esse ac ἄσωστος, *a salute alienus*, ex verbo σώζω. Theophylactus***) vocem hanc exponit per ἄμετρον χρῆσιν atque addit: οὐ γὰρ σώζει, ἀλλ' ἀπόλλυσιν οὐ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τοῦτο ἔστιν ἡ ἀσωτία, itemque: ἡ ἀσωτίαν ἐνταῦθα κατὰ τὴν τῶν ἰδιωτῶν συνήθειαν τὴν ἀκρασίαν φησίν. ἐκ γὰρ τῆς μέθης ἡ ἀκολασία τίκτεται. Late omnino patet vox haec ac respicit quoque ad veneceas cupiditates, quemadmodum de prodigo illo apud Lucam 15, 13. dicitur, quod *dissipaverit facultates suas*, ζῶν ἀσώτως, ac deinde haec ἀσωτία hunc in modum explicatur: καταφαγὼν τὸν βίον μετὰ πορνῶν †). Uti autem apostolus vult, ut Ephesii se abstineant a nimio vini usu, ita requirit, ut eorum pectora *plena sint Spiritus S.* hicque in iis, tamquam in templo habitet ac semper et in intellectu et in voluntate sanctiores operas producat. Hoc est verum ac solidum fundamentum omnis cultus divini, etiam per cantiones. Opponit Paulus τῇ μέθῃ τοῦ οἴνου, quam ut turpem ac vitiosam reiicit, τὴν μέθην τοῦ πνεύματος ἁγίου, hancque optimam ac laude dignam. Quare non sine causa dicit: πληροῦσθε ἐν πνεύματι, ac plenitudinem quandam indicat, ut declaret, omnes facultates, quibus Christiani sunt praediti, plenas esse debere Spiritus S., eius donorum atque operationum. Id quod H. A. Roell††) hoc modo edisserit: *spiritu impleri est impleri operationibus spiritus, ita ut totus homo spiritualibus bonis repletus sit. Ita mens est plena spiritu, quando est plena quoad intellectum et voluntatem sanctis cogitationibus sanctisque desideriis circa Deum, Christum, proximum et seipsum, atque ita tota Dei plena est; ita lingua, quando ex cordis abundantia loquitur spiritualia, et porro reliqua membra, quando se spiritui subiiciunt, ut spiritus quasi totum hominem occupet, ut templum suum, in quo, ut ita loquar, cogitet, velit, audiat, loquatur.* Haec est plenitudo, cuius et alibi scriptura sacra mentionem facit istamque improprie ac metaphorice ebrietatem adpellat, Ps. 36, 9. Cant. 5, 1. Jer. 31, 14, de qua etiam LXX interpretes vocabulum μεθύειν usurpant, propriam eamque corporis ebrietatem significans, ut pluribus C. Adami†††) ostendit. Talis animus, qui plenus est sanctissimi spiritus, omnino ad rectum ac pium usum cantilenarum sacrarum necessarius est; sine eo nec rite precari nec rite canere possumus. Utrumque constituit partem cultus, quem Deo debemus praestare ac requirit fidem in Jesum Christum, per consequens etiam gratiam divinam ac Spiritus S. operationem. Per hunc spiritum ipsa carmina, quae ca-

---

*) in *thesaur. eccles. tom.* 1. p. 566.

**) *paedagog.* 2, 1. p. 168.

***) *comment. in epistol. ad Ephes.* v. 19. p. 554.

†) De voce ἀσωτία plura habent J. Olearius *de stilo N. T.* p. 38. J. C. Suicerus in *thesaur. eccles. tom.* 1. p. 566. S. Deylingius *obs. sacrar.* 3. p. 340. J. A. Fabricius in *notis ad Sextum Emp.* p. 496.

††) *comment. in epistol. ad Ephes. tom.* 2. p. 362.

†††) in *exercitation. exegetic.* p. 203 ss.

nenda sunt, debent esse odae spirituales hasque praescribit Paulus Ephesiis atque ethnicorum impiis canticis *et ᾠδαῖς σαρκικαῖς* opponit. Sunt enim spirituales partim propter argumenta et formas suas, quum non solum de rebus divinis ac sanctioribus tractant, verum etiam ita sunt compositae, ut vim quandam in se contineant, animos excitandi, sancta in illis studia confirmandi atque augendi, partim ob pium ac religiosum earum usum, quando per spiritum atque in spiritu, mente pia ac Deo penitus consecrata cantantur. — §. 15. Postquam apostolus Ephesiis monstraverat, quale fundamentum, qualem mentis indolem legitimus cantionum sacrarum usus requirat, porro ostendit, cuinam illae sint canendae, ac praecipit, ut cantentur *τῷ Κυρίῳ*. Qui a veris sacris alieni erant, paeanes ac hymnos suos laudibus primum Apollinis, sequenti vero tempore aliorum quoque deorum dearumque consecrabant. Hinc Julius Pollux *): *αἱ δὲ εἰς θεοὺς ᾠδαὶ κοινῶς μὲν παῖανες, ὕμνοι.* In deorum laudes hymnos decantatos fuisse, veterum monimenta luculenter atque abunde probant. Olenem Lycium hymnum Lucinae, a Cretensibus cantatum, ac carmen Junonis composuisse, auctor est Pausanias**). Apud Euripidem***) Hippolytus Dianae ita canit:

Χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα,
Καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
Παρθένων Ἄρτεμι.

et Horatius Flaccus†):

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date, quae precamur
Tempore sacro.

Hymnos eiusmodi canebant et publice et privatim, nunc in sacris solemnibus, nunc in conviviis, prout iam supra a nobis observatum est idque expresse refert Athenaeus††): *οἱ ἀρχαῖοι καὶ περιέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τοὺς τῶν θεῶν ὕμνους ᾄδειν ἅπαντας ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν.* Nec in eorum comoediis ac tragoediis hymni deorum infrequentes erant, ut actores levamentum ac spectatores voluptatem quandam haberent; imo hymnis repraesentationes deorum, qui illis celebrabantur, saltantium iungebantur, quod G. Olearius†††) observat. Attamen non solum in deorum dearumque, verum etiam in heroum aliorumque hominum laudes atque honores hymni compositi ac decantati fuerunt, cuius rei multa testimonia in antiquorum libris leguntur. Athenaeus†*) memorat, quod apud Arcadas *pueri ab infantia consuescant, hymnos et paeanas cantare, praescriptis numeris, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι.* Idem†**) varia exempla, quae hanc rem

*) *Onomastic.* 1, 38. p. 26.
**) in *Boeoticis*, itemque in *Atticis* et *Corinthiac.*
***) *Hippolyt. v.* 70 sq.
†) *carm. secular.* 1 ss.
††) *deipnosoph.* 14. p. 627.
†††) *not. ad Philostratum.* p. 159.
†*) *cit. loc.* p. 626.
†**) *lib.* 15. *deipnosoph.* p. 696.

confirmant, recenset eaque hisce verbis, latine tantum a nobis memorandis, enarrat: *qui de Lysandro Spartiata scriptus, paean verus est, quem Duris in eo libro, cui titulus est: Samiorum fines, tradit a Samiis cantari. Est et paean scriptum carmen in Craterum Macedonem, quod Alexinus Dialecticus composuit, ut inquit Hermippus Callimachius libro primo de Aristotele. Canitur ille Delphis, puero lyram pulsante. In eo, quem de Agemone Corinthio, patre Alcyones, cantant Corinthii et quem in epistola sua ad Aranthium Polemon orbis descriptor memorat, paeanicae sunt adclamationes, quemadmodum et in eo, quem de Ptolemaeo, primo Aegypti rege, cantant Rhodii.* Quae hic Athenaeus de Lysandro refert, etiam Plutarchus*) tradit dicitque: εἰς πρῶτον παιᾶνες ἤσθησαν. Suetonius**) de Caligula memoriae prodidit, quod ei *inter reliquos honores decretus sit clypeus aureus*, i. e. imago, ex auro atque ad formam clypei composita atque Caligulae imaginem exhibens, cuiusmodi viris illustribus veteres ponebant***), *quem quotannis certo die collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum eius canentibus.* Plura de eiusmodi hymnis habent I. Casaubonus†), A. van Dale††), M. Broverius de Niedeck†††) et S. Deylingius†*). — §. 16. Ut apostolus ostendat, quam alienum sit a vera Deum colendi ratione atque a disciplina christiana, idolis, diis fictis ac commentitiis atque hominibus hymnos consecrare, iubet et Ephesios et Colossenses, canere τῷ *Κυρίῳ*. Quis autem est *Κύριος* hicce? Solus est unus ac summus Deus, qui proprie *Κύριος* est suumque dominium idque absolutum ac perfectissimum a se ipso habet. Quum enim *Κύριος* idem est ac *dominus*, Deus talis est absolute, per se ac perfectissime monetque Theophilus†**), cum adpellari *κύριον*, *διὰ τὸ κυριεύειν αὐτὸν τῶν ὅλων*; hanc autem ob causam recte observat Chrysostomus†***): *κἂν τε κύριον ἀκούσωμεν, κἂν τε θεὸν, οὐδεμία ἐν τοῖς ὀνόμασίν ἐστι διαφορά.* Id ipsum est, quod etiam LXX interpretes confirmant, qui nomen Dei proprium et essentiale *Jehovah* per vocabulum *κύριος* reddiderunt, cuius versionis rationem nonnulli eam esse dicunt, quod nomen illud more aliorum nominum propriorum non commode potuerit retineri; alii, quod Judaei *Jehovah* legere soleant *Adonai*, quemadmodum J. Crellius*†) dicit: *quia* Adonai *pro* Jehovah *in lectione Ebraeorum verborum substitui consuevit, ideo illius etiam interpre-*

*) in *vita Lysandri tom.* 1. *opp.* p. 443.

**) in *vita eius cap.* 16.

***) vide J. Ph. Tomasinum *de donariis veterum c.* 20. J. Lipsium *in Tacit. annal.* p. 53. et S. Pitiscum *not. ad Sueton. in vita Calig. cap.* 16. p. 539.

†) in *animadversion. in Athenei deipnosoph.* p. 442.

††) in *dissertationib. antiqu.* 7, 3. p. 565 sqq.

†††) *de populorum vett. adoration.* 8. p. 95.

†*) *observ. sacr.* 3. p. 338 sqq.

†**) *ad Autol.* 1, 6. p. 20. ed. Wolf.

†***) *homil.* 14. *in Gen.*; adde Suicerum in *thes. eccl.* 2. p. 193. et in *obs. sacr. cap.* 7. p. 162.

*†) *de Deo et attribut. cap.* 14. p. 35.

tatio huc accommodatur. Utrumque reiicit J. Pearsonius*) atque affirmat, LXX vocabulum *Jehovah* ideo vertisse graece per vocem *κύριος*, quoniam haec eandem cum illo habeat significationem atque itidem indicet ens primum atque independens, quod ab omni aeternitate extitit et in omnem durabit aeternitatem, semper in praesenti existens. Quam in rem provocat ad originem vocis *κύριος* monetque, quod quemadmodum יהוה sit ab הוה, ita illa derivari debeat a graeco verbo *κύρειν*, quod teste Hesychio idem sit ac *τὸ εἶναι* vel *ὑπάρχειν*, cuiusmodi etiam ab aliis sunt tradita**). Quae ubi admittamus, paulo ante a nobis observata multum confirmantur, quod *Κύριος* idem sit ac Deus; imo ipsum augustissimum atque essentiale Dei nomen. Sane solus Deus est, cui canere *debemus*, quoniam pium cantandi exercitium partem cultus religiosi constituit, qui ad solum Deum spectat. Sanctissima Trinitas est, in cuius honorem cantiones fieri debent ac per consequens etiam Jesus Christus, qui uti dicitur *Κύριος* ac nomine hoc divinitas eius clare indicatur, ita et dominus noster est non solum qua Deus, communi cum patre perfectissima atque absoluta potestate praeditus, verum etiam prout noster est mediator. Postquam enim sanguinem suum, verum redemtionis pretium, pro hominibus dedit, purgavit sibi *λαὸν περιούσιον*, *Tit.* 2, 24. *λαὸν εἰς περιποίησιν*, 1 *Petr.* 2, 9. et pater ipsi dixit: *pete a me*, nimirum pro iure tuo, quod tibi per pactum mecum initum adquisivisti, *et dabo gentes in possessionem tuam et fines terrae ius possessionis tuae*, *Ps.* 11, 8. Nos autem, quum emti sumus, iuris nostri esse desinimus, 1 *Cor.* 6, 19—20. 7, 23. 1 *Petr.* 1, 18—19. *Apoc.* 5, 9. Jesum Christum igitur, ut dominum nostrum venerari, ei cultum religiosum praestare, voluntati eius parere atque obedire, ei carmina sacra canere debemus. Hicque inprimis est, quem Paulus significat, quum ab Ephesiis ac Colossensibus requirat, ut canant *τῷ Κυρίῳ*. Ille enim est *dominus* isque ipse Deus, (*Act.* 20, 28.), *dominus omnium* (*ibid.* 10, 36.), *dominus mortuorum et viventium* (*Rom.* 14, 9.), *dominus gloriae* (1 *Corinth.* 2, 8.), *dominus e coelis* (1 *Corinth.* 15, 47.), *dominus dominantium* (*Apoc.* 17, 14. 19, 16.). Quis igitur dubitaret, eiusmodi *Κυρίῳ* carmina sacra esse canenda hocque apostolum ab Ephesiis ac Colossensibus, imo ab omnibus Christianis recte postulare? Observarunt id a Paulo praescriptum praeceptum Christiani illi, qui prima aetate sua in Jesum fide, suo amore ac virtutibus maxime floruerunt. De illis enim Plinius†) ad Traianum refert, *quod essent soliti, stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi*

*) in *expos. symb. apost.* p. 264 ss.

**) Quod vox *κύριος* derivanda sit a voce חור *albus, candidus*, unde חורים *principes, magnates*, contendit Massonius in *histoire critique de la republique des lettres* 1. p. 53 ss.

***) De voce *κύριος*, inprimis de Christo adhibita plura habent A. Calovius in *scriptis anti-Socinian. tom.* 1. p. 175 ss. J. Pearsonius in *expositione symb. apost.* p. 256 ss. H. Witsius in *exercit. in symb. apost.* 13. p. 218 ss. Petrus Kingius in *hist. symb. ap.* 3. p. 115 ss.

†) *epist.* X. 97.

Deo dicere secum invicem, hocque etiam Tertullianus*) hunc in modum memorat: *Plinius Secundus, quum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem, allegans praeter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo ut Deo et ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cetera scelera prohibentes.* Solius *Christi, quasi Dei* Plinius meminit, quia Christiani hoc habebant singulare, carmina quippe Christo consecrata, et gentiles etiam deum, sed suo more celebrabant. Hinc editiones illae Tertulliani, quae *ad canendum Christo et Deo* habent, emendandae sunt et pro ipsorum codicum manuscriptorum auctoritate, quemadmodum S. Havercampus**) observat, legendum est: *ad canendum Christo, ut Deo.* — §. 17. Denique Paulus Ephesiis ac Colossensibus ostendit ipsum modum, quo carmina sacra sint canenda. Ad utrosque scribit, quod canere debeant ἐν τῇ καρδίᾳ, et in epistola ad Colossenses addit: ἐν χάριτι. Quod si apostolus primum requirit, ut canamus ἐν τῇ καρδίᾳ, satis clare indicat, non sufficere, ut cantilenas sacras solo ore enarremus, sed mentis quoque, imo totius animae hincque et intellectus et voluntatis indolem accedere debere ita comparatam, ut, postquam mens illa ad Deum sit conversa, fide in Christum atque amore in Deum atque alios praedita, per gratiam divinam partim omnes cogitationes ad ipsas res, quae cantica sacra in se continent, referantur, partim voluntatis commotiones illis respondeant atque in ea inprimis pia, religiosa ac singularis insit cupiditas, gloriam divinam amplificandi itemque se atque alios aedificandi. Theodoretus***) dicit: τῇ καρδίᾳ ψάλλει, ὁ μὴ μόνον τὴν γλῶτταν κινῶν, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν εἰς τὴν τῶν λεγομένων κατανόησιν διεγείρων. Ipsa recta mentis dispositio ut in omni cultus divini parte, ita quoque in usu hymnorum, sive cantionum sacrarum maxime est necessaria. Deus enim est πνεῦμα (*Jo.* 4, 24.). Deus cor postulat (*Prov.* 23, 26.). Sine fide ei haud placere nec quidquam in vita christiana meditari, cupere, loqui atque agere possumus, quod adprobet, nisi ista simus praediti (*Ebr.* 11, 6.). Quod si autem fides est necessaria, per illam Christus *habitare debet in cordibus nostris* (*Eph.* 3, 17.), ac Deus omnes reiicit, qui ere suo ad eum quidem accedunt, suo autem corde ab illo sunt alieni (*Jes.* 29, 13. *Matth.* 15, 8.). Ex his igitur simul patet ratio, cur apostolus velit, ut cantiones *in corde* fiant. Hieronymus†), postquam illius verba: *cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino*, memoravit, graviter illis haecce subiungit: *audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum nec in tragaedorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica, sed in ti-*

*) in *apologet. cap.* 2. p. 24. edit. Havercampi.
**) *not. ad Tertullian. cit. loc.* p. 25.
***) *comment. in epist. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 3. *opp.* p. 314.
†) *comm. in ep. ad Ephes.* v. 19. *tom.* 4. *opp.* p. 387.

more, *in opere*, *in scientia scripturarum*. Spectat huc quoque Basilii M.*) effatum, quod latine tantum recensere liceat: *non si quis*, inquit, *psalmi verba ore proferat, hic mox Domino psallit; sed quicumque corde puro enuntiat psalmodiam et quicumque sunt sancti erga Deum, iustitiam servantes, hi demum Domino psallere rhythmis spiritualibus concinno et consentaneo ordine poterunt. Quotquot vero in fornicationis cogitatione perstant, qui furtum, qui dolum et mendacium in corde occulunt, psallere quidem putantur, re autem vera non psallunt.* Pulcra quoque atque pia sunt, quae hac de re habet Augustinus**) atque ita pronuntiat: *non tantum cantamus, quando voce et labiis sonamus canticum, est et canticum intus, quia sunt et aures cuiusdam intus. Voce cantamus, ut nos excitemus; corde cantamus, ut illi placeamus.* — §. 18. Vult quoque Paulus, ac quidem in epistola ad Colossenses, ut carmina sacra canantur ἐν χάριτι. Vocabulum hoc duplici modo intelligi potest, vel de gratia divina eiusque operatione ac donis, vel de suavitate quadam. Utraque ratione vox haec usurpatur ac etiam in verbis Paulinis utroque modo commodum admittit sensum. Ubi enim χάρις de *gratia divina eiusque operationibus* explicatur, apostolus significat, cantiones fieri debere per gratiam divinam, cuius facti simus participes, adeo ut sint illius effectus nostramque fidem in Jesum Christum, nostrum amorem, nostram vivam spem declarent ac significent, Spiritum S. in nobis esse nosque ad rectum piumque canendi modum aptos efficere. Potest tamen vocabulum χάρις hic etiam exponi per *suavitatem* sive id, quod favorem gignit ac conciliat. Ita occurrit *Col.* 4, 6. ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, i. e., ita sit comparatus, ut valeat ad favorem ac gratiam conciliandam atque ad incunditatem in animis audientium gignendam. Hinc et apud profanos auctores χάρις vel χάριτες sunt quidquid in oratione, vel quacumque re elegantiae, venustatis ac suavitatis est. Aristophanes habet χαρίεντα λόγον et apud Aristotelem χαρίεντες dicuntur homines, in dictis elegantes, politi ac suaves. Quo et spectat verbum χαριεντίζομαι itemque χαριεντισμός, quam vocem Phavorinus explicat per λόγον εὐτράπελον, ἐν ᾧ διαχεῖται ὅτε λέγων καὶ ὁ ἀκούων. Pro hac significatione cantiones, quae ἐν χάριτι fiunt, ea ratione canuntur, ut suaves sint ac gratae seque commendent partim Deo, partim aliis hominibus. Deo canuntur ἐν χάριτι, quando in illis, qui canunt, animus fide in Christum praeditus, pius, ipsi Deo unice devotus ac simplex inest; hominibus autem aliis, ubi adferunt illis gratiam ac suavitatem, eiusmodi tamen, quae non solum suaviori canendi modo, verum etiam ipsa re innititur. Quam suavitatis sive χάριτος rationem si ponamus, facile patet, quod illa ex parte canentium gratiam divinam, ex parte audientium vero facultatem cognoscendi atque adpetendi, quod vere bonum atque animae salutare est, et ut paucis dicamus, gustum spiritualem, quemadmodum adpellatur, requirat. Summa enim illius pars ad gloriam divinam atque aedificationem aliorum promovendam spectat. Quare Paulus dicit: *nulla vitiosa oratio ex ore vestro*

*) *homil. in psalm.* 29. *opp.* 1. p. 163.
**) *enarrat. in psalm.* 147. *tom.* 4. *opp.* p. 1233.

prodeat; sed si quae bona est ad aedificationem, qua sit opus, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι, Eph. 2, 29. Hoc modo *ἐν χάριτι* duplici modo explicari atque intelligi potest; posteriorem tamen priori praeferendum esse fatemur. Quum enim apostolus simul postulat, ut cantiones fiant *ἐν τῇ καρδίᾳ*, hoc idem fere esset, ac *ἐν χάριτι*, ubi *χάρις* de gratia divina eiusque operationibus explicaretur; at vero si vocem *χάρις* de suavitate sumas, discrimen omnino quoddam intelligere licet, quod inter cantilenas sacras est, prout sunt suaviores ac corde cantantur. — §. 19. Copiose adhuc explanavimus, quae Paulus et Ephesiis et Colossensibus de hymnis sacris praecepit. Sunt alia loca in libris N. T., quae usum illorum in ecclesia apostolica monstrant. Idem apostolus ad Corinthios scribit: *ὅταν συνέρχησθε, ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει*, 1 *Cor.* 14, 26. In eo est, ut ostendat, quomodo Corinthii sua dona ad aedificationem ecclesiae referre hincque in iis adhibendis, quum convenirent, iustum ordinem observare debeant. Hanc in rem dicit: *ὅταν συνέρχησθε, πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω*, utque constet, quanam in re aedificatio illa ecclesiae sit curanda, varias donorum, quibus utantur Corinthii in coetibus suis ecclesiasticis, species recenset atque addit: *ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει*, quae verba H. Hammondus *) ita *παραφράζει*: *sive adflatu spiritus recitetis psalmos in honorem Dei, sive utamini dono linguarum, sive explanetis figuras V. T., sive interpretemini, quod ab aliis ignota lingua dictum est*; minus autem accurata est haec paraphrasis. Primum enim verba Pauli: *διδαχὴν ἔχει*, omittit, quippe quae licet in quibusdam codicibus desint, plures tamen illa habent; nec dubium est, quin singulare quoddam donum aut negotium in coetibus sacris indicent, sive *διδαχὴν* de doctrina salutari generatim, sive cum Hugone Grotio **) de eximiis ac praeclaris sententiis, quales sint in libris Salomonis, sive cum aliis non tam de ipsa doctrina, quam de dono docendi sumas. Deinde non est, quod cum Hammondo *ἀποκάλυψιν* ad figuras V. T. et *ἑρμηνείαν* ad interpretationem eorum, quae lingua ignota dicta sunt, restringamus, quoniam ampliorem horum vocabulorum sensum et eorum usus et orationis Paulinae ratio admittit, ita ut *ἀποκάλυψιν* de revelatione mysteriorum et rerum futurarum, et *ἑρμηνείαν* de interpretatione eorum, quae in scriptura sacra et dogmatibus divinis obscura sunt, explicemus. Quemodo generatim ipsa Pauli verba sint intelligenda, breviter ac perspicue Aeg. Hunnius ***) enarrat, hunc in modum: Paulus per conclusionem evincit *veritatem propositionis, quae fuit, aedificationem ecclesiae debere esse scopum, finem et canonem, ad quem conformari debeat omnis prophetia; sive constet* cantico, *ad dicendas Deo laudes et gratiarum actionem*, *sive* doctrinam *contineat seu institutionem in capitibus fidei*, *sive* linguam *vel miraculose collatam*, *vel studio et labore comparatam*, *sive* revelationem *habeat mysteriorum Dei*, *sive* interpretationem scripturae. *Omnia haec*

*) in *N. T. ad h. l. tom.* 2. p. 189.
**) in *adnotat. ad* 1 *Cor.* 14, 6. 26. *tom.* 3. *opp. theol.* p. 815. 818.
***) *comment. in* 1 *epist. ad Cor.* 14, 26. *tom.* 4. *opp. latin.* p. 256.

vult fieri et dirigi ad ecclesiae Dei aedificationem. — §. 20. Quum igitur Paulus in loco iam memorato ac paucis illustrato *psalmorum* mentionem faciat, per illos indicari hymnos sive cantica sacra, de quibus supra disseruimus, nullum est dubium; quales autem illi fuerint, non licet definire. Ipse apostolus eorum tantum generatim meminit, per rei indolem, de qua volebat exponere. Hugo Grotius*) observat, quod extemporales isti hymni saepe ab afflatu divino suam originem habuerint, qualis fuerit hymnus Simeonis et Annae viduae, et ut credibile sit, Mosis et sororis eius, alter Mosis ac Deborae aliorumque atque addit: *omnia, quae olim aut ex ingenio aut ex labore veniebant, tunc multis dabantur subito et divinitus, ut ex eo intelligeretur Dei summa beneficentia.* In quam sententiam eo inductus est, quod, ut videtur, omnia dona, quae Paulus memorat, ad extraordinaria *χαρίσματα* primitivae ecclesiae refert; quod tamen de singulis haud certe adfirmari posse existimamus. H. Dodwellus**), quum per *εὐλογίαν ἐν τῷ πνεύματι*, cuius apostolus *v.* 16. mentionem facit, celebrationem sacrae coenae intelligat, sermonem hic esse de hymno illo *εὐχαριστίας* putat, *unde nomen acceperit ipsum sacramentum, quem, quum sacramento ille soleret iungi, dictaverit, seu forte decantaverit non certus aliquis minister ecclesiae, sed etiam extraordinario illo ecclesiae regimine, quemcumque in fidelium coetu cepisset impetus ille propheticus, inde etiam eodem impetu impulsus ad ipsam sacramenti consecrationem.* Sed haec omnia a Pauli oratione eiusque mente plane aliena esse, quis non videat? De re ipsa censemus, quod quamvis haud negandum sit, eo tempore potuisse quosdam habere singulare donum hymnorum, ita ut illos, antea non cognitos, ex divina inspiratione atque afflatu cantarent, minus tamen sit statuendum, apostolum non aliud nisi hac ratione canendi donum voluisse significare. Verba enim illius: *ἕκαστος ὑμῶν ψαλμὸν ἔχει*, etiam de instinctu ac cupiditate canendi commode sunt intelligenda, sive ex inspiratione divina sive ex proprio ingenio hymnos quis cantaverit, sive isti antea iam fuerint cogniti sive minus. — §. 21. Sed quaecumque sit ratio horum psalmorum, id tamen luculenter ex hoc Pauli testimonio patet, quod usus hymnorum in ecclesia apostolica locum suum habuerit eumque in coetibus maxime sacris. Quo et referri possunt, quae idem apostolus, antequam testimonium hoc dicit, ita pronuntiat: *ψαλῶ τῷ πνεύματι, ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ* (1 *Cor.* 14, 15.). Variae horum verborum sunt interpretationes. Plerique observant, quod vox *νοῦς* hic recitati sermonis aut decantati hymni sensum atque intelligentiam significet ac ipsa verba ita sint explicanda: *cantabo spiritu*, solius meae aedificationis causa, ut ipsemet spiritu colam Deum meum nec ad alios eorumque utilitatem, quam ex canticis meis possent capere, respiciam, sive hac sive illa lingua, prout Spiritui S. placet, debeam uti: *cantabo mente*, nimirum ita, ut alii quoque, quae cano, possint intelligere habeantque occasionem, animarum emendationem promovendi atque ad

*) *cit. loc.* p. 817.

**) in *dissert. de jure laicorum sacerdotali ex sententia Tertulliani aliorumque veterum, cap.* 3. p. 173. et in *dissertat.* 2. *ad Irenaeum* §. 6. p. 101.

integrum Christianorum coetum egregii fructus ex cantilenis meis redundent. Hanc expositionem tuentur Aeg. Hunnius*), A. Calovius**) atque alii laudati a J. C. Wolfio***), quae et aliis interpretationibus praeferenda est, quoniam cum ipsarum vocum ratione convenit atque omnia plana atque expedita efficit. Ad testimonia eiusmodi de hymnis ecclesiae apostolicae spectant denique verba Jacobi: *κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσευχέσθω· εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω* (v. 13.). Facile patet, quod hic vocabulum *ψάλλειν* ratione modi, quo canitur, generatim idem sit ac cantare, sive hoc tantum ore sive simul instrumentis musicis fiat, ratione argumenti autem sit canere hymnos eucharisticos, quibus gratus animus erga Deum propter beneficia declaratur, quemadmodum Paulus oraculum prioris foederis commendat: *te celebrabo apud gentes tuumque nomen canlabo* (**Rom. 15, 9.**), ac postquam praecepit Ephesiis, ut canerent psalmos, hymnos et odas spirituales, statim subiungit: *εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ* (**Eph. 5, 20.**), et alibi: *ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε* (**1 Thessal. 5, 18.**).

---

*) *comment. in* 1. *epistol. ad Corinth.* 14, 15. *tom.* 4. *opp. latin.* p. 255.
**) in *bibl. illustr. ad h. l.* p. 384.
***) in *cur. philolog. et crit. ad h. l.* p. 516 ss.

XXX.

J. Zach. Hilliger de psalmorum, hymnorum atque odarum sacrarum discrimine*).

I. De canticis generatim. §. 1. Altius diviniusque carminum, quibus immortale ac sanctissimum celebratur numen, esse initium, nemo facile negabit, qui primoribus saltem labris sacras unquam degustavit paginas. Quis enim est, qui nesciat, purissimos illos Spiritus, statim ac creati essent, in sui creatoris laudem cecinisse hymnos? Ipse Deus ad Jobum pronunciat, se diu ante ejus ortum sacris angelorum carminibus esse laudatum (Job. 38, 1**). Pariter apud Jesaiam, legimus, angelos concinuisse Deo trisagium (Jes. 6, 3). Homines postea, tanquam nobilissimum post angelos Dei opificium, divinas laudes carminibus amplificare coepisse, extra omnem controversiae aleam est positum. Hos autem originem cantus avibus, liquidissimum acuto gutture concentum naturae ductu fundentibus et audientium sensus incredibili voluptate demulcentibus, omnino debere***), teste Lucretio†) et Chamelione Pontico apud Athenaeum††) vero est simillimum. — §. 2. Avicularum igitur sono, quem edunt, modulato primi homines excitati beneficio imitationis cantando divinum numen summis sunt prosecuti laudibus nec est quod quispiam dubitet, sacris utut silentibus paginis, Adamum et Evam, in justitia et sanctitate creatos, Deum in paradiso terrestri celebrasse cantu†††). Quodsi enim in statu innocentiae degentes omnes scientias habuerunt infusas, musicae sane, quae voce profertur, fuerunt haud ignari. Adamum in eo procul omni dubio secutus est Abel, qui, holocaustum Deo offerens et ideo a Christo et apostolis appellatus justus†‡)

---

*) Prod. Viteb. 1720. 4.

**) ubi natio יָרֵן occurrit, quae cantum, clara atque sonora voce factum, denotat. v. *Seb. Schmidii Comment. ad h. l.*

***) *Eccles.* 12, 4. *Ps.* 104, 1. *Jes.* 13, 22.

†) *Lib.* 5: *At liquidas avium voces imitarier ore ante fuit multo.*

††) Lib. IX. p. 390 ait: *Τὴν ἔυρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι, διὰ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ἀδόντων ὀρνίθων, ὧν κατὰ μίμησιν λαβεῖν, στάσιν τὴν μουσικήν.* Cf. *Polyd. Vergilius de invent. rerum* 1, 14.

†††) Ad hoc probandum plures referunt locum Job. 38, 4 et Ps. 91, sed nullo fulti fundamento solido.

†‡) Ebr. 11, 4.

simul cantavit. Enochus porro dum coepit invocare nomen Domini *), inter omnes, quas instituit, Deum colendi ceremonias cantum certe non omisit. Nec Noachus, qui omnes artes, nepotibus tradendas, retinuerat, musicae forte est oblitus, quin potius facile sit creditu, eum ex arca egressum Dei benignissimi cecinisse laudes et cantando docuisse filios. Quocirca frustra et parum solide diligentissimus alias rerum naturalium indagator, Plinius **) maior et Diodorus Siculus ***) contendunt, suos, h. e. gentilium superstitioni addictos, esse artium inventores et quidem Amphionem invenisse musicam asserunt fabulose. — §. 3. Antiquissimum tamen et primum, quod literis est consignatum et nutu, providentiaque coelesti in instrumento veteri asservatum, certo certius est carmen viri Deo longe carissimi, Mosis, quod, quum ex Aegyptiaca servitute populum, qui nomen habet ab Israel, jussu divino liberasset, divisis maris rubri aquis, suisque illas sicco pede transeuntibus, Aegyptiis autem misere submersis in tanti beneficii recordationem Deo cecinit †), cui adjungitur alterum et ultimum (Deuteron 32, 1—43), quod idem paulo ante suum ex hac vita discessum divino instinctu excitatus condidit, in quo divinam justitiam aeque ac benignitatem, qua ipsum sibique concreditum populum summum numen est complexus, mirificis evehit laudibus. Praeterea eidem psalmus ordine nonagesimus, quem juxta tituli inscriptionem pro avertenda mortis violentae plaga confecisse et decantasse dicitur ††), nec non liber Jobi poeticus ex plurimorum Judaeorum consensu adjudicatur, cujus opinionis pondus et momentum, cum non sit instituti nostri, aliis relinquimus †††). Advertisse saltem hic juvat, veteres Graecos †*) vehementer falli, nescimus qua autoritate inductos, quando primos hymnorum inventores, sub nominibus Orphei, Homeri, Musaei, Lini, Callimachi, Procli etc. †**) obtrudere volunt, quos omnes Moses evidenter antiquitate pariter ac exellentia antecellit, suffragante Theodoreto †***), dum ait: ἦ ἀγνοεῖτε, ὅτι Μωυσῆς τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης πάντων ἐστὶ τῶν ὑμετέρων ποιητῶν καὶ ξυγραφέων καὶ φιλοσόφων πρεσβύτατος *†). — §. 4. Mosis morem, canendi Deo carmen,

*) Gen. 4, 26.

**) hist. nat. 6.

***) *hist. bibl.* 1.

†) Exod. 15, 1—19. Antiquius quidem excitare vult, *Mechilta* ad h. l. et *Targum*, *in cant. cant.*, quod Israelitae in Aegypto cantassent, fulti Es. 30, 29. sed quam insulse et contra Spiritus S. mentem, ex eodem statim oraculo patet.

††) *Hieron. ep. ad Cyprianum.*

†††) v. rationes, quas Hebraeorum magistri, et Bellarminus praesertim, ad id probandum, adhibent, apud *Mart. Chemnitium* in *Exam. Conc. Trident.* P. 1, p. m. 14. rejectae.

†*) v. *Diod. Siculus* p. 15. et *Plato de legibus* 2. p. 577.

†**) de hisce hymnographis v. *Coel. Rhodig. lect. antiq.* 19, 24. p. 1083. et *Vossius de poematum cantu* 5, 2.

†***) *Serm.* 2. περὶ ἀρχῆς p. 28.

*†) ne quid dicamus de hymnis Aegyptiorum (v. *Athen. Deipn.* 5), Arabum (v. *Pharajus in Hist. Dynast.*) Persarum, (*v. Brisson. de Pers. princip.* 2. p. 238.) qui Graecis omnino sunt antiquiores.

secuta est ipsius soror Mirjam, vaticinandi dono incluta, quae una cum populo suo ob felicem ex Aegypto exitum divinas decantavit laudes (Exod. 15, 20). Sub Samuele postea, qui collapsam ecclesiasticam pariter ac politicam feliciter instauravit gubernationem, hymnos in laudem Dei esse compositos, ex coetu prophetarum*), quorum erat musicam exercere, facile est conjicere. Deboram, quae, profligatis, duce Baracko, hostibus, eximiam condidit canticum (Jud. 5, 1—30), excipit rex ille potentissimus David, qui inter hebraeos hymnographos primas tenens non solum complures psalmos**) et hymnos (2. Sam. 22.), quibus innumera beneficia sibi collata celebravit divina, ipse elaboravit ac cecinit, verum ad excellentiorem etiam Dei cultum in aede sacra magnam constituit copiam cantorum, ex Levitis selectorum et in certas classes distributorum (1 Chron. 24, 5) quibus tres praerant moderatores, quo quilibet illorum ordo, dedicato sibi officio, per hebdomadam decenter satisfaceret***). Hujus successor Salomo pari excelluit gradu, in hymnis elaborandis, quorum quinque et mille†) dicitur cecinisse (1. Regg. 4, 32) ex quibus unicum, quod inscribitur שיר השירים, extat, biblico canone dignum judicatum, reliquis per tot aetatum injuriam deperditis. Hiskias porro, a morte sibi per Jesaiam indicta liberatus (Jes. 38, 20), Judith, occiso Holoferne atque redemta Bethulia (Judith. 16.), tres pueri nobiles in fornace Babylonica (Dan. 3.) canticis grates Deo persolverunt devotissimas, et quis omnes, quorum carmina et laudes in V. T. memorantur, recensere vellet††)! Hocque hymnorum studium in populo Dei nullo non tempore perseveravit nec cessavit, quin potius sub N. etiam T. primordium Zacharias in nativitate sanctissimi praecursoris ortum Servatoris brevi futurum praedicans (Luc. 1, 46), Maria, pro infinitis pene, quibus fuerat cumulata, beneficiis, gratias Deo referens, et Simeon, adducto in templum Jesu recens nato, summo inde delibutus gaudio, carminibus Deo canendis inclarucrint. Ipse salutis humanae recuperator, Christus, hunc Judaeorum morem, hymnos effundendi, retinuit, quando convivio paschali absoluto cum viris ex sua schola profectis canendo patris sui extulit laudes†††). Quem deinde, ut doctorem

---

*) 1. Sam. 10, 5. Ad h. l. ait *R. Dav. Kimchi, cum prophetia illorum erant cantica et celebrationes nominis divini.*

**) de quibus in sectione secunda.

***) v. J. A. Schmid *de cantoribus Ecclesiae V. et N. T.*

†) non quinque millia, uti Irenaeus 4, 45. Hieronymus *Quaest. hebr.* p. 402. et quaedam vulgatae interpretationis exempla falso docent.

††) cf. P. Lambecius *Comment. de Biblioth. Vindobon* 3. p. 379. ubi ex codice graeco sacra cantica apud veteres Christianos recepta affert.

†††) Matth. 26, 30. Qualis fuerit hic hymnus Christi, plures scire sunt curiosi cum Carolo M. imperatore, hanc quaestionem olim Alcuino proponenti, nulli tamen cum eodem vel *H. Grotio* consentimus, ac si Christus ipse hunc, ut novum, a se confectum, cecinerit, cujus contenta apud *Joannem* cap. 17. legi possent. Obstat enim concentus apostolorum, uno codemque tempore factus qui, si cantilena nova ipsisque ignota fuisset, nullatenus conjungi potuisset, ut ideo malimus sententiae *J. Buxtorfii* in Lex. Talmud. Rabb. p. 614. adhaerere, qua hymnum hunc paschalem septem psalmos, (a 113 — ad 118.) Hebraeis הלל הגדול dictos, comprehendisse rectius statuitur.

fulgentissimum, iterum ac saepius tum apostoli (Act. 16, 25., 1. Cor. 14, 26) tum primae aetatis Christiani in conventu quolibet sacro, in cantandis hymnis laudabili expresserunt imitatione, quod testimoniis tum christiani coetus hostium, utpote Philonis, Judaeorum scriptoris doctissimi*), et Plinii junioris**), quam primitivae ecclesiae magistrorum, qui *Patrum* nomine celebrantur, praesertim Eusebii***), probatissimis quam facillime fulciri potest†). — §. 5. Sicut autem ex jam adductis hymnis dilucide cognoscimus, eosdem non sola vocis modulatione, ferarum et cumprimis avium instar, sed certis ac distinctis verbis fuisse prolatos, ita pariter plurimos illorum, ligato et conciso dicendi genere, in memoriae subsidium aeque ac ardentioris pietatis excitamentum compositos, sumus persuasissimi. Nec causae est, cur cum Plinio††) de poëmatum origine magnam instituamus quaestionem aut eandem vel Aegyptiis vel Arabibus vel Graecis, pro quibus plures certant, vindicemus, ut potius hos posteriores interiturae poeseos dicamus restauratores, apud Hebraeos vero natales illius quaeramus. Simulac enim Dei verbum, quo nullum antiquius scriptum in rerum natura invenitur, locum adspexit, carmina, quae ligata constant oratione, statim occurrunt, cujus generis est Mosis et reliquorum. Magna tamen nunc exoritur circa naturam et indolem poëseos, quae hisce carminibus inest, disceptatio, quam ad metrum vel certam pedum dimensionem, Graecis et Latinis propriam, Josephus†††), Hieronymus†*) et F. Gomarus†**), reducere malunt, cui syllabarum Hebraearum, in nulla omnium Grammaticorum consensu coëuntium metra, aequalitas clarissime obstat, ut ideo *μέτρα καὶ ῥυθμοὺς* cum Philone†***) et Leusdenio*†) Hebraeis abjudicemus et vicissim Graecis atque Latinis haec cum arte

---

*) *de vita contemplativa* de Christianis: *Hymnos canunt*, inquit, *in Dei laudem, recens a se factos, vel pridem ab aliquo priscorum vatum, qui carmina et cantica multa ipsis reliquerunt.*

**) L. 10. ep. 97. ad Trajanum inquit: *Quod essent* (Christiani) *soliti, stato die ante lucem convenire carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem*, ad quem locum *Plinii* respexit *Eusebius* in hist. eccles. 3, 33, scribens, *ἐμήνυε δὲ καὶ τοῦτο, ἀνίστασθαι ἔωθεν τοὺς χριστιανοὺς, καὶ τὸν Χριστὸν Θεοῦ ᾄδειν ὑμνεῖν.*

***) Hist. eccles. 5, 28. *ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ, ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς, ὑπὸ πιστῶν γραφῆσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι, θεολογοῦντες.* Vid. Ignatius in *ep. ad Ephes.*, Tertullianus *in Apologet. contra Gentes.*

†) Extant et luculenta testimonia cantus Christianorum Constantini M. tempore et paulo post, a doctoribus ecclesiae memorata, quae collecta vide in J. A. Quenstedtii *Antiq. Bibl.* 4. p. 293.

††) *Hist. nat.* 3, 36.

†††) Archaeol. 7, 12. ex hexametris et pentametris carmina Hebraeorum constare asserit.

†*) *ep. ad Paullinum et prol. in Jobum* in morem Flacci Graecique Pindari et Alcaei, dactylos atque spondaeos tribuit Hebraeis.

†**) In *Lyra Davidica* ad modum odarum Pindaricarum, jambicis et trochaicis versibus conscriptarum, restringere conatur psalmos Davidis, cui *Capellus* pressius se opposuit.

†***) *Opp.* p. 178.

*†) *Ebr. Phil.* 7, p. 81.

conjuncta demum inventa. Rhythmorum pariter spurierum, in carminibus Hebraeorum sacris et antiquioribus, ad quos propter ὁμοιοτέλευτα sua alias natura lingua Hebraea est maxime proclivis, nulla habetur ratio, quicquid etiam multa data opera Th. Herbertus*), Jo. Clericus**) et B. Garofalo***) tentarunt, sed originis horum initia, ab Arabibus et pluribus occidentalibus trahimus populis, quos hodierni Judaei, cum plurimum ex suis contradictione in suis imitantur carminibus†). Vera igitur et genuina carminum sacrorum et imprimis Hebraeorum indoles in tribus consistit momentis, quorum prius est, ut *brevibus* constent *membris*, quae per accentus majores distinctivos ad sensum scopo et textui maxime congruum eruendum indicantur. Alterum dicitur *rhythmus*, non quem antea removimus, sed ex Suidae††) descriptione, *melodia* seu accommodatio ad musicam, ut potuerint illa carmina cantari, quibusdam syllabis tarde, aliis breviter pronunciatis, licet non sint sua tales natura, de cujus harmoniae ordine nobis hodie ob antiquam Hebraeorum musicam deperditam parum aut nihil certi constat. Tertium denique carminis Hebraei momentum est *stilus poëticus*, qui sublimis, allegoricus, hyperbolicus et quibuslibet figurarum luminibus illustris dicitur Buxtorfio†††), qualis in aliorum quoque populorum orientalium aeque ac occidentalium carminibus esse solet. — §. 6. Sed operae pretium est, ut ad modum et ordinem, canendi carmina, veteribus Hebraeis solennem pergamus, quem, utut ex excellentiori cultus divini, sacerdotum et Levitarum ope praestiti forma non vulgarem, sed maxime concinnum et artificiosum haud injuria suspicari queamus, tanto tamen temporum decursu et rerum vicissitudine deprehendimus obscurissimum, ut nil de eo solidi et certi nec ex Hebraeorum magistris†*) edoceamur†**), dolentibus id ipsum summopere Judaeis†***). Vero tamen simillimum est, primum istorum cantum fuisse simplicissimum et ideo absque dubio primo μονότονον h. e. uno tono constantem, quem postea, tum varia avium modulatione tum propriae naturae incitamento sensim instructi, septem distinctorum sonorum ac tonorum permixtione instituerunt, quousque grata existeret harmonia. Hancque prius per μονοδίαν, juxta quam tantum unus cecinit, sunt secuti, cui successu temporis συμφωνίαν, i. e., plurium simul concentum addiderunt*). Atque David

*) Libro peculiari de *Poetica Hebraeorum*.

**) *Bibl. Univers.* 9. p. 245.

***) *Poësia degli Ebrei e dei Greci* p. 21 ss.

†) *Abarbanel* enim ait, rhythmica et metrica hodie usitata carmina non esse usurpata in libris sacris, sed assumta ab Arabibus, his tamen esse praestantiora Hebraea. v. *Buxtorfii* Mant. p. 408. ss.

††) T. III. 269.

†††) in *Thesauro Gram.* p. m. 627.

†*) Joh. Lundius in Jüd. Heiligth. 4, 4. p. 745. et Buxtorf. l. c. p. 631.

†**) *Autor libri Cosri* 2. §. 130, Gersonis *Talm. I.* 26.

†***) *Maimonides* quidem existimat, Hilc. Teph. c. 7. §. 12. hymnos Davidicos ita esse lectos, ut fere cananatur.

*†) Hanc *Aelianus* notanter describit: Συμφωνία δέ ἐστι δυοῖν, ἢ πλειόνων φθόγγων, ὀξύτητι καὶ βαρύτητι διαφερόντων, κατὰ τὸ αὐτὸ πεῶσις καὶ χρᾶσις.

primus fuisse videtur, qui concentum ecclesiasticum sacrumve et ipsum quidem artificialem modulatumque in justum redegit ordinem, ut modo alta, modo pressa atque tono prönünciationis, modo contractiore, modo diductiore voce fuerit cantatum. Nullatenus tamen claves melodiae per notas musicales*), quibus nos utimur hodie, nec per psalmorum titulos, qui argumentum potius illorum, ut plurimum, afferunt, nec per accentus, judice Wasmutho**), sunt cantoribus, Levitis et aliis indicati, quales et in prosaicis occurrunt libris, qui tantum legantur (Act. 15, 21), nisi forte iisdem, ad distinctiorem inter cantandum sensum hauriendum, usos esse dixeris; sed ingenue potius confitemur, nos modulationes Hebraeorum carminum cum ignarissimis nescire***). Certius ex monumentis litterarum ss. cognoscimus, ordinem canendi per vices (alternatim) jam tum in antiquissima Hebraeorum gente viguisse, quam notio עמה, quae in canticis Mirjam (Exod. 15, 21), totius populi (Ibid. 32, 18., Num. 21, 17) Esrae (3, 11), et in aliis (1. Sam. 18, 6—7, 21, 11, 29, 5, Ps. 88, 1, Jes. 14, 10) occurrit, haud obscure indicat, et Paulus ipse dilucide confirmat, quando Christi nomen profitentes, ut ἑαυτοῖς cantent (Eph. 5, 19), serio adhortatur. Fabulis itaque annumeramus, quando Socrates †), de Ignatio, Antiochia episc., testatur, ipsum angelorum visionem vidisse, sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, et formam canendi in ea visione expressam ecclesiae Antiochenae tradidisse, unde ab omnibus reliquis recepta sit ††). Altior sane certiorque habetur fides Jesaiae, cui de Seraphim, stantibus super thronum et alternis vicibus canentibus, sublimis facta est manifestatio, quam deinceps fideles in antiquo foedere facile sequi potuerunt. Quod ad modum canendi, primo coetui Christo addicto receptum, attinet, illum sermoni fuisse propiorem ac cantui et primum obtinuisse, ut omnes simul una voce parique sono cantarent †††), postea alternis vicibus et vario modulationis genere per certas musicales notas sibi responderent, ex hist.

---

*) Quales hae fuerint, apud Graecos, Latinosque ac unde originem ducant, utrum a *Gregorio Papa*, an potius a *Guidone Aretino*, professione monacho, v. in J. A. Schmidii *diss. de Cantoribus V. et N. T.*

**) *in vindiciis S. Hebr. Scripturae*, 2, 2. p. m. 362. dissentientium rationes solide enervat.

***) quamvis R. *Benjamin Tudelensis* in itinerario Orientali p. 124. melodias veterum Hebraeorum apud R. *Eleasar Zemach* reperiri affirmaverit, ab aliis tamen Judaeis mendaciorum saepius est convictus. Cfr. Th. Gattackerus *adv. miscell.* 1, 10. p. 235. varios modulationis tonos utpote *acutum*, per עלמות h. e. *vocem virgineam*, *Ps.* 46, 1. *gravem* seu *bassum*, per שמינית Ps. 6, 2. *medianum* seu *contra tenorem*, per על-מות לבן, Ps. 9, 1. vel omnes junctim per שוגין designari posse autumat; lubricum tamen est hoc distinguendi tonos fundamentum, nisi clarius vel ex *Sacris* vel ex *Rabbinis* antiquioribus monstrari queat.

†) *Hist. eccl.* 6, 8.

††) Fabulae species aperitur a *Theodoreto* in hist. eccl. I. 24. p. 107. qui *Flaviano* et *Diodoro* primordium alternis vicibus in ecclesia Antiochena canendi tribuit.

†††) v. *Rittershusius Sacr. Lect.* 3, 21.

eccl. scriptoribus scite et exquisite J. Hildebrandus*) J. A. Quenstedtius**) et alii commonstrarunt. — §. 7. Cantum vero, vocis humanae beneficio factum, haud diu ab instrumentis musicis fuisse sejunctum, sed quam primum Jubal (Gen. 4, 21) varia, quae tum vento et aëre agitantur, tum chordis seu fidibus et nervis pulsantur, invenit et fabricatus est organa, eadem pariter hymnis decantandis adhibita si dixerimus, a veritate minime deflectemus. Tanto enim id libentius affirmamus, quanto plura vinculi hujus musicalis in sacris paginis extant exempla (Exod. 15, 20—21; 1. Sam. 18, 6) ex quibus unicum et praestantissimum Davidis producimus, qui, ut ipse instrumentalis musices erat peritissimus, ut iterata etiam vice coram rege Saule lyra sua et cythara nitidissimum confecerit concentum (1. Sam. 16, 23), ita pariter ex sapientissimo quodam instituto psalmos et hymnos suos, ad cultus divini excellentiam, variis organis cani jussit, quorum erant tria genera; alia, quae fidiculis distentis attactisque sonum ediderunt modulatum, *τὰ ψηλάφητα* Graecis nominata, quo referebantur נבל nabla s. lyra, עשור s. cythara, sambuca, minnim et שושנים s. hexachorda; alia *πνευματικά* s. inflatilia, נחילות, Hebraeis dicta, eo quod erant perforata et excurvata, a חלל perforare, qualia שופר s. buccina, קרן s. tuba curvata, ערגב s. organum, חליל s. tibia, מחלה s. chorus; alia denique *κρούστικα* s. pulsatilia, quae aut bacillis plectrisve caedebantur, aut manibus digitisve attrectabantur, qualia תוף s. tympanum צלצל s. cymbalum, מצלתים s. tintinnabula, de quorum singulorum materia et forma, ne hic prolixe agamus, Ch. Weidlingius***) et M. H. Reinhard†) nobis otia fecerunt. Horum tamen instrumentorum suavissimam cum musica, quae voce profertur, *συμμετρίαν* s. conjunctionem comprobant nonnulli psalmorum tituli, מזמור שיר s. *ψαλμὸς ᾠδῆς*, *psalmus cantici*, et שיר מזמור s. *ᾠδὴ ψαλμοῦ*, *canticum psalmi*, saepius in psalterio inscripti, qui neutiquam pleonasmum aut synonymiam, uti pluribus est visum, eruditissimis etiam philologis††) ineludunt, sed ex Jo. Gerhardi†††), Ch. Sonntagii†*) et Th. Dassovii†**) sententia, cum summo verosimilitudinis gradu, omnium optime ita sunt concipiendi, ut *psalmus cantici* dicatur psalmus, ubi primo organa praeirent et voces alternatim canerentur†***), e diametro *canticum psalmi*, ubi vocibus praelatis caneretur, ita quidem ut in singulis versiculis decantandis, alternatim voces

*) *In Sacris publicis vet. eccl.* p. m. 64.
**) *In Antiquitatibus bibl. eccl.* p. 413. §. 7.
***) in *dissert.* de *Hebraeorum instrum. mus.* Lips. 1686. 4.
†) De eadem materia Vitemb. 1699. 4.
††) Glassius in *Phil. S.* 3, 1. *canone* 32. eo illos voluit referre titulos, latere tamen in illis simul emphasin negare nequit.
†††) In *annot.* ad ps. 31.
†*) in *titulis psalmorum* p. 318. §. 5.
†**) In *annot. ad psalmum* 61, 1.
†***) Huc facit locus *Homeri Odyss. α.* 158. et *θ.* 266.
Ἦτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν.
Videlicet ille cytharoedus coepit ore canere, prius enim cytharam pulsabat, deinde canebat. cf. *Plin. hist. natur.* 7, 26.

praeirent et organa sequerentur*), quamvis ipsi Hebraeorum doctores differentiae hujus rationem se ignorare agnoscant. Atque haec musices cum vocalis tum instrumentalis copula, a Davide concinne ordinata, per Salomonem, Josiam reliquosque pietate conspicuos reges nunquam non in Hebraeorum gente sancte fuit observata, donec republica illorum collapsa et penitus destructa utraque simul deperierit musica. Enimvero coetus, Christo nomen dantes, in primis seculis instrumenta musica cum voce recepisse nolimus affirmare, quo certius habeamus, ex unanimi veterum doctorum consensu musicam instrumentalem ad tempora usque Constantini M. in sacris fuisse improbatam; praesertim id autor, apud Justinum Martyrem**) testatur, ajens: *In ecclesiis non usus carminum per ejus generis instrumenta et alia insipientibus****) congruentia receptus est, simplex cantio in eis manet.* Utut autem, ob perpetuas, quibus agitabantur veteres Christiani, persecutiones in sacris eorum publicis nulla potuerint adhiberi organa musica, minime tamen iisdem omnimode interdicebantur, ut potius cujuslibet christianae fuerit concessum libertati, instrumentis privatim, si fieri potuerit, delectari musicis, in quo Clementem Alex.†), Prudentium††), alios habemus suffragantes. — §. 8. Ad diversitatem temporum et locorum, quibus veteres Hebraei pariter ac Christiani carmina Deo cecinerunt, deproperamus, quam si ad vivum resecemus, ingenue fatendum est, iterum ac saepius hymnos antiquitus fuisse decantatos. Sic animadvertamus necesse est, in sacris, praesertim publicis veterum solennem fuisse carminum usum. Sicuti enim Hebraei, frequentioribus Davidis monitis excitati (Ps. 33, 3; 68, 5; 81, 2; 98, 4; 147, 7; 149, 3; 150, 3—5), modo in arca foederis modo in templo, quod Hierosolymae erat extructum, nitidissimo hymnorum vero Israelis Deo canendorum fuerunt studiosissimi, ita pariter primi sacramento Christi adacti, in conventibus suis sacris, cum singulari quodam pietatis studio, Justini†††), Augustini†*), aliorum testimoniis, preces cum hymnis in laudem Dei benignissimi conjunxerunt†**), ut adeo *Quacke-*

---

*) Quod confirmare videtur in psalmis saepius obvia, aeque ac obscura vox סלה, quae, aliis compluribus significatibus sepositis, signum fuisse musicum nonnullis dicitur, quo musicae instrumentalis periti sunt admoniti, ut vocibus responderent organis.

**) *Quaest.* 107.

***) Per quos sub antiquo foedere viventes connotat.

†) *Paedag.* 2, 4.

††) In *Apotheosi*, adversus Judaeos, canens:

Christum concelebret, Christum sonet omnia, Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.

†††) In *Apolog.* 2 ait, Christianos Deo ὕμνους πέμπειν ejusque rei magistrum habere Jesum Christum.

†*) *Epist.* 19. dicit: *Ab ipso Christo et apostolis nos habemus ejus rei et exempla et documenta, ut scilicet psalmis, hymnis et canticis spiritualibus in publico coetu celebremus Dominum.* Vid. Clem. Alex. *Protrept.* p. 3. Ant. v. Dale *in antiquitatibus ex marmore descriptis* diss. 7. p. 557 ss.

†**) Ne quid, de gentilium hymnis in sacris dicamus, quorum alii erant κλητοί, in gloriam deorum, alii ἀπομπαῖοι, in reconciliationem eorum; priores Romanis dicuntur *indigitamenta*, posteriores *averruncatoria*.

rorum et aliorum spirituum tetricorum ineptias, quibus cantiones veteri ecclesiae esse adversissimas ideoque ex coetu exulare debere sacro contendunt, statim spernamus. In funere porro carmina fuisse olim adhibita et decantata, sine ulla dubitatione affirmamus, quo evidentius ex sacris intelligitur, Davidem in morte Saulis et Jonathanis nec non Abneri (2 Sam. 1, 17; 3, 33.), Jeremiam in morte Josiae (2 Chron. 35, 25.), totum populum mortuo Maccabaeo Juda (1 Macc. 9, 20.) carmina decantasse funebria. Qui mos, diutina usurpatione firmatus, ad christianae ecclesiae primordium et ulterius penetravit, prout ex Matth. 9, 23. Prudentio *), Augustino **) etc. licet cognoscere. — §. 9. Perantiqua tandem consuetudine fuit receptum, carmina in conviviis, praesertim solennioribus, in honorem divini numinis modulata voce proferre. Replicantes autem originem illius moris, nulli eandem vel Graecis vel Arcadibus vel Lacedaemoniis repetimus, sed absque ullo lapsus et prolapsionis periculo antiquae Hebraeorum genti damus. His enim in sacris ***) aeque ac profanis epulis canendi psallendique fuisse consuetudinem propriam, innumera V. et N. T. oracula sunt documento (Ps. 69, 13; Jes. 24, 9; Amos. 6, 5. 6; Luc. 15, 25.). Inprimis Siracides (32, 7—9; 40, 20; 46, 1—3.) illius evidenter meminit, cum cantum in conviviis, ceu summum illorum ornamentum, mirifice commendat, unde quilibet saniorum Judaeorum sive accumbens sive a coena surgens hymnos quosdam cecinisse legitur, a quo praeclaro sapientique ordine Christus quoque non videtur abhorruisse, quando post coenam paschalem illa nocte, qua traditus fuit, una cum apostolis hymnum decantavit (Matth. 26, 30.). Hic postea ritus ad alias pariter paganas manavit gentes, adeo ut Arcades et Lacedaemonii apud Athenaeum †), Graeci apud Homerum ††), Romani apud Ciceronem †††) Deorum suorum hymnos alta voce in suis symposiis cecinisse memorentur, παιανικὰ et σκόλια appellatos, hoc tamen ordine, ut quilibet conviva, cui poculum, quod postea ὦδον vocarunt, et myrti ramus propinabantur, partim fidibus partim voce pulchram quandam cantilenam in honorem Apollinis et Dianae proferret in medium et idem a vicino postularet. Nec forte absque solida, qua instigabantur, ratione et causa tanti hujus moris fuerunt aestimatores, sed facile est probatu ex ipso Athenaeo, priscas illas gentes ad temperandos convivarum mores et perniciosam evitandam temulentiam hunc canendi ritum recepisse. Cujus sapientis consilii rationem pariter habuerunt antiqui christiani nominis professores, ut in conviviis a caritate ἀγάπαι nuncupatis, ne vel ebrietate vel crapula vel obscoenis scurrilibusque jocis

*) In *funere Romani docta mulier e psalterio hymnum canebat.*

**) *In exequiis* matris suae Monicae episcopum Evodium ps. 101. cecinisse dicit.

***) Qualia instituebantur in festis agni paschalis, pentecostes, tabernaculorum, encaeniorum s. dedicationis templi.

†) *Deipnosoph.* 14. p. m. 665.

††) *Odyss. α et θ.* ubi cytharam nominat δαιτὸς ἑταίραν.

†††) in *Bruto* ait, carmina in epulis esse cantata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus.

Deum sanctissimum offenderent atque sibi aut aliis scandala darent, sacris Deum trinunum carminibus celebrare Tertulliano*), Clemente Alex.**), Chrysostomo***), Cypriano†) testibus pie studerent. — §. 10. Ad convivalem hujusmodi cantum Paulus videtur alludere, Eph. 5, 19. et Coloss. 3, 16. Quemadmodum enim fideles V. T. plerisque sacrificiis laeta adjungebant convivia††), ita pariter recens facti Christiani cum coena Domini epula caritate plenissima†††) conjungere solebant, in quibus, ne luxui se darent et more gentilium bene poti ac mero madidi vanis et carnalibus cantilenis oblectarent, sed repleti spiritu et ex intimo atque pio cordis affectu carmina Deo immortali canerent sacra, suavissime admonet. Luculentam autem in hac admonitione trium in conviviis adhibendarum cantionum, utpote ψαλμῶν, ὕμνων et ᾠδῶν πνευματικῶν, injicit mentionem, quibus non idem hymnorum genus significasse Paulum, sed justo ac melius discrimen aliquod respexisse, sectione insequenti exponemus.

II. De psalmorum, hymnorum et odarum sacrarum discrimine. §. 1. Multo nunc patentissimus profecto disserendi campus nobis aperitur, quando in oraculis nostris Paulinis carmina in honorem Dei decantanda tribus notionibus, ψαλμοῖς, ὕμνοις et ᾠδαῖς πνευματικαῖς, appellari pariter ac solide distingui explicare conamur. Sicut enim absque ullo dubio apostolum, damnato gentilium silentio, quo deos suos iratos conciliari, honorari, evocari et conviviis interesse vana superstitione ducti saepius credebant†*), Christi fidem professos ad hymnos, sonora voce et devoto beneficiorumque memori animo Deo canendos, excitare voluisse, fatentur omnes, ita vicissim magna inter eruditissimos etiam viros de modo, tres illas notiones, a septuaginta interpretum versione, uti Seb. Schmidio videtur†**), petitas, distin-

---

*) *Apolog.* c. 39. *Post. aquam*, ait, *manualem et lumina, ut quisque de scriptura sacra vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium, Deo canere; hinc probatur, quomodo biberit.*

**) *Stromat.* 1, 7. p. 728: θυσία τῷ Θεῷ ψαλμοὶ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑστίασιν, πρὸ τε τῆς κείτης· idem *Paedagog.* l. 2. c. 4. p. 165: καὶ παρὰ πότον καθήκει ψάλλειν τῷ Θεῷ τῶν αὐτοῦ μεταλαμβάνοντας κτισμάτων.

***) in Ps. 42: ἐπειδὰν ὡς τὰ πολλὰ ἐν συμποσίοις ὁ διάβολος ἐφεδρεύει μέθην καὶ ἀδηφαγίαν, ἔχων συμμαχοῦσαν αὐτῷ καὶ γέλωτα ἄτακτον καὶ ψυχὴν ἀνειμένην, μάλιστα τότε δεῖ καὶ προ προπέζης καὶ μετὰ τράπεζαν ἐπιτειχίζειν αὐτῷ, τὴν ἀπὸ τῶν ψαλμων ἀσφάλειαν καὶ κοινῇ μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν παίδων ἀναστάντας, ἀπὸ τοῦ συμποσίου, τοὺς ἱεροὺς ᾄδειν ὕμνους τῷ Θεῷ.

†) in *epist. ad Donatum: Nec sit vel hora convivii gratiae coelestis immunis, sonet psalmos convivium sobrium.*

††) Franzius *in Schola Sacrif. Disp.* 13. et Surenhusii *Misna in Codice* חמיד c. 7. §. 3.

†††) ἀγάπαι enim erant caritatis tesserae, quas ditiores, panem, vinum, pecunias conferentes, in pauperum gratiam edebant, quibuscum discumbebant, absentibus vero portionem mittebant.

†*) quomodo silentium hoc ab hebraeis sacris ad gentilium cultum divinum traductum fuerit, ne hic simus prolixi, v. S. Deyling. in *Observ. sacr.* 3. p. 344 sqq.

†**) in *Comment. ad Coloss.* 3, 16.

guendi exoritur dissensio. Complures sunt nostratium et Calvinianorum, qui difficultatem harum cantionum discriminis cum Augustino*) probe advertentes generalem quidem admittunt distinctionem, specialiorem vero et in re fundatam posse inquiri et in medium afferri aut plane ambigunt**) aut minus necessarium, ex ipso apostoli scopo***), judicant; sufficere scire, Apostolum sub illis notionibus omnes cantionum species, quocunque veniant nomine, conjungere nec tam sollicite distinguere voluisse. Clericus†) autem cum Clemente Alex.††) et aliis recentioribus immensam modo discriminis cantionum esse offusam noctem sentiens et ignorantiae latibulum quaerens, asserere non veretur, Paulum nullum plane attendisse discrimen, sed tribus idem verbis significasse. — §. 2. Atqui nec Clerico nec aliis otiosum plenasmum in oraculo nostro concedamus, sed Paulum, notiones *ψαλμοὺς*, *ὕμνους* et *ᾠδὰς πνευματικὰς* omnino discrevisse, ex instituto ostendamus necesse est. Quod si enim idem apostolus in alio oraculo, quo ad praecipuam aeque cultus divini partem, quae in precibus ad Deum fundendis consistit, instantissime adhortatur (1 Tim. 2, 1.), discrimen illarum respexisse communi Theodoreti, Augustini, Lutheri aliorumque suffragio dicitur, ita quidem, ut *δεήσεις* existiment esse deprecationes ad avertenda mala, *προσευχὰς* bonorum, quibus indigemus, petitiones, *ἐντεύξεις* intercessiones, quibus aliorum incolumitatem et salutem benignissimo commendamus numini, *εὐχαριστίας* tandem gratiarum actiones, pro Dei beneficiis sive nobis sive aliis exhibitis, quid impedit, quo minus tres pariter cantionum species distinctas ponamus? — §. 3. Minime tamen omnium valet ratio distinguendi has cantiones a Theophylacto†††), Oecumenio†*), Chrysostomo†**), hujusque Scholiaste†***), allata, atque ab excellentia, qua psalmos, antecedant hymni, petita, quasi psallere sit hominum, *ὑμνεῖν*

---

*) in *Enarrat. in ps.* 3. dubitans ait: *utrum autem omne canticum psalmus sit, an potius omnis psalmus canticum, an sint quaedam cantica, quae non possint dici psalmi, et quidam psalmi, qui non possint dici cantica, quaeri potest. Sed animadvertendae scripturae sunt, ne forte canticum laetitiam indicet, psalmi autem dicantur, quae cantantur ad psalterium, quo usum esse Davidem prophetam in magno mysterio prodit historia; de qua re non est hic disserendi locus, quia inquisitionem et longam disputationem desiderat.*

**) *S. Schmid* c. l. C. Calvoerius *in Rituali Ecclesiast.* 2, 5, 2. p. 638, ait: *quomodo autem differant illae tres species cantionum, varii varie statuunt, nec facile quid certi hic posueris, simili fere modo, quo apud Hebraeos vera ratio inscriptionum Davidis psalmorum numeranda inter deperdita.*

***) Coccejus in *comment.* ad Eph. 5, 19. *Schomerus* ad Col. 3, 16.

†) in *notis* quas Hammondianis adjecit ad h. l.

††) *Paedagog.* 2, 4. p. 565, *ὁ ψαλμὸς ἐμμελὴς ἐστὶν εὐλογία, καὶ σώφρων ᾠδὴν πνευματικὴν ὁ ἀπόστολος εἴρηκε τὸν ψαλμόν.*

†††) *Theophylactus* quidem ad h. l. synonymicas has voces esse judicat, sed minus recte.

†*) *Comment.* ad Coloss. 3, 16.

†**) ad h. l. *ὁ δὲ ὕμνος τοῦ ψαλμοῦ ἁγιότερος· αἱ γὰρ ἄνω δυνάμεις ὑμνοῦσι τὸν Θεὸν, οὐ ψάλλουσι.*

†***) ad h. l. *οἱ ψαλμοὶ πάντα ἔχουσιν· οἱ δὲ ὕμνοι πάλιν οὐδὲν ἀνθρώπινον.*

vero angelorum. Ne quid de tertiae cantionis specie, odarum nempe sacrarum, quarum nullum plane a reliquis constituunt discrimen, silentio hic commoneamus, sufficiat, annotasse lubricum huius opinionis a doctoribus antiquis excogitatae fundamentum inde dignosci, quod omni ex parte sacrarum litterarum contradicat usui. Utraque ipsis concedimus manu, puros illos spiritus, ex studio, quo feruntur, Deum ut creatorem sapientissimum colendi, plane singulari, laudes divinas cantu celebrare continuo, confirmantibus id ipsum clarissime multis scripturae divinioris monumentis (Ps. 3, 20; 148, 2; Jes. 6, 3; Luc. 2, 14.); nunquam tamen nobis inde probabunt, solis angelis Dei, quae fit hymnis, praedicationem tribui. Sicut enim homines aeque ac angeli, habita naturae, qua beneficio creationis gaudent, excellentis ratione, summis Deum evehere laudibus, ex ipsius conscientiae stimulis sunt obligati, ita pariter in pluribus utriusque foederis oraculis homines Deo cecinisse hymnos*) memorantur. Absque omni igitur dubio Patres illos falsus de voce ψάλλειν fefellit conceptus, quo, dum illa modulamen per instrumenta musica denotat**), fuere persuasi, de angelis ceu omnis materiae expertibus tale non posse dici hincque ipsis eo solidius alterum, τὸ ὑμνεῖν, quod laudes alicujus decantare carmine significat, vindicari. Quandoquidem vero modus canendi angelis proprius, si verum dicere velimus, difficilior est intellectu, nil de eo proprio nobis praesumere licet ingenio, nisi quem sacer codex delineat, qui angelorum cantum vocibus εὐλογεῖν et αἰνεῖν, nequaquam vero ὑμνεῖν exprimit. — §. 4. Aeque infirmo nititur talo discrimen harum cantionum, ab inscriptionibus psalmorum Davidis derivatum, quo P. Tossano***), Th. Gattackero†) una cum aliis difficultatem nostri oraculi posse tolli videtur. Sicut enim, in libro psalmorum, notiones מזמור s. ψαλμός, שיר s. ᾠδή, et conjunctim שיר מזמור s. ᾠδὴ ψαλμοῦ, atque vicissim מזמור שיר s. ψαλμὸς ᾠδῆς, nec non מזמור שיר בנגינות s. ἐν ὕμνοις ψαλμὸς ᾠδῆς, sub initium variorum psalmorum reperiuntur inscriptae, quas diversi quid innuere facilis esse potest conjectura, ita ad easdem apostolum hic sine dubio respexisse autumant. Quamvis igitur, de harum inscriptionum θεοπνευστίᾳ s. inspiratione cum pluribus antiscripturariis frivole dubitare nolimus nec audacter infitias ire queamus, notiones illas: ψαλμοὺς, ὕμνους et ᾠδὰς πνευματικάς, ex LXX interpretum versione desumtas videri, apostolum tamen ad illa solum carmina, quae in psalterio collecta reperiuntur, diversa allusisse, ipsius Pauli scopum ac mentem aequa ponderantes lance, penetrare nondum potuimus, sed ipsum aliorum pariter canticorum, libro psalmorum non inclusorum, sive fuerint singulari spiritus di-

*) *Paulo et Silae*, Act. 16, 25. *Christo et apostolis* Matth. 26, 30. Marc. 14, 26. Hebr. 2, 12. τὸ ὑμνεῖν tribuitur, ut silentio LXX. interpretum loca, in quibus eandem notionem de hominum canticis adhibent, praetereamus.

**) ψάλλειν apud Henr. Stephanum *in Lex Graeco* p. 694 notat, ἐπὶ τῶν χορδῶν τῆς λύρας, ἀπὸ τοῦ ψᾶ, τὸ προσεγγίζω, καὶ ψαίω διὰ τὸ διὰ δακτύλων ἐπιψαύειν αυτῶν.

***) in *Animadv. Germ.* ad h. l.

†) in *Advers. miscell.* 1, 10.

vini illuminatione confecti, sive ab aliis viris, piis atque sanctis excogitati, habuisse rationem, prolixius infra docebimus. Accedit, quod vera plurimorum psalmorum ἐπιγαφῆς s. inscriptionis causa, fatentibus R. Dav. Kimchio *), et C. Calvoerio **), inter deperdita numeretur et ideo vera et genuina τῶν ψαλμῶν ex titulis eorum significatio sit valde obscura et explicatu difficilis ***). — §. 5. Nec firmior est distinguendi haec Pauli cantica ratio ab argumento et materia, quam tractant, accersita, cujus Hieronymus in comment. ad h. l. primus extitit patronus, putans, ψαλμοὺς, quibus Hebraeorum vox מזמורים respondeat, proprie ad locum pertinere ethicum, ut per organum corporis, quid faciendum quidve vitandum sit, noveris; *hymnos*, Hebraeis תהלים, in genere esse eos, qui fortitudinem et majestatem Dei praedicant ejusdemque semper vel beneficia vel facta mirantur, quo omnes spectent *psalmi*, quibus תלויה praepositum vel subjectum sit, qui vero de superioribus disputet et concentum mundi omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserat, istum *spirituale* canere *canticum*, cui sententiae A. Marloratus†), D. Knibbe††) et F. J. Lütke†††) non parum favere videntur. Levitas autem hujus distinctionis vel inde cognoscitur, quod ista contra interiorem Pauli, uti jam antea monuimus, mentem, falso ex psalmorum tantum libro derivetur hacque mediante voces ψαλμοὶ, ὕμνοι et ᾠδαὶ, illic saepius obviae, significatu coarctentur, ut formae dicendi, qua Spiritus utitur divinus, latius mananti ac dominanti ore contradicatur aperto. A. Calovius†*) cum Fr. Gomaro†**) jam tum ex creberrima notionum istarum observavit usurpatione, laxiori illas significatu sumi et promiscue ita inter se permisceri, ut *psalmi* non sint tantum paraenetici, verum etiam eucharistici et prophetici et vicissim *odae* sistant adhortationes, doctrinas, dehortationes et reprehensiones, quod pariter *de hymnis* sedulus sacri codicis lector annotabit. Quando porro nonnulli, ratione materiae ψαλμοὺς et ᾠδὰς ita discernunt, ut illi dicantur de laetis rebus et usui primi templi Hierosolymitani dicatis, hae de tristibus materiis et in templo secundo cantatis, tunc quilibet statim observabit, opinionem hanc argumentis solidis esse destitutam et ab usu notionum in sacris promiscuo refelli. — §. 6. A vero pariter abludit discrimen, a forma harum cantionum diversa petitum, vi cujus psalmi, ἀπὸ τοῦ ψάλλειν dicti, denotant cantiones metricas, in quibus decantandis praeter linguam adhiberi solent musica etiam instrumenta, ex quibus eminet ψαλτήριον †***); *hymnos* postea volunt esse

---

*) *Praef in psalmos* dicit, non constare nobis, quale discrimen sit inter nomina psalmorum initialia.

**) in *Ritual. Eccl.* 2, 5. p. 622. §. 1.

***) vid. J. H. Hottingeri *Thesaurus Philolog.* 2, 1. §. 7. p. m. 492.

†) *in expos. eccl. in epist. ad Ephes.* 5.

††) *in comment. ad Coloss.* 3, 16. p. m. 532.

†††) *in comment. ad Coloss.* 3. p. m. 905.

†*) *in comment. ad Ephes.* 5. p. 722.

†**) *in explic. ad Coloss.* 3. p. 573.

†***) quod *Nicetas* ex *Athanasio* (T. 2. Opp. p. 511.) ita describit: ἔστι τὸ

cantica, laudes et praesertim Dei continentia, sive sola lingua atque sonora voce edita, sive adhibito instrumentorum musicorum concentu; *odas* denique esse succincta cantica, non tantum laudes, sed adhortationes etiam et alias res sacras complectentia, voce tantum et lingua decantata, quam opinionem cum Basilio M.*), qui primus hanc excogitasse fertur, Gregorio Nyss.**), Euthymio Zygabeno***), Nic. Hemmingius†), Pasor††), Zanchius†††) tuentur atque sustinent. Enimvero distinctionem illam assertam in sacris esse perpetuam nec vicissitudinem formae in tribus illis cantionum speciebus saepius fieri, cum Fr. Gomaro et Mart. Geiero†*) nulli possumus negare, utut lubentes concedamus, potissimum *psalmorum* formam, in *cantu cum instrumentis musicis conjuncto* consistere, rarius tamen eandem sub solo vocis cantu sisti, ab apostolo ipso (1 Cor. 14, 15.) edocemur. Nec dissimulare possumus, שִׁיר s. ᾠδήν, compluries quamvis cantum assa voce factum connotet, passim tamen eum nervis atque organis, consona voce, tam vocali, quam instrumentali decantari solitum carmen indicare (2 Chron. 7, 6; 34, 12; Neh. 12, 36; Apoc. 14, 3; 15, 3.), — §. 7. Quapropter spretis distinguendi ab argumenti et forma rationibus Hugo Grotius†**), Beza†***), Fungerus*†) aliam atque novam plane harum cantionum distinctionem sua mentis sagacitate ex tenebris quasi eruere tentarunt, quam in modo elaborandi collocarunt diverso, ita quidem ut censeant, psalmos vocari illa carmina Davidis et aliorum, cujusvis argumenti; hymnos extemporales Dei laudes, ex occasione natas nullisque numeris adstrictas, cujus generis sint Deborae, Annae, Zachariae, Mariae et apostolorum, qui extat Act. 26, 25; odas tandem praemeditata carmina et magis ex arte elaborata, sub-angustiori forma, quam psalmos et hymnos. Sed qui paulo penitius cum Calovio**†), modum carminum excitatorum inquisiverit, facile observabit, non satis causae esse, cur hymni ab odis ita distinguantur, ut illi extemporales,

---

ψαλτήριον ὄργανον μουσικὸν δεκαχόρδον ἐκ των ἄνωθεν μερῶν τῆς κατασκευῆς ἀποτελοῦν τὸν ἦχον, ἐναρμονίως τοὺς ψδόγγους πρὸς τὴν ἐκ τῆς φωνῆς μελῳδίαν ἀπόδιδον. παρὰ μεν Ἑβραίοις Ναῦλα λεγόμενον, παρ' Ἕλλησι δὲ Κυθάρα ὀνομαζόμενον.

*) in ps. 29. T. 1. p. 187: ὁ ψαλμὸς, inquit, λόγος ἐστὶ μουσικὸς, ὅταν εὐρύθμως κάτὰ τοὺς ἁρμονικοὺς λόγους πρὸς τὸ ὄργανον κρουῆται. Ὠδὴ δὲ φωνὴ ἐμμελὴς ἀποδιδομένη ἐναρμονίως χωρὶς τῆς συνηχήσεως τοῦ ὀργάνου.

**) in tr. 2. in Psalm. c. 3. T. 1. p. 295: ψαλμὸς ἐστὶν ἡ διὰ τοῦ ὀργάνου τοῦ μουσικοῦ μελῳδία. ὕμνος ἐστὶν ἡ ἐπὶ τοῖς ὑπάρχουσιν ἡμῖν ἀγαθοῖς ἀνατιθεμένη τῷ Θεῷ εὐφημία.

***) in *praef.* ad *Psal.*: Ὠδὴ δὲ φωνη τις μουσικὴ τε καὶ ἐναρμονίως ἀπὸ μόνου στόματος.

†) in *comment. ad h. l.* p. m. 435.

††) in *Lex. graec.* lat. p. m. 1724.

†††) Opp. T. 6. *comment.* ad h. l.

†*) in *comment.* ad ps. 29, 11.

†**) *in not.* ad Matth. 26, 30. et ad h. l.

†***) ad h. l.

*†) in *Lex. Phil.* s. v.: psalmus. p. 641.

**†) in *comment.* ad h. l.

hae praemeditatae appellentur, unde opinionem illam esse incertam Schüzius*) cognoscens motus est, ut ex aliquot carminum V. et N. T. collectione contrarium assereret et hymnos praemeditata atque magis artificiosa carmina, odas autem ex tempore et pro re nata diceret facta. In neutram tamen utriusque opinionis trahimur partem, nisi certius ex sacris possit subjungi fundamentum. Nec applaudimus Jo. Coccejo**), qui, has pariter cantiones ratione modi ita divellit, ut aliam esse ligatam orationem s. carmen, aliam modulata voce, aliam simul cum instrumento cani judicet, quae vero distinguendi ratio, cum psalmis itemque hymnis et odis competere simul possit, uti supra est ostensum, confusionem magis quam distinctionem parit. — §. 8. Ad veritatem propius videtur accedere discrimen, quod in Pauli citatis cantionum speciebus nonnulli ex nostratibus, nempe C. Sonntagius***) et A. Rechenbergius †), itemque ex *Reformatis* Calvinus ††), Musculus †††), Rivetus †*), alii monstrare satagerunt, opinati, odas, quas apostolus ultimo posuit loco, esse generale nomen, quod psalmos atque hymnos, ceu species, comprehenderet. Nulli sane negare possumus, multa in V. T. carmina sub voce שיר s. ᾠδή reperiri, quae varium pariter exhibent argumentum, collatione tamen horum cum canticis, quae inscribuntur psalmi, facta simul advertitur, parem, ni majorem in sacris dari cantionum numerum, quae titulo מזמורים s. ψαλμῶν insigniuntur, inde, inverso plane ordine, Fr. Gomarus, Is. Vossius procedentes, suspicati fuerunt, psalmos genus in hoc apostoli loco denotare s. cantiones sacras quasvis, tam sola voce quam organicas, atque horum psalmorum duos declarationis causa adjungi modos: hymnos, quibus celebramus Deum, et odas, quae vox, quamvis sit generalis, sua natura et usu, ratione tamen circumstantiae, vocum conjunctarum etc. restringatur. — §. 9. Tutius igitur ac confirmatius est, opiniones, documentis dubiis aeque ac incertis laborantes, facere missas et melioris, quam Paulus observat, institutionis ac evitandae pertnrbationis causa, tres cantionum species, per ψαλμούς, ὕμνους et ᾠδὰς πνευματικάς indicatas, seorsim distincteque considerare et acutius discernere. Firmissimam vero ex contextu orationis distinguendi rationem sic fieri omnium optime posse videtur, ut ψαλμοί Paulo dicantur carmina, quae in libro psalmorum (Luc. **24**, 44; Act. **1**, 20.), Hebraeis ספר תהלים nominato, contineantur. Sicuti vero haec in coetu Hebraeorum sacro ex Davidis hujusque successorum institutione, tum quolibet, quo offerebantur sacrificia, die (1 Chron. **17**, 37.) tum quovis sabbato †**) aliisque solennioribus festis †***) sunt

---

*) in *apparatu bibl. tom.* 4. p. 297.
**) in *comment.* ad h. l.
***) cit. l. 546.
†) in *Hiero-Lexico*, p. 1332.
††) ad h. l.
†††) ad h. l.
†*) in *comment. ad exod.* c. 15, 1. p. 361.
†**) vid. *Maimonides* in Thacid. 1, 6, conf. *Lundius* l. c. p. 1940.
†***) v. g. חלל in paschatos festo, v. *Talmud in Tr. Middoth* c. 2. §. 5.

decantata, ita pariter eadem a Christi nomen recens professis in novo foedere, ut ex intimo cordis affectu in honorem Dei veri porro canantur, apostolus studiose monet. Cui monito, quomodo primae aetatis Christiani gesserint morem, ex 1 Cor. 14, 26 *), Justino **), Tertulliano ***), Eusebio †), Chrysostomo ††), Basilio †††), Augustino †*), Isidoro Pelusiota †**), aliis instruimur clarissime. — §. 10. Nec est absonum dicere, quod psalmi hi, vi etymi atque usus apud Hebraeos sacri, in primitiva pariter ecclesia cum musicis instrumentis sint decantati. Videtur nobis obstare, quod 1 Cor. 14, 15. legimus, ubi, dum ψάλλειν ad mentem solam refertur, cantus non externus cum instrumentis, sed internus cum ideis sacris conjunctus connotari potest, itemque primorum et antiquiorum doctorum coetus christiani de instrumentis musicis, in sacris adhibitis, silentium, psalmis licet saepius voce modulata prolatis, nostro minus favet sperto. At quamvis, tum propter persecutiones et odia gentilium in Christianos, tum propter profanum organorum musicorum, in ethnicorum turpibus ac sordidis theatris atque sacrificiis usum, per prima quatuor secula ex congressibus sacris musica exularit instrumentalis, hanc tamen privatim et in conviviis veterum Christianorum non simul viguisse, solide nunquam evinci poterit. Ipse apostolus, qui in nostro loco, de epulis, a caritate nomen habentibus, agit, voce ψαλμοῦ cantum instrumentis simul factum haud tacite indicat, ut testimonia Cypriani, Clementis Alex. etc. silentio praeteream. — §. 11. Per hymnos porro, ceu alteram a psalmis atque odis speciem distinctam, intelligimus reliquas, quae in utriusque foederis monumentis reperiantur, θεοπνεύστους seu singulari ac excellenti prorsus spiritus divini afflatu a Mose, Debora, Solomone, Esra, Daniele, Habacuco, Zacharia, Maria, Christo et apostolis confectas et voce prolatas cantiones, quibus laudes Dei summi, ex proprio vocis significatu †***) usuque sacro perpetuo *†), amplificantur. Haec ipsa notio in paucissimis sacris ac divinis deprehenditur inscripta canticis, quin potius pluries ᾠδή tituli

---

*) in hoc quidem oraculo vocem ψαλμὸς laxius sumi pro quolibet cantico, a viro pio confecto, nonnulli haud male judicant; sed nil obstat, quo minus psalmos Davidicos et alios ibi indicari affirmari queat.

**) in *Apol. ad Antoninum* in fine.

***) in *Apologet.* c. 39.

†) *Hist. eccl.* 3, 20.

††) Hom. 6, *de poenitentia.*

†††) Epist. 63. ad *Clericos Neo-Caesariens.*

†*) *in Conf.* 9, 7. Ep. 119.

†**) Ep. 90. l. 1. p. 29.

†***) ὕμνος enim dicitur ab ὑμνεῖν, quod notat tam in soluta, quam in ligata oratione, laudes alicujus dicere, praesertim Dei, unde *Arrianus* de exped. Alex. M. l. 17: ὕμνοι μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιοῦνται, ἐπαινοὶ δὲ ἐς ἀνθρώπους. Et *Sophoclis Scholiastes* ait: Κυρίως ἡ εἰς θεὸν ᾠδὴ ἐστὶ ὕμνος.

*†) Huc facit locus *Augustini in enarrat.* in ps. 72. t. 8. opp. f. 781: *Hymnus laudes sunt Dei, cum cantico. Hymni cantus sunt, continentes laudes Dei. Si sit laus et non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus et Dei laus et non cantant, non est hymnus. Oportet igitur, ut, si sit hymnus, habeant haec tria et laudem et Dei et canticum.*

nomen gerit, quodsi tamen pondus istorum omnium argumenti paulo penitius examinamus, luce meridiana clarius cognoscimus, eadem potissimum laudes et beneficia Dei efferre et ideo ὕμνους nisi ubivis nomine, materia sane et argumento quam rectissime posse appellari. Nec est quod excipias, complures pariter psalmos laudes, speciatim Dei, extollere, encomiasticos atque eucharisticos communiter appellatos, qui, ex legitima asserti nostri consecutione, itidem hymni forent nuncupandi. Lubentes quippe fatemur, vocem ὕμνον manare latissime suoque ambitu ᾠδὴν aeque ac ψαλμοὺς multos, ratione argumenti habita, complecti; unde etiam evenit, ut a LXX interpretibus psalmi Davidis identidem cum hymnis permutentur (2 Chron. 7, 6), atque Davides Philoni dicatur ὑμνόγραφος. Vocum vero harum conjunctionem, ne paria faciant aut confusionis praebebant materiam, juxta interiorem apostoli mentem ita factam esse putamus, ut ex consueto usu dicendi, quo utuntur N. T. scriptores (Luc. 24, 44; Act. 1, 20), psalmi, ab hymnis distincti, nuncupentur carmina in psalmorum libro, hymni vicissim reliqua in codice sacro carmina. — §. 12. Tandem non errabimus, si dicemus, per odas sacras, ab הודה hebraica voce*) nomen forte habentes et ᾄσματα, μέτρους, προσοδίας, παιάνας etc. sacris aeque ac profanis scriptoribus alias dictas, notari carmina, non θεόπνευστα, aut eximio plane spiritus divini instinctu conscripta, sed ecclesiastica, h. e., a viris, pietate et morum vitaeque sanctimonia conspicuis, tam sub antiquo**) quam novo foedere cum studio singulari elaborata et in Dei hujusque beneficiorum memoriam ac honorem pie decantata. Vehementer quidem assentimur multis ingenii ac doctrinae reconditae principibus, plura quoque litteris divinitus consignata appellari ᾠδάς, prout jam supra nostro praestruximus instituto; Pauli tamen scopum, cum haec scriberet, defixis intuentes oculis, non possumus non fateri, ipsum nullum ad illa habuisse respectum. Quid enim causae esset, cur ᾠδὰς voce addita πνευματικὰς restringeret, si per illas divinitus inspiratas indicare vellet, quas ex sui interna ac propria indole esse sacras constat inter omnes? Quum igitur antecedentibus canticorum speciebus hanc limitationem non adjungat, sed ad solam tertiam ᾠδῶν referat, quam facillime ex eo cognoscere licet, carmina, humana industria adhibita, a viris spectatis et commemorabili pietate cognitis elaborata, per ᾠδὰς πνευματικὰς innui. Nec ratio est intellectu aut quaesitu difficilis, cur haec velit esse πνευματικά. Quanto major enim odarum gentilium profanarum verbis obscoenis, idololatricis mendaciorumque plenis, ad carnis voluptatem aut vanitatem aut quaestum aut venandam gratiam aut tempus etiam ludendum constantium, sub primitivae ecclesiae christianae initium erat usus, tanto acrius apostolus, ab horrendis gentilitatis tenebris veri Dei beneficio re-

*) הודה notat: projecit se, emisit vocem, libere fassus, confessus est, vel beneficia accepta et pro his gratias egit ac Deum grato animo celebravit, laudavit.

**) qualia sunt *Salomonis*, *Hiskiae* et aliorum, a sacris scriptoribus non memoriae prodita.

motos et christianae nuper civitati adscriptos adhortatur ac instigat, ut ψυχικαῖς et σαρκικαῖς gentilium odis, quamvis antehac notissimis, cum cura et seria intentione abstineant et majoris a profanis discriminis causa novas hasque πνευματικὰς de rebus sacris verbis divinioribus atque honestis, ad summi numinis gloriam et salutarem proximi aedificationem, conficiant eademque, sicut in conventibus sacris, ita in epulis et ubi poterit cunque fieri, ex pia animi devotione modulata voce proferant. — §. 13. Atque hoc Pauli monitum, praeter carmina divina studio simul privato componendi carmina haecque in Dei honorem decantandi, minime omnium ab antiquioribus Christianis cum aliquo fuit spretum fastidio, sed summi ex sanctiori Deum colendi impulsu aestimatum. Cujus rei fidem faciunt luculentam Eusebius *), Tertullianus **), Hippolytus ***), primis seculis, sub nascentis ecclesiae initium, carmina, ἰδιωτικὰ Patribus dicta, in honorem Christi esse elaborata, quae temporum injuria dolent deperdita. Inprimis scribendi sacri carminis studio, in antiqua Christianorum republica, ab ipsis apostolorum temporibus Hierotheus †), Nepos, episcopus Aegypti ††), Ephraem Syrus †††), Clemens Alex. †*), Athenogenes †**), Hilarius, Ambrosius, Prudentius, Cosmas Hierosolymitanus, Sedulius, Beda Venerabilis, Jo. Damascenus, Paulus Diaconus et innumeri alii †***) excelluerunt atque inclaruerunt, ut ipsorum hymni ac odae in publicum quoque coetus divini concentum fuerint introducti. Nec defuerunt ex architectis et fabricatoribus novorum et impiorum dogmatum, qui haec occulta quadam arte per carmina vel vere credentium misere corrupta, vel a se confecta, propagarunt, quos inter Harmonius, filius Bardesanis *†), Paulus Samosatenus **†), Arius ***†), Valentinus †*†) et plures referuntur, annotante E. S. Cypriano †**†). — §. 14. Audaciae igitur et pruritui illorum Patres Laodiceni salutari se opponentes consilio, sua synodo †***†) psalmorum et odarum hujusmodi impurarum abrogatum caverunt usum et canonicae potius scripturae psalmos in ecclesia legi atque cantari constituerunt.

---

*) ex *Philone* Judaeo excerpsit hist. eccl. 2, 17: ὡστ' οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ἄσματα, καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν, διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν, ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράσσοντες.

**) in *Apolog.* c. 39.

***) *de consum mundi* sub finem: τὸ στόμα ὑμῶν πρὸς δοξολογίαν καὶ αἶνον καὶ ψαλμοὺς καὶ ᾠδὰς πνευματικὰς ηὐτρέπισα λαλεῖν.

†) Cujus, ceu magistri sui, *Pseudo-Dionysius* excitat hymnos, de div. nom. 5.

††) vid. *Dionysius Alexandr.* ap. Euseb. hist. eccl. 7, 19.

†††) vid. *Sozomenus* hist. eccl. 3, 16.

†*) *in Paedag.* 1, 3.

†**) vid. *Thom. Smith.* Miscell. p. 152.

†***) vid. *C. S. Schurzfleisch* de hymnis veter. eccl. Vitemb. 1688.

*†) hujus sectarii hymnos *Theodoretus* 4, 19. et *Sozomenus* 1, 15. referunt.

**†) Euseb. l. c.

***†) *Philostorgius* hist. eccl. 2, 2.

†*†) conf. Tertullianus *de carne Christi* 11 et 14.

†**†) *Dies.* de propagatione haeresium per cantilenas.

†***†) *Can.* 12 et 59.

Nequaquam tamen judicio Beveregii*) adhaeremus, ac si in illo canone omnium plane ἰδιωτικῶν seu privatorum orthodoxorum aeque ac haereticorum carmina, privato studio composita, fuerint rejecta atque prohibita, sed rectius atque limatius a Baluzio ad hunc canonem est observatum, per ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς a privatis et imperitis compositos intelligi hosque prudenter cultu excludi divino. Unde nec quisquam nobis vitio vertet, in nostro coetu puriori una cum psalmis et carminibus divinis cantiones quoque privatas, divinis litteris conformes et ad eximium ecclesiae commodum compositas, recipi ac publice decantari, ex quibus M. Lutheri, divina virtute praecipue corroborati, Justi Jonae, Pauli Gerhardi, Seb. Franckii, Jo. Heermanni, Jo. Ristii aliorumque veterum doctorum, compluribus recentioribus argumento sacro ac verbis, animos mirifice commoventibus, antecellere, sapienter fatentur omnes. — §. 15. Cunctis igitur, quae ad rem pertinent, circumspectis momentis rationibusque subductis judicamus, nos firmissimum ex ipso orationis Paulinae contextu, ψαλμῶν, ὑμνῶν et ᾠδῶν πνευματικῶν demonstrasse discrimen et si autoritate magnorum virorum, nobiscum consentientium, esset standum, facile assensu Lutheri nostri**) idem confirmare possemus. Minimum Clericus cum reliquis tautologiae sacrae fautoribus ex his, quae hactenus dicta sunt, satis intelliget, oraculum nostrum Paulinum a falso suspecto pleonasmo et insimulata tautologia plenius esse liberatum.

---

*) in annot. ad Can. h. p. 198.

**) in comment. ad h. l.; it. in der Kirchen-Postille Dom. I. p. Epiph. ad Col. 3, 16.

XXXI.

J. Andr. Schmid de primitivae ecclesiae lectionibus et praecipuis circa easdem ritibus*).

Consideraturis posthac lectorum lectiones prima cura erit, scripta omnis generis recensere, quae in conventibus publicis vel ad populi aedificationem vel alios ob fines fuere praelecta. Et quidem ipsi Apostoli suas in ecclesiis publice praelegendas praeceperunt epistolas, quod vel Pauli exemplum nos docebit (Col. 4, 16; 1 Thess. 5, 27). Evangelia vero nonnisi a rogatis scripta, sine dubio publice recitabantur, ut de Marci scripto testatur Eusebius hist. eccl. 2, 15: *γνόντα δὲ τὸ πραχθὲν φασὶ τὸν ἀπόστολον ἀποκαλύψαντος αὐτῷ τοῦ Πνεύματος ἡσθῆναι τῇ τῶν ἀνδρῶν προθυμίᾳ, κυρῶσαί τε τὴν γραφὴν εἰς ἐντευξιν ταῖς ἐκκλησίαις.* Pressit dein ecclesia illorum vestigia, imo et synagogae, suas quoque lectiones, capita et sectiones in lege, psalmis et prophetis sedulo observandis, atque scriptis V. T. ea, quae postea apostoli et viri apostolici instinctu Spiritus S. addiderunt, pari ratione adjecit. Sic enim Justinus Mart. apol. 1, 67: *καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μεχρις ἐγχωρεῖ.* Quaedam ergo sectio vel ex prophetis vel ex apostolis praelegebatur, nondum tamen certis definita limitibus, nisi quos tempus, sacris destinatum, posuerat. Morem hunc referre videtur Justinus ad ipsum Christum, talia discipulos suos docentem: *καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐνεδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν.* Non alia nos docet Tertullianus diversis in locis Apolog. adv. gentes c. 22.: *Dispositiones etiam Dei et nunc prophetis concionantibus excerpunt et nunc lectionibus resonantibus carpunt.* De daemonum scientia loquens asserit, quod ex praeteritis praesentibusque rebus facile conspicere valeant, quando etiam ab his, qui Spiritu S. imbuti vaticinantur concionando aut lectiones scriptorum interpretantur, multa excipere possint. Christianorum mores referens (ibid. c. 39): *Cogimur*, inquit, *ad divinarum literarum commemorationem, si quid prae-*

*) Prod. Helmst. 1697. 4.

sentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Et quando sororis cujusdam revelationes narrat, sequentem in modum scribit in libro de anima *): *Jam vero prout scripturae leguntur aut psalmi canuntur aut adlocutiones proferuntur aut petitiones delegantur: ita inde materiae visionibus subministrantur.*

Primis ergo temporibus, dum singulis diebus conventus sacri celebrabantur, lectiones erant vel arbitrariae vel ordinem bibliorum per certas sectiones ad imitationem Judaeorum sequebantur. Tales lectiones ab Origene appellantur συναναγνώσεις et ἀναγνώσματα et deprehenduntur in eo passim, etiam Huetio **) notatae, nunc plura nunc pauciora capitula, quae hodierna librorum sacrorum divisio sistit, exhibentes. Postea feriis paschalibus certae fuerunt assignatae lectiones si non in omnibus, certe in pluribus ecclesiis. Testes sunt duo laterculi paschales Hippolyti episcopi, dominicas et ferias paschales designantes, qui simul notant S. S. partes istis feriis seu dominicis praelegendas. Enumerantur autem sequentes: *Γένεσις Χριστοῦ. Πάθος Χριστοῦ. Ἐζεχίας. Ιοσίας. Εσδρας. Δανιὴλ. ἐν ἐρήμω. Ἔξοδος. ΙΗΩΚΟ. ΙΗΣΟΥ.* Omissis Scaligeri aliorumque observationibus, Stephanum le Moyne ***) sequar laterculi illius particulas illustrantem. Feria igitur paschali primo legebatur *Γένεσις Χριστοῦ Ιησοῦ*, quod isti tempori aptum et congruum videbatur, cum Christus sit pascha nostrum et agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Legebatur *πάθος Χριστοῦ*, passio Christi, tanquam agni paschalis pro nobis immolati. Legebatur *Ἐζεχίας* i. e. 2 Chr. 30. ubi Ezechias pius rex memoratur pascha cum toto populo celebrasse maxima cum solennitate et quae praecedentia paschata multis passibus superaret. Legebatur *Ιοσίας* seu pascha a Josia rege celebratum maxima etiam cum pompa 2 Chr. 35; 2 Regg. 22. Legebatur *Δανιὴλ*, cap. nimirum 9. Danielis, ubi fit confessio peccatorum populi, liberationis ex captivitate, excisionis Messiae, abolitionis cultus Levitici, quorum memoria etiam recolebatur, cum pascha inter Christianos celebraretur. Legebatur *Ἔξοδος* cap. nimirum 12 Exodi, ubi prima institutio paschatis nobis repraesentatur. Legebatur *ἐν ἐρήμῳ*, in deserto, caput nimirum 9 Numerorum de paschate in deserto celebrato. Legebatur *ΙΗΩΚΟ*, quod idem esse putat le Moyne cum *Ιησοῦς*, non vero denotare lectionem ex cap. 13 Joannis petitam, sed ex Josua, qui et *Ιησοῦς* dicitur, quia cum Israelitas in Canaan perduxisset, statim de paschate celebrando cogitavit et hactenus per aliquot annos intermissum magno cum apparatu celebravit. Legebatur etiam *Ἔσδρας* in cap. nimirum 6., ubi memorantur Judai pascha celebrasse maxima cum gaudii et jubilaei significatione, postquam essent reduces ex captivitate babylonica. Cum vero quinque duntaxat versibus constet ista lectio additamentis quibusdam ex 2 Chr. 30, 22. et 1 Cor. 5. illam crevisse judicat laudatus vir ex loco Justini Mart. c. Tryphonem et Lactantii institutt. 4, 18.

---

*) Cap. 9. p. 344. C.
**) in not. ad Originem. p. 8. et 18 ss.
***) in variis sacris tom. 2. p. 947 ss.

Anne vero historia resurrectionis Christi tunc plane non fuit praelecta, quia tacet Hippolytus? id quod profecto probabile non est, si Patrum homilias evolvimus. Dicendum ergo potius erit, in culpa esse scriptorem negligentem, vel vetustate quasdam literas fuisse ita exesas, ut cognosci amplius non potuerint. Difficile quidem est, de his antiquitatis documentis, quae non inspeximus, judicare; nihilominus, cum multa in laterculis illis adhuc sint dubia, nemo nobis vitio vertet, si nostras etiam addamus conjecturas. Et prima quidem lectio *Γένεσις* dicta, minus convenire videtur tempori; hinc primo cogitabam, an non *γένεσις*, quae interdum renovationem significat, resurrectionem denotare possit, praecipue cum Patres graeci et latini in homiliis paschalibus saepe mentionem fecerint phoenicis redivivi? Dum vero usitatus graecorum patrum loquendi modus non respondet illi acceptioni, fieri potuit ex incuria, ut pro *ἀνάστασις* fuerit posita *γένεσις*. Vel etiam, cum *Ἰησοῦς* bis legatur, forte illud *IHΩKC* habuit additum *ἀνέστη*, vel si omissum fuit, tanquam tunc temporis notum intelligi potuit, imo debuit, si modo festi conditionem quis perpenderit.

Quicquid de eo sit, non in ecclesia graeca orientali tantum, sed etiam Africana resurrectionis historiam feriis illis destinatas fuisse docemur ab Augustino in sermone 139. de tempore: *Per hos dies sicut recolit caritas vestra solenniter leguntur evangelicae lectiones ad resurrectionem Domini pertinentes. Omnes enim evangelistae quatuor neque de passione Domini neque de resurrectione tacere potuerunt.* Sequentes quoque sermones, praemissa lectione ex uno quovis evangelista, singulis feriis ab eodem fuere habiti, ut vel ex sermone 144, qui in feria tertia primus erat, observari potest: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi et hodie recitata est; sed de altero libro evangelii, qui est secundum Lucam. Primo enim lecta est secundum Matthaeum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam: sic habet ordo evangelistarum. Sicut enim passio ipsius ex omnibus evangelistis descripta est, sic dies isti septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes evangelistas resurrectio recitetur. Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthaeum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam passio legeretur; factum est; non audierunt homines, quod consueverunt et perturbati sunt.* Ex quo loco simul patet, qualis lectio fuerit die passionis et quod penes episcopum interdum fuerit, ordinare lectiones, prout illas ex re ecclesiae esse putaverit. Si illius quoque est homilia quaedam de S. Stephano, etiam lectiones post pascha nobis innotescent: *Actus apostolorum*, inquit, *liber est de canone scripturarum, ipse liber incipit legi die dominico paschae, sicut se habet consuetudo ecclesiae.* Si vero quis hanc consuetudinem in omnibus ecclesiae non deprehenderit, cogitet ea, quae Sozomenus scribit de multis urbibus ac vicis Aegypti, precibus et psalmis ac lectionibus, nec iisdem omnes nec eodem tempore uti solitis (hist. eccl. 7, 19).

In magna nihilominus varietate ecclesiarum id observamus, lectiones illas, quas olim graeca legit ecclesia in festis majoribus easdem cum nostris esse, ut ex collatione facile patebit, nisi quod interdum, ubi

plures habendae erant conciones, liberrime, festo tamen convenienter, disseruerint patres. Inter Athanasii opera deprehenditur*) *Λόγος εἰς τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησου Χριστοῦ* et alia**), quam Holstenius edidit *εἰς ἀπογραφὴν τῆς ἁγίας Μαρίας καὶ εἰς τὸν Ἰωσὴφ*, nec non illa***) *εἰς τὴν ἁγίαν πέμπτην καὶ εἰς τὴν προδοσίαν τοῦ Ἰούδα*; ut nunc nihil dicam de ea, quae est *εἰς τὸ ἅγιον πάσχα καὶ εἰς τοὺς νεοφωτίστους τῷ σαββάτῳ τῆς ἀπολυσίμου*. Si Chrysostomi tomos alicui evolvere placuerit, inveniet is etiam inter genuina scripta, quae nostram firmare possunt sententiam.

In graeca quoque ecclesia diebus dominicis atque aliis certas successu temporis fuisse destinatas lectiones, licebit nobis forte ex Chrysostomo colligere, imo et ex aliis. Easdem vero illas fuisse cum nostris, nemo facile nobis persuaserit. An vero Allatiana illa recensio lectionum, in ecclesia Graecorum hodierna usitatarum, in omnibus cum antiquioribus illis lectionibus conveniat, nondum habeo dicere. Istam interim ex diatriba de dominicis et hebdomadibus Graecorum, quae perpetuae ecclesiae orientalis et occidentalis consensioni subjuncta est, communicare voluimus. *Evangelia itaque hac ratione leguntur: A prima die paschatis usque ad pentecosten legitur evangelium Joannis; a dominica praesente omnium sanctorum usque ad mensem septembrem, Matthaei; a novo anno, nempe a dominica post exaltationem sanctae crucis usque ad tyrophagum dominicam, Lucae; a prima hebdomade quadragesimalis jejunii ad ipsam resurrectionis diem, in sabbatis et dominicis, Marci. Idque ut exactius intelligatur, Joannis evangelii textus universus septem integris hebdomadibus legitur, quae a dominica paschatis, tribus diebus exceptis, numerantur. Matthaei, a feria secunda post dominicam pentecostes ad parasceven, subsequentem festum diem exaltationis sanctae crucis absolviturque hebdomadibus decem et septem. Harum undecim singulis diebus Matthaei evangelium legunt; a duodecima, quinque diebus hebdomadis, Marci evangelium recitatur. Sabbata et dominicos lectione sua Matthaeus occupat usque ad decimam septimam et decima septima, si illa infra pascha fuerit, Matthaeum habet; si ultra, nequaquam, sed aliud ex aliis legitur et Chananaeae est. Lucae evangelium inchoatur a secunda feria post dominicam exaltationis legiturque integris hebdomadibus duodecim; ab initio vero decimae tertiae, diebus ferialibus, Marci evangelium recitatur; sabbatis et dominicis, Lucae. Marci tandem pars potissima inter Matthaeum et Lucam absumitur, quod reliquum est, quadragesimae sabbatis et dominicis recitatur.*

Africana ecclesia non tantum festis, ut supra vidimus, sed aliis quoque diebus certas habuit dicatas lectiones, quemadmodum nos docet Augustinus†): *Capitulum primum praeterito die dominico tractatum esse meminimus*, i. e., a vers. 1. ad 5. cap. 1. Joannis et Tractat. 9: *Hesterno die, si meminit sanctitas vestra, cum tempore excluderemur, ne sermonem*

*) Tom. 2. p. 1 ss.
**) l. c. p. 645 ss.
***) l. c. p. 669 ss.
†) Exposit. in Evang. Joannis tract. 2. p. m. 4.

inchoatum impleremus, in hodiernum diem distulimus, ut ea, quae in hoc facto evangelicae lectionis mystice in sacramentis posita essent, ipso adjuvante aperirentur. Et alibi distinctius *): *Meminit sanctitas vestra evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare, sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus certas ex evangelio lectiones oportet in ecclesia recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint, ordo ille, quem susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non omissus. Cum autem cogitarem, quid secundum hilaritatem praesentium dierum per hanc hebdomadem vobiscum de scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in istis septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi epistola beati Joannis, ut cujus evangelium paululum intermisimus, ejus epistolam tractando ab eo non recedamus.* Ex hoc uno loco plura nobis licebit observare, nimirum evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum tunc quidem temporis fuisse tractatum, dein certas ex evangelio lectiones in solennitatibus sanctorum dierum recitatas et denique penes episcopum stetisse, interdum pro lubitu, eligere partem scripturae eamque singulis diebus explicare. Conformia his sunt, quae idem dicit tractatu 9 ejusdem expositionis: *Intercesserunt autem, ut intermitteremus textum hujus epistolae, quaedam pro diebus festis solennia lectionum, quae non potuerunt nisi legi et ipsa tractari. Nunc ergo ad praetermissum ordinem redeamus et quae restant, intente accipiat caritas vestra.* An vero etiam Comes sive lectionarius, quem Hieronymus disposuisse dicitur, huc referri debet? Ponamus, hoc titulo aliquem ab Hieronymo fuisse scriptum librum, certe diversus ille fuit ab eo, quem hodie circumferunt; id quod vel Pamelii editio et Schultingii codex monstrabunt. Primus autem ille labor, indicans lectiones ad usum ecclesiae, sine dubio diversus fuit ab ordine hodiernarum lectionum, non diffitentibus etiam inter Gallos antiquitatum ecclesiasticarum peritioribus. Summa ergo dicendorum erit, quod liberior in primis seculis facultas legendi fuerit, imo diversa a more, qui hodie in ecclesia obtinet. Ad mediam vero et infimam aetatem hac vice non descendo, cum specialis illa disquisitio aliud postulet tempus. Interea consuli potest Tenzelius in dissert.: de ritu lectionum sacrarum. (Viteb. 1685. 4.) qui etiam de *Κεφαλαιομετρία* graecorum latinorumque variisque apud illos et alios in oriente et occidente populos lectionibus prolixe et erudite disseruit.

Primis quoque seculis psalmi vel recitabantur vel cantabantur, non quidem secundum divisionem Graecorum recentioris aevi, sed pro arbitrio illorum, quibus haec talia disponere competebat. Cum vero multi jungerentur psalmi, nullo saepe intervallo, populi devotio coepit defatigari, ut patres concilii Laodiceni anno 364 necessum duxerint sequentem ponere canonem **): *Περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπισυνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμούς, ἀλλὰ δὲ μέσον καθ' ἕκαστον ψάλμον γίνεσθαι ἀνάγνωσιν.* Observavit id dudum Theodorus Balsamon, ad canonem

*) Exposit. in Epist. Joann. Tract. 1. p. m. 124. C.

**) qui est can. 17 conc. Laodiceni, in codice vero canonum ecclesiae universae 121.

istum sequentem in modum disserens: *Cum psalmi ex antiqua traditione uno filo continuo recitarentur et populus congregatus hanc ob rem molestia afficeretur et defessus nullam ejus curam amplius gereret, sed ecclesia egrederetur, statuerunt patres, non esse psalmos connexione recitandos, sed intermedias etiam lectiones esse faciendas, ut populus quiesceret aliquantulum et deinde rursus caneret. Propterea enim et in sessiones diversas sacrum divisum est psalterium. Gratiae ergo illis sanctis patribus etiam pro hac eorum cura sunt agendae.* Iidem patres statuerunt: *Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βίβλια, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης.* Prisci enim Christiani psalmos quosdam et hymnos in Christum componere ac decantare fuerunt soliti, teste Eusebio hist. eccl. 5, 29: *Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες.* Paulus vero Samosatenus, homo superbus, psalmos, qui in Domini nostri Jesu Chr. honorem dicebantur, velut recentes et recentiorum hominum sustulit, mulieres autem magno paschae die in media ecclesia psalmos canere ad sui ipsius laudem instituit; quod quidem audientibus horrorem merito incusserit*). Generalius rem exprimit canon 24 conc. Carthag. anno 419 celebrati. Dein subjicit catalogum canonicarum scripturarum, prolixiorem illo, qui a patribus Laodicenis fuerat exhibitus, cum etiam apocryphos V. T. inseruerit et nihilominus in clausula dicitur, quod a patribus ista acceperint in ecclesia legenda. Cum vero constet temporis progressu libros illos etiam canonicis, laxiori vocis usu, fuisse annumeratos, locum habebit illud Hieronymi in praefatione in proverbia, quod ecclesia illos legat ad aedificationem plebis, non ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

Ante enim illa tempora, imo etiam post eadem multa cum ab imperitis vitiata, tum ab haereticis depravata et falso conficta irrepsere, tum ab episcopis, cum coetus consensu interdum, in ecclesia ut legerentur, fuere recepta. Varii hujus generis exempla esse poterunt sequentia. Tacco nunc *protevangelium Jacobi*, quod Postellus tantae autoritatis in oriente esse finxit, ut illud in ecclesiis publice legi Theodoro Bibliandro persuaserit. *Evangelium Petri*, Eusebio (hist. eccl. 3, 3.) inter catholica scripta minime relatum, a Serapione ecclesiae Rhossensi fuit concessum, ut legeretur, licet postea haeresibus in eo latentibus observatis mentem suam mutaverit (ibid. 6, 12.). Ejusdem *Apocalypsin*, quae ut adulterina a veteribus repudiata est, in quibusdam ecclesiis Palestinae semel quotannis legi animadvertit Sozomenus (hist. eccl. 7, 19.), die scilicet paraskeves, qua populus admodum religiose jejunat in memoriam dominicae passionis. Et Hermae *pastor* in quibusdam ecclesiis publice fuit praelectus, ut testatur Eusebius (hist. eccl. 3, 3.). Et Clementis epistolam ad Corinthios in plerisque ecclesiis et nostra et superiori memoria palam recitari consuevisse, compertum habuit idem (ibid. 3, 16.). Cujus

*) Euseb. l. c. lib. 7. cap. 30.

rei etiam meminit Dionysius, Corinthiorum episcopus, notante eodem (ibid. 4, 23.). In hac ipsa etiam epistola meminit Clementis epistolae ad Corinthios scriptae, quam ex prisca consuetudine in ecclesia legi solitam esse testatur disertis verbis. Idem honos delatus quoque fuit Ephraemo Syro, quem Hieronymus (Catal. scriptt. eccl. 115.) refert ad tantam venisse claritatem, ut post lectionem scripturarum publice in quibusdam ecclesiis ejus scripta recitarentur.

Acta martyrum praeterea, permittentibus concilii Carthaginensis supra citati patribus, non obstante, quod alio canone lectiones ex canonicis scripturis determinaverint, populo praelegi solebant. Sic enim se habet canon 46: Ἐξέστω ἔτι μὲν ἀναγινώσκεσθαι τὰ πάθη τῶν μαρτύρων, ἡνίκα καὶ ἐτήσιαι αὐτῶν ἡμέραι ἐπιτελοῦνται. Ad hunc forte morem respexit Hieronymus (contr. Ruffinum 2), quando scribit: *Prodat nobis confessionis suae acta, quae hucusque nescivimus, ut inter alios Alexandriae martyres hujus quoque gesta recitemus.* Et Augustinus in sermonibus de diversis non uno in loco. His vero jam prolusit epistola Smyrnensis ecclesiae ad omnes orthodoxos, qua S. Polycarpi martyrium describitur (Euseb. hist. eccl. 4, 15); cui addi potest alia (ibid. 5, 1), ecclesiae Lugdunensis et Viennensis ad ecclesias Asiae et Phrygiae de martyribus illius provinciae. Cum vero gentiles quaedam confinxerint acta martyrum, atque ea pro genuinis supposita clanculum in ecclesiam induxerint, synodus Trullana decrevit, ut illa iterum abolerentur: *Quae a veritatis hostibus falso confictae sunt martyrum historiae, ut Dei martyres ignominia afficerent et qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi. Qui eas autem admittant, vel tanquam veris iis mentem adhibent, anathematizamus.*

Huc etiam referri debent diptycha*), sive tabulae sacrae, nomina praecipue vivorum et mortuorum continentes, ut statis temporibus et locis more solenni recitari possint. Solebant praeterea legi miracula sanitatum, ut cum Augustino**) loquar: *Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quae per hunc martyrem, i. e. gloriosissimum Stephanum, facta sunt in colonia Calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, quae recitarentur in populis. — Cum nuper illic essemus, Petroniam clarissimam feminam, quae ibi mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adjutoria cuncta defecerunt, languore sanata est, hortati sumus, volente supra dicti loci episcopo, ut libellum daret, qui recitaretur in populo et obedientissime paruit. — Nam et ubi diligentia, quae nunc apud nos esse coepit, ut libelli illorum, qui beneficia perceperint, recitentur in populo — sequenti die post sermonem narrationis ejus libellum in crastinum populo recitandum promisi. — Inter haec recitato eorum libello de conspectu populi eos abire praecepi***).* Prolixior paulo fui in hoc

*) Cfr. Epiphanius adv. haeres. 75.

**) De civ. Dei 22, 8.

***) Eadem habentur apud Augustin. serm. 7. de Stephano. p. 258.

Augustini loco recensendo, ob eam rationem, quia lucem affert multis aliis locis. Ex eo enim facile nunc constabit, quid alibi apud eundem sibi velit *libellus beneficiorum*: *Aliquanto quidem temperius solito processimus; sed quia longa lectio recitata est et graves aestus sunt, libellum beneficiorum Dei per ipsum, quem lecturi hodie fuimus, in diem dominicum differamus.* Scilicet quoties aliquis a periculoso sanatus fuerat morbo, quem medici curare non poterant, peculiari libello morbus describebatur, ejus symptomata nec non mira sanatio et publice praelegebatur. Quod factum nostro respondere videtur mori, quo Deo gratias agimus, post redditum sermonem, pro restituta certis hominibus sanitate.

Sed satis de variis lectionum generibus. Unum adhuc praecipue circa priora notare lubet, quod interdum lectio apprime quadraverit ad ea, quae gerebantur in ecclesia. Sic enim Augustinus *): *Opportune nobis Dominus procuravit hodierna die lectionis hujus ordinem; nam quia ex ordine evangelium secundum Joannem considerare atque tractare suscepimus, credo quod adverterit caritas vestra. Opportune ergo occurrit, ut hodie audiretis ex evangelio, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non videbit regnum Dei. Tempus ergo est, ut vos exhortemur, quia adhuc estis Catechumeni etc.* Et Ambrosius de basilicis non tradendis: *Lectio ista nulla nostra dispositione recitata est, sed casu, quae praesentibus bene aptatur temporibus.* Quando vero Ambrosius casui tribuit convenientiam praelecti textus cum gestis in ecclesia, intelligendum illud erit de lectione ordinaria, quae tum, nemine ita disponente, quadrabat. Alias scimus, quod saepe sordes consultoriae per fortuitam codicis sacri apertionem fuerint adhibitae ab illis, qui ex versibus primo occurrentibus laetum aut sinistrum omen capiebant. Augustinus hunc morem, si vitandum majus malum respiciat, videtur optare; quod vero ad quaevis profana quoque trahatur, id ferre non potuit **): *Hi vero qui de paginis evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quam ut ad daemonia consulenda concurrant, tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia et ad vitae hujus vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.* Displicuisse talia conciliis, vel Agathense illud sub Symmacho Papa I. a. 506 habitum can. 24 nos docebit: *Ac ne fortasse id videatur omissum, quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti clerici sive laici student auguriis et sub nomine fictae religionis per eas, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.*

Enumeratis praecipuis ecclesiae veteris lectionibus, ritus circa eas observatos ut nunc quoque consideremus, proximum erit. Quando ergo lector lectionem vel ab ecclesia vel ab episcopo ordinatam legere voluerat, vel ab ipso vel a diacono indicebatur silentium. Audiamus Chrysostomum (hom. 3 in 2 Thess. 2): *Ὅταν γὰρ ἀναστὰς ὁ ἀναγινώσκων*

*) Expos. in Evang. Joann. Tract. 11. p. m. 21.

**) ep. 119. ad Januarium. c. 20.

λέγῃ· τάδε λέγει Κύριος. καὶ ὁ διάκονος, ἑστὼς ἐπιστομίζῃ πάντας, οὐ τῷ ἀναγινώσκοντι τιμὴν ποιῶν τοῦτο φησιν, ἀλλὰ τῷ δι' ἐκείνου πᾶσι διαλεγομένῳ. Et alibi (hom. XIX. in Acta): communis minister stat clara voce clamans et dicens: *Πρόσχωμεν· καὶ τοῦτο πολλάκις. — μετ' ἐκεῖνον ἀρχεται ὁ ἀναγνώστης τῆς προφητείας Ησαϊου — εἶτα εἰς ἐπήκοον ἐκφωνεῖ λέγων· τά δε λέγει Κύριος.* Jungamus illi Ambrosium praefatione in psalmos: *Quantum laboratur in ecclesia, ut fiat silentium? Cum lectiones leguntur, si unus loquatur, obstrepit universis; cum psalmus legitur, ipse sibi effector est silentii; omnes loquuntur et nullus obstrepit.* Similiter diacono officium hoc adscribit Isidorus (de divin. offic. 1, 10): *Ideo et diaconus clamore silentium admonet, ut, sive dum psallitur sive dum lectio pronunciatur, ab omnibus unitas conservetur, ut quod omnibus praedicatur, aequaliter ab omnibus audiatur.* Impetrato silentio, solenni formula: *Pax vobis*, lector salutabat populum, prout hujus rei vestigia apud Augustinum (ep. 166) deprehendimus: *Quid autem perversius et insanius, quam lectoribus easdem epistolas legentibus dicere: Pax Tecum et ab ecclesiarum se pace separare, quibus ipsae epistolae scriptae sunt.* Et ipse synaxin diei paschatis commemorans (de civit. Dei 3, 8): *salutavi*, inquit, *populum et facto tandem silentio scripturarum divinarum sunt lecta solennia.* Forsan eo etiam respexit Cyprianus (ep. 38) de Aurelio suo scribens: *Dominico legit interim nobis*, i. e., *auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem.* Rigaltius quidem Cypriani mentem fuisse talem putat: *Interea dum sese vobis ille cum pace Dei favente sistet, dominicis diebus hic apud nos leget; hoc est, aget apud nos, quod apud ecclesiam agendum illi fuerat, si pace frueretur, nimirum sedatis persecutionum furoribus.* Si vero morem illorum temporum cogitamus, nostra forte explicatio convenientior erit verbis Cypriani. Postquam autem episcopali dignitati cum tempore praerogativae quaedam, quibus ordines reliquos superabat, etiam in minimis fuerunt tributae, per canonem 4. conc. Carthag. 3. lectoribus potestas illa ademta fuit: *Placuit, ut lectores populum non salutent.* Quid patres moverit ad illum condendum, nunc non moramur, cum Albaspinaeus operose illius rationem investigaverit*).

Quid post haec egerit lector, distincte nobis describit Chrysostomus (hom. 8. in ep. ad Hebr.): *Καὶ ἀνελθῶν ὁ ἀναγνώστης λέγει πρῶτον τὸ βίβλιον, τίνος ἐστὶ τοῦ δεῖνος τυχὸν προφήτου ἢ ἀποστόλου καὶ τότε λέγει ἃ λέγει.* Quibus verbis laudatus Pater forte illum respexit morem, quo idem quis interdum fuit et lector et tractator sive explicator. Exempli loco nobis sit Augustinus (serm. 121. de diversis): *Sed ex ipso codice audite; propterea enim non tantum disputatoris, sed etiam lectoris fungor officio, ut sermo iste noster sanctarum scripturarum auctoritate fulciatur, non humanis suspicionibus super arenam aedificetur, forte aliquid non memoriter occurrerit. Audite ergo evangelium secundum Joannem:* Amen, Amen dico vobis etc. Alias scimus alium plerumque a tractatore fuisse lectorem, de quo vel Augustinus (sermo 10 de verbis apostoli p. 65.) nos

*) in not. in quosd. can. concil. Carth. libr. observ. subjectis p. m. 409 ss.

certiores reddet: *De divinis lectionibus, quod Dominus admonere dignatur, intenti audite, fratres, illo dante, me ministrante. Primam lectionem audivimus Apostoli*: fidelis sermo et omni acceptione dignus etc. — *Hoc de apostolica lectione percepimus. Deinde cantavimus psalmum, exhortantes nos invicem una voce, uno corde dicentes*: Venite, adoremus et prosternamur ei etc. *Post haec evangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit.* — *Has tres lectiones quantum pro tempore possumus pertractemus, dicentes pauca de singulis et quantum conari possumus, adjuvante Domino, non in aliqua earum sic immorantes, ut aliis duabus impedimentum afferamus.* Taceo plura alia hujus et aliorum doctorum loca.

Quamvis autem primis seculis lectoribus competierit publice legere sacrum codicem, insequenti tamen tempore in quibusdam ecclesiis majores quoque ordines lectionem peragebant, teste Sozomeno (hist. eccl. 7, 19). Nicephorus Callistus (12, 34) hunc morem adhuc sua aetate mansisse scribit. Addit etiam, idem fieri primo anni ipsius ingressu atque hanc lectionem dupliciter fieri; quantum enim recitat episcopus, tantundem subinde recitari a diacono; cujus rei plures causas ibidem affert. In Romana ecclesia diaconis postea munus legendi evangelium fuit demandatum. Sic enim Gregorius (4. ep. 44): *Qua de re praesenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant solumque evangelicae lectionis officium inter missarum solennia exsolvant; psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Ad haec Agobardus *): *Damnata vero tali consuetudine, psalmos ac reliquas lectiones per subdiaconos vel minores ordines censet exhiberi, solo videlicet evangelicae lectionis officio diaconibus delegato.* De quo morte tamen alio tempore. Hic quoque de ordine lectionum quaedam monere possemus, dum temporum lapsu lectiones apostolicae cum psalmo fuerunt praemissae evangelio, quemadmodum ex multis Augustini locis id videre est: *Apostolum*, inquit**), *audivimus, psalmum audivimus, evangelium audivimus, consonant omnes divinae lectiones.* Et sermonis 10 verba, in antecedentibus jam citata, idem evincere videntur.

Legebantur porro lectiones in ambone, pulpito, analogio seu lectorio. Hinc Cypriano Aurelius lector***) *ad pulpitum post catastam venire dicitur* et Celerinus *super pulpitum*, i. e., *super tribunal ecclesiae oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus et plebi universae pro honoris sui claritate conspicuus legat praecepta et evangelium Domini, quae fortiter et fideliter sequitur.* Chrysostomus Constantinopoli ἐπὶ τοῦ βήματος τῶν ἀναγνωστῶν docuisse narratur (Sozomen. hist. eccl. 8, 7). Et Augustinus de libro sapientiae refert, *quod meruerit in ecclesia Christi de gradu lectorum ecclesiae Christi tam longa animositate recitari.* Sonante autem lectione non lector duntaxat, sed et auditores stabant, ex more

*) lib. de correctione Antiphon. cap. 13.
**) serm. 8. de verb. Apostoli.
***) Epist. 38. p. 74. ep. 39. p. 76.

communi quarundam ecclesiarum. Quid in Africa factum fuerit, Augustinus ipse memorat, quibusdam ex infirmitate sedendi potestatem deferens *): *Ante aliquot dies*, inquit, *propter eos, qui aut pedibus dolent aut aliqua corporis inaequalitate laborant, paterna pietate sollicitus, consilium dedi et quemadmodum supplicavi, ut quando aut passiones prolixae aut certe lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter et cum silentio sedentes attentis auribus audiant, quae leguntur.* Praecipue, cum evangelium recitabatur, omnes stare solebant, ne episcopo quidem excepto. Hinc Sozomenus tanquam rem insolitam notat, quod in ecclesia Alexandrina episcopus secus agat (hist. eccl. 7, 19). Similis consuetudo viguit apud Indos, quam corrigere conatus Theophilus ad illos profectus, observante Philostorgio (hist. eccl. 3, 5). Sed in ipsa Aegypto ecclesia Pelusiaca Alexandrinum morem non fuit imitata, si Isidoro (ep. 1, 136) illius ecclesiae presbytero credimus: *Num cum ipse verus pastor ad apertionem et lectionem evangelii advenit, tum demum episcopus assurgit et imitationis habitum deponit; hinc nimirum Dominum ipsum pastoralis artis ducem ac Deum et herum adesse significans.*

Neque tacere possumus, quod ad lectionem evangelii in oriente accensae fuerint lucernae, ut testatur Hieronymus **): *et aboque martyrum reliquiis per totas orientis ecclesias, quando legendum est evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum laetitiae demonstrandum.* Nec hoc duntaxat fiebat, sed seculis sequentibus postquam plebs surrexisset, ut evangelium audiret, baculos deposuit in signum reverentiae. Extant ea de re versus Hildeberti Cenomanensis episc. in libro de expositione missae, quos ex veteri codice Claromontani collegii descriptos apposuit Valesius loco ante citato. Ex illis sequentes excerpimus:

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur
Plebs baculos ponit, stat retegitque caput.
Ut sis attentus, patiens, erectus in hostem
Et caput et baculus et status ipse docent.
Quippe caput retegens attente audire moneris,
Parcere, cum baculum projicis, instrueris.
Stans discis, quoniam stantes pugnare solemus,
Quod te pugna gravis sub vigili hoste manet.

Non inelegans conjectura est Stephani le Moyne***), etiam episcopos sua posuisse peda pastoralia ad lectionem evangelii, ex loco ante memorato Isidori Pelusiotae, ubi *καὶ ἀποτίθεται σχῆμα τὸ τῆς μιμήσεως ὁ ἐπίσκοπος*. Venit enim illi in mentem, *σχῆμα* illud imitationis esse pedum pastorale, quo episcopus pastor designabatur. Nisi cui forte altera placuerit ratio, episcopum *σχῆμα* imitationis deponere, cum surgit lectioni evangelii et formam hinc ovis magis, duci cupientis, quam pastoris agit.

*) Homil. 27. libri 50. Homil.
**) contra Vigilantium.
***) l. c. p. 987.

Praelecta lectione quiescit plerumque lector et praepositus vel ecclesiae doctor illam, si nostris moribus rem declarare volumus, explicat et vel ad fidem vel ad mores applicat. Sic enim Justinus M. (apol. 2. p. 98): *εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶς τούτων μιμήσεως ποιεῖται.* Forte eundem morem observavit in ecclesia Alexandrina Socrates (hist. eccl. 1, 22). Interdum tamen lector sine, expositore legit, ut in Chrysostomo legisse me memini. De quo more supra quaedam diximus.

XXXII.

J. Godofr. Zentgrav de ritibus baptismalibus seculi secundi *).

§. 1. Animum debita erga mysteriosum sacrosancti baptismi sacramentum reverentia imbutum, imo summo tam sublimis et pretiosi coelestis doni cultu ac veneratione repletum et abundantem fidelis, quae Christo nomen dederat, prioris illius et apostolici aevi antiquitas inprimis memorabilibus nominibus ac magnificis titulis, quibus illud insignivit, testata est, varia quippe hacce, qua sanctissimum lavacrum salutabat, denominatione partim salutares eiusdem effectus partim essentialem eius indolem et substantiam denotans. Priori generi accensendos arbitramur insignes, quibus Justinus Mart. in describenda mirifica sacri baptismi efficacia occupatus utitur, titulos. In eo enim dum versatur, ut adversus infideles sanctissimae religionis empaectas serio rem agat, diserte exponit, tantam esse huic lavacro virtutem divinitus inditam, ut et poenitentes peccatores sola mundos Deoque acceptos reddere vitamque spiritualem ipsis referre et mentes eorum labis originalis caligine obductas purissimo sanctitatis lumine perfundere queat. Hinc ipsi mox *lavacrum poenitentiae et cognitionis Dei*, item *aqua vitae*; seu aqua vitam afferens **): mox *illuminatio*, i. e. lavacrum illuminans ***) audit. Eodem *illuminationis* nomine, sensu congruente, Clemens Alex. de sacrato hoc actu verba faciens utitur †). Simili respectu dum novum quasi hominem, vetere sa-

*) Prod. Jen. 1749. 4.

**) audiamus ipsum hac de re egregie disserentem. In *dialogo cum Tryphon.* p. 231. circa med. ed. Col. 1686. ait: *διὰ τοῦ λουτροῦ οὖν τῆς μετανοίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, ὃ ὑπὲρ τῆς ἀνομίας τῶν λαῶν τοῦ Θεοῦ γέγονεν, ὡς Ησαΐας βοᾷ, ἡμεῖς ἐπιστεύσαμεν, καὶ γνωρίζομεν, ὅτι τοῦτ' ἐκεῖνο ὃ προηγόρευε τὸ βάπτισμα, τὸ μόνον καθαρίσαι τοὺς μετανοήσαντας δυνάμενον, τοῦτό ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς.*

***) *apolog.* 11. p. 94. ed. cit.: *καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένον τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. καὶ ἐπ' ὀνόματος δὲ Ιησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος Πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ιησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται.*

†) in *paedagog. libr.* 1. *cap.* 6. circa init. p. 113. ed. Potteri, *Ox.* 1715: *καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο χάρισμα, καὶ φώτισμα, καὶ τέλειον καὶ λουτρόν. . . . Φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς τὸ σωτήριον ἐποπτεύε-*

lutiferis undis extincto, Deo sistit caramque ipsi generat sobolem baptismus, a modo memorato Justino Mart.*) et post hunc ab Irenaeo**) ἡ εἰς Θεὸν ἀναγέννησις appellatur. Adstipulatur his Tertullianus, *iteratam* nostrum, quae in aqua fit, *nativitatem* ***) memorans. Posterioris generis videntur esse appellationes, a Tertulliano, Clemente Alex. et *constitutionum apostolicarum*, si hac iam aetate quicquam valuerit illarum auctoritas, auctore passim adhibitae. Nimirum Tertulliano, ut et Clementi Alex. apostolica denominatio divi Pauli, circumcisionis sacramentum *sigillum iustitiae fidei* vocantis (Rom. 4, 11), ansam praebuit, ut sanctum baptismum, quippe novi foederis sacramentum, eodem respectu *signaculum fidei* †) et *sigillum* (σφραγῖδα††)) appellarent. Simili illud titulo ornat dictus *constitutionum apostolicarum* auctor, ubi illum ad hoc tempus referre velis†††). Denique ex analogica illius, quae sub primi foederis oeconomia viguerat, circumcisionis identitate a Justino Mart. *circumcisio* sive *resectio, at ea non corporalis, quae in carne fit, sed spiritualis* salutatur†*). — §. 2. Praemissa multifaria denominatione, ipse sacri baptismi actus propius considerandus est. Quod ad materiam salutaris huius lavacri attinet, liquido constat, ecclesiam primaeva hac aetate puriorem adhuc divinorumque ab apostolis sibi traditorum mandatorum fidelissimam custodem non nisi aquam in ablutione hac adhibere consuevisse idque ad normam institutionis divinae†**) et praxeos apostolicae†***), quam sollicite servabat. Expresse hinc Tertullianus nos in aqua nasci testatur*†), quocum Justinus Mart. consentit, baptizandos eo, ubi aqua sit, deduci ibique ablui solitos fuisse perhibens**†). Addemus, si sequioris aevi et quidem non plane non sublestae fidei te-

---

ται, τουτέστιν δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωποῦμεν. Item paulo ante: βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα. φωτιζόμενοι υἱοποιούμεθα.

*) in *apolog.* 11. p. 93. ubi dicitur: ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως, ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται.

**) quem vide *libr.* 1. *adv. haeres.* 21. p. 93. ed. Massueti: καὶ ὅτι μὲν εἰς ἐξάρνησιν τοῦ βαπτίσματος, τῆς εἰς Θεὸν ἀναγεννήσεως καὶ πάσης τῆς πίστεως ἀπόθεσιν ὑποβέβληται τὸ εἶδος τοῦ ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, ἐλέγχοντες αὐτοὺς κτλ.

***) *de baptism. cap.* 1. p. 457. ed. Pamelii, *Paris.* 1583. ubi dicit: *sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur. Nec aliter, quam in aqua permanendo salvi sumus.*

†) Tertullianus *de spectacul.* 4. p. 251. haec habet: *ad principalem auctoritatem convertar ipsius signaculi nostri.*

††) videatur Clemens *Al.* in libro: *quis dives salvetur* §. 42. p. 88. ed. Ittigi; adde Eusebium *hist. eccl.* 3, 23.

†††) baptismus *sigillum Domini* adpellatur ac dicitur: Σίμων ὁ μάγος τὴν ἐν Κυρίῳ σφραγῖδα ἔλαβεν 2, 14. p. 224. *tom.* 1. *patr. apost.* Cotelerii.

†*) in *dialog. cum Tryphon.* p. 261. ita scribit: ἡμεῖς, οἱ διὰ τούτου προσχωρήσαντες τῷ Θεῷ, οὐ ταύτην τὴν κατὰ σάρκα παρελάβομεν περιτομὴν, ἀλλὰ πνευματικὴν, ἣν Ἐνὼχ καὶ οἱ ὅμοιοι ἐφύλαξαν.

†**) hoc enim produnt verba institutionis *Matth.* 28, 19. coll. *Joh.* 3, 5.

†***) cuius luculenta exempla vid. *Actor.* 8, 36. 38; 10, 47 sq. 16, 13. 15. et alibi.

*†) ait enim *loco* antea *citato: nos pisciculi in aqua nascimur.*

**†) *loc. cit.* ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ κτλ.

stem, solum concinnam hac de re historiam, quae hoc seculo accidisse dicitur, referentem, audiisse libuerit, testimonium Nicephori*), cui si aliqualem fidem tribuere velis, colligere ex eo licebit, temporibus illis aquam necessario, ceu materiale baptismi, adhibendam esse, creditum fuisse; historiam puta adolescentis hebraei, in solitudine baptizati, effusa ter super caput eius arena; quem vero Dionysius episc. Ascalonensis causa cognita denuo baptizari iussit. — §. 3. Praeter materiam forma baptismi expendenda est. Ritus quidam, qui ad formam baptismi spectant, eo loco habiti fuerunt, ut in legitimo eorum usu sacri huius actus obeundi poneretur essentia; intermissis autem illis, legitimi baptismi nomen tueri non posse talem actum, quippe cui essentialia deessent, optimo iure persuasum haberetur. Huc referendam ducimus factam in aquam baptismalem immersionem, saltem illius adspersionem, cerimonias, in actus huius religiosi celebratione nunquam non hoc titulo et nomine requisitas. Prioris egregiam mentionem facit Tertullianus. Immersionis quidem generatim meminit in controversia cum Marcionitis, ubi immersionem ex consuetudine haereticorum, hac in re cum ecclesia orthodoxa conformem, refert**); demersionis vero ter factae testimonium dat alibi, cum illam in sanctissimae Trinitatis nomine fieri dicit***). Interim non tam presse inhaerebatur immersionis ritui, ut plane reiiceretur adspersio. In casibus enim extraordinariis adspersio utique adhibita et approbata est, quod forte ex eodem Tertulliano intelligi potest†). Immersionis autem, ter repetitae, originem si indagamus, idem nobis autor est, eam aevo ipsius iis consuetudinibus, quas ex traditione se accepisse existimaret ecclesia, fuisse adnumeratam††), ac quamvis sub magnifico obligationis divinae titulo eam universae ecclesiae obtrudere conetur *canonum apostolicorum* auctor†††), eius tamen sententiae subscribere merito dubitamus. Essentialis sacramenti huius forma omnino in legitimo formulae baptismalis usu collocatur hocque Tertullianus diserte testatur†*), quippe qui rem ad institutionem, ab ipsomet Domino Jesu Christo factam et conditam refert†**). Ut mentio expressa trium

---

*) exhibent et hoc *Centur. Magdeburg.* 11, 6. p. 109. ex dicto Nicephor. 3, 37.

**) *contra Marcion.* 1, 28. p. 753. ubi de eo dicit: *lavat hominem, quamquam apud se coinquinatum.* it. *cap.* 29. p. 754: *non tingitur apud illum caro, nisi virgo.* Demersionis testem habemus *constitut. apostolic.* auctorem, qui 3, 17. (*ap.* Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 291.) hunc in modum loquitur: ἐστὶ τοίνυν τὸ μὲν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ Ἰησοῦ διδόμενον· τὸ δὲ ὕδωρ ἀντὶ ταφῆς.

***) *contra Praxeam cap.* 26. p. 1029. Verba eius haec sunt: *non semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.*

†) de *poenitent.* 6. p. 196. dicit: *quis enim tibi tam infidae poenitentiae viro adsperginem unam cuiuslibet atquae commodabit?*

††) de *coron. milit.* 3—4. p. 341 ss.

†††) *can.* 50.

†*) de *baptism.* 13. p. 463. ait: *lex tingendi imposita est, et forma praescripta: ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

†**) id quod evidenter verba modo citata testantur, idemque *contr. Praxeam*

personarum fiat, requirit auctor librorum *recognitionum* *) ac cum eo consentiunt, integrum baptismi actum eleganter describens, Justinus Mart. **) ac *constitutionum apostolicarum* auctor ***). Etenim quum haec formula et ex dulcissimo ipsius Servatoris ore originem suam ducat (Matth. 28, 19) et omnibus numeris in divinarum litterarum monumentis conspiciatur ἔγγραφος, mirum non videbitur, si eiusdem ita tenacem se exhibuisse deprehendamus seculi huius ecclesiam, ut se eius et intermissioni et omni depravationi immutationi vel cuiuscunque modi fuerit corruptioni acerrimo studio opposuerit. Testatur hoc praecipue Tertullianus huicque testimonium *apostolicorum canonum*, quibus vero quantum pretium statuendum sit ipse noverit eruditus lector, subiungimus †). —

§. 4. Sacri baptismi obiectum, quod vocant, personale nobis nunc sistitur examinandum. Aliud illud est, quod sacramentum hoc administrat ac dispensat, aliud autem, quod id accipit. Hos, qui salutiferam hanc fidei tesseram accepturi erant, merito baptizandos sive candidatos baptismi; illos vero, qui eam dabant, ministros vocamus. Ii, qui religioso baptismatis sacramento initiandi hincque christianorum civium albo adscribendi erant, vel homines iam adulti et aetate provecti, vel infantes fuerunt et adolescentes, in tenera adhuc aetate constituti et hinc rationis nondum pleno usu gaudentes. De baptismo infantum non eadem ecclesiae huius aevi doctoribus sententia fuit. Liquido eum approbat atque requirit Irenaeus ††); Tertullianus autem non aperte quidem illum, ceu

---

cap. 26. p. 1029. repetit, dicens, *Christum mandasse discipulis, ut tingerent in patrem et filium et Spiritum S.*

*) ita enim auctor ille 6, 9. apud Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 557: *est in aquis istis misericordiae vis quaedam, quae ex initio ferebatur super eas et agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti et eripit eos de suppliciis futuris* etc. item 3, 67. p. 537. dicitur: *baptizabitur unusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine trinae beatitudinis invocato super se.*

**) *apol.* 11. p. 94. ubi expresse dicitur: ἐπ' ὀνόματος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Πνεύματος ἁγίου.

***) *libr.* 7, 22. p. 371. haec leguntur: οὕτω βαπτίσεις, ὡς ὁ Κύριος διετάξατο ἡμῖν λέγων· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίσαντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος κτλ.

†) confirmat hoc partim necessitas adhibendae huius in baptismo verborum formulae *can. apost.* 49. ita indicata: *si quis episcopus aut presbyter iuxta praeceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed in tribus sine initio principiis, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis, abiiciatur;* partim reiectio formulae baptismalis, tritheismum redolentis, in nomine trium sine initio principiorum prolatae, contra quam idem canon directe sancitus videtur; item reiectio introductae a Menandro corruptionis formulae baptizandi divinae, immutatae in nomen ipsius, de quo Tertullianus de *praescript.* 46. p. 401. ait: *quicquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans, habere posse quenquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset,* et improbatio formulae in mortem Christi dictae, ex testimonio *can. apostol.* 50.

††) *adv. haeres.* 2, 22. p. 147. ed. Massueti, ubi haec legimus: *omnes venit Dominus Iesus Christus per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros et iuvenes et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes,*

minus respondentem divino ordini, improbare audet; differendum tamen esse, serio contendit*), rationibus quidem non adeo firmis, quas vero huius loci angustia discutere vetat**). Interim licet Tertullianus dilationem baptismi suadeat cum parvulorum, tum adultorum, simul tamen non obscure ostendit, *viguisse illo tempore in ecclesia consuetudinem, baptizandi parvulos*, quae etiam sine contradictione ecclesiae orthodoxae fuit exercita et paedobaptismus pro legitimo utique habitus***). Quae mens hac de re fuerit Justino Mart., facile ex eius scriptis perspici potest†).

---

in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem. Infantium vero, ut ita loquamur, renascentiam sive iteratam nativitatem cum baptismo uno eodemque loco, tanquam locutionem patribus familiarem, habeas.

*) de baptism. cap. 18. p. 465. ubi hunc in modum loquitur: *itaque pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malae indolis falli. Ait quidem Dominus: nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt; veniant, dum discunt* etc.

**) liceat interim, haec pauca monere: primarium Tertulliani argumentum a periculo periurii, cui se ingererent, qui pro baptizandis sponderent; deinde vero, quo minus vitae moderatorum, quod promittendo susceperant, munus rite obire possent aut morte interveniente impedirentur aut perpetua et pertinaci in feritatem et scelera degenerantis alumni obluctatione prohiberentur, videtur desumtum. Pamelius quidem in *h. l.* p. 484. augurator, Tertullianum solummodo de eorum parvulorum baptismo, quorum parentes infideles Christo nomen fidemque dare detrectarent, loqui hacque de causa verborum illius sensum ad id restringere conatur. Sed in genere et expressis verbis dilationem baptismi omni aetati, ergo non tenerae solum, sed et adultae, omni vitae externique status conditioni, ergo non gentilibus modo, sed et christianis parentibus prognatae proli, omni denique dispositioni, non ergo solum lactantibus adhuc religionis alumnis, sed etiam ablactatis et puberibus ceu utilem et maximopere proficuam commendare satagit; quo vero fundamento, haud assequimur. Etenim quod palmarium arietis loco admovet atque a periculo sponsorum deducit, argumentum nec tanti ponderis nec molis est, ut pii moris basin labefacere et baptismum plane intermittendum esse recte probare queat. Quis enim eum periurii insimulabit, qui, quantum in se et viribus situm, munia sua fideliter implere promissisque stare et satisfacere totus quantus adlaborat? quem si nihilo secius, quacunque ex causa foris accedente, fallat et frustretur eventus; attamen vigili cura partibus suis insudasse, legitime eum culpae expertem esse fatebitur; aut quis fortuitae possibilitatis, qua omnia humana, tenui quippe filo pendentia, et dextre et sinistre cedere possunt optimisque in rebus nec prosper certo nec infaustus praesagiri potest successus, vano metu ideirco actionem in se innoxiam, piam et sanctam, qua corporis animaeque salus et prosperitas quam maxime petitur in eamque serio intenditur, temere reprobandam statuet eamque tollere fas ducet?

***) paedobaptismum iam seculo primo fuisse usitatum, satis est certum hocque praeter alios confirmat Origenes, consuetudinis antiquitatem referens. Dicit enim *comm. in epist. ad Roman. cap.* 6: *ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis baptismum dare;* et *comment. in Levitic. hom.* 8. haec habet: *secundum ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismus datur.*

†) *dialog. cum Tryphon.* p. 261. §. 2. *citat.* Quibus ex verbis ita concludere possumus: si N. T. baptismus circumcisioni V. T. respondet, utpote qui eius in locum successit, sequitur, ut sicuti infantes ad circumcisionis sacramentum fuerunt admissi et in tenerrima adhuc aetate iam idonei a Deo habiti, qui sanctissimum foedus cum eo inirent et in carne custodirent, illi pari ratione ad baptismale cum Deo foedus quoque admittendi sint.

Minori difficultati obnoxius fuit adultorum baptismus, communibus piae antiquitatis suffragiis approbatus, commendatus, celebratus *). At nihilominus cavebatur sollicite, ne is profanis et sceleratis impertiretur hominibus, ne in contemtum gentium abiret sanctissimum religionis mysterium **). Prolixum hinc catalogum eorum, qui baptismi haud capaces sunt, exhibent *constitutiones apostolicae* ***). Sacramento hoc digni iudicabantur, qui divinis christianismi doctrinis, quae ipsis in praeparatione catechetica probe traditae fuerant, plenum assensum praebuerant, quod nos Justinus Mart. edocet. Ne ergo quis illotis, quod aiunt, manibus ad limpidissimum salutis fontem accederet, sequentem in modum providebatur. Pristino et vitae genere, si criminosum scilicet id fuerat, et religionis cultu relicto ac intermisso instituebatur doctrinae christianae principiis docebaturque Christum cognoscere baptismi candidatus, in sinum ecclesiae recipiendus, ab hac institutione et *κατηχήσει* nomen *κατηχουμένου* sortitus, prout ordinarie alias *audientis* et *illuminandi* nomen ipsi tributum est †). Docebatur porro, quomodo orare ac preces rite facere, jejuniis operam dare ac seriam agere poenitentiam deberet, priori vitae renuntiando, delicta commissa publice profitendo eorumque veniam a Domino supplici voce rogando ††). Triplici huic, quod publicis precibus, jejuniis et peccatorum professionibus adsolvebatur, progymnasmati adiungebat triplex aliud germanae pietatis exercitium, qui initiationis gratiam cupiebat, quando jam per aliquod temporis spatium christianismi rudimentis imbutus, quosdam in cognitione veritatis vitaeque sanctitate profectus fecerat. Primum fiebat *abrenuntiatio diaboli*, cuius ferreum jugum jamjam excussurus ejusque servitio nuntium missurus erat baptizandus. Egregie ejus passim meminit Tertullianus †††) et abrenuntia-

*) non obstat effato nostro citatus ante Tertulliani locus, ubi baptismus et adultorum dissuaderi forsan videri posset. Dilationem enim tantum baptismi suadet, quae si apud infantes protrahatur eo, usque dum *παῖδες* esse desierint, plane intercidit paedobaptismus, quod secus se habet in adultis.

**) nimirum ex regula Christi *Matth.* 7, 6. accurate observata.

***) 8, 32. ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 417. Referuntur in horum numerum daemoniaci, servi dominorum testimonio destituti, lenones, meretrices, idolorum artifices et alii; his Marcionitae, sed male, addidere in coniugio viventes, ut refert Tertullianus *contra Marc.* 1, 29. p. 754.

†) Tertullianus de *poenit.* 6. p. 196. sequentem in modum interrogat: *an alius est intinctis Christus, alius audientibus?* ubi per *tinctos* baptizatos, per *audientes* baptizandos intelligit. *Φωτιζόμενον* vocat baptismi candidatum Justinus Mart. *apol.* 2. p. 94. add. Clementem *Alex. paedag.* 1, 6. p. 113.

††) composite haec omnia exhibet Justinus *Mart. apol.* 2. p. 93: *ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς.* Idem testatur Tertull. *de bapt.* 20. p. 465. dicens: *ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet et cum confessione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptismum Ioannis: tingebantur, inquit, confitentes delicta sua.*

†††) Classicus locus extat *libr. de coron. milit.* 3. p. 341. ubi haec profert: *aquam aditurі, ibidem, sed et aliquanto prius, in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius.* Add. *libr. de*

tionis formulam refert, si ad hoc aevum pertinet, *constitutionum apostolicarum* auctor*). Etenim ex illarum citato loco intelligimus, in baptismo renuntiatum fuisse *pompae satanicae universae*; ad istam vero referebantur, eodem Tertulliano auctore, omnes et singulae pristinae pravae vitae et religionis reliquiae, quae missarum sordium ullum quocunque modo desiderium aut tacitum amorem redolebant. Generis hujus censebantur esse spectacula, quibus impune indulgere atque interesse non poterat, qui foedus cum Domino initum sartum tectum tueri volebat**). Adnumerabant omnia *officia honoresque seculares*, quibus fungi nemo poterat, quin in superstitionem rituum et impiarum cerimoniarum partem veniret, cujusmodi erant officia flaminum, idololatrico cultui inservientia simulque sub religionis facie ad eo melius regendum populum accommodata***). Formam abrenuntiationis hanc fuisse reperimus. Catechumenus, baptismum expetens, baptisterio aut fonti aquarum adstabat ibique in conspectu ecclesiae, vultu in occidentem converso, omnia opera Satanica abjurabat, manus ad eandem regionem in abrenuntiationis signum impingens. Accedebat antistitis interrogatio, sciscitanis: num bona fide, candide, integre atque ex animo stygio tyranno magistratum abdicaret, cultum et officia renuntiaret, abjuraret eiusque tyrannidem detestaretur? cui clara et evidens renuntiationis contestatio, apertis et planis verbis expressa, respondere debebat†). Pii hujus ritus incunabula antiqua ex traditione repetit Tertullianus eumque non mandatorum in scriptura contentorum, sed consuetudinum, ultro quidem, at recta intentione, puro fine, bona mente receptarum pioque consilio institutarum numero accenset††). Insecuta est *sponsio* sive *obedientiae erga Christum stipulatio.*

---

spectacul. 4. p. 251. ubi ait: *quum aquam ingressi christianam fidem in legis suae verba profitemur, renuntiasse nos diabolo et pompae et angelis eius ore nostra contestamur.*

*) videsis eam 7, 41. apud Cotel. p. 383. his verbis inclusam: ἀποτάσσομαι τῷ σατανᾷ, καὶ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ ταῖς λατρείαις αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς ἐφευρέτεσιν αὐτοῦ, καὶ πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτόν.

**) Innuit hoc Tertullianus *libr. de spectac.* 4. p. 251. ubi theatris indulgentem idololatriae reum fieri perhibet. En eius verba: *quid erit summum ac praecipuum, in quo diabolus et pompae et angeli eius censeantur, quam idololatria?* et porro: *igitur si ex idololatria universam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate praeiudicatum erit, etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostrae testimonium in lavacro, quae diabolo et pompae et angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam.*

***) confer. idem de *coron. milit.* 3. p. 347: *Hae erant pompae diaboli et angelorum eius, officia seculi, honores, solemnitates postulatrices, falsa vota, humana servitia, laudes vanae, gloriae turpes et in omnibus istis idololatria in solo quoque censu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt.*

†) abrenuntiationis huius cerimoniam quoad omnes numeros non ex solo Tertulliano 2. *de coron. milit.* 3. et *de spectac.* 4, 13. colligere licet. Fatemur, nos hic aliqua ex parte *libr. de eccles. hierarch.*, qui sub Dionysii Areopagitae nomine circumfertur, autoritate in ea recensenda nisos fuisse, quam videas in 2, 2. §. 6. *tom.* 1. *opp.* p. 253. edit. Corder. *Antw.* 1534., cui tuto si in rebus hujus seculi assensum exceptione majorem detrectare volueris, nobis non refragantibus facies.

††) *de cor. mil.* 3. p. 341: *Hanc si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quae sine dubio de traditione manavit.*

Haud enim sufficere credebatur, pristino domino nuntium misisse seque principis tenebrarum subduxisse imperio et mundo valedixisse, sed requirebatur insuper, ut divo et potenti, quem novissime nactus erat, magistro, cujus in castra transgressus erat, strenue sub illius auspiciis rem acturus sacramentum diceret fidemque jurando sponderet christianae militiae adscribendus. Quin eodem sponsio haec, quo abrenuntiatio fieri solebat, modo, interrogatione scilicet antistitis baptizandique exhibita responsione, absoluta fuerit, dubitare nos non sinit testimonii Tertullianei evidentia*); Justinus Mart. vero nobis auctor est, baptizandos fidei suae professioni promissa addidisse, se mores et vitam ad religionis christianae regulas composituros esse**). Usitata hinc erat formula: *συντάττομαί σοι Χριστέ*, legibus tuis moderandus***). Accedebat *fidei professio*, quam Justinus Mart. arctissime et indissolubiliter cum obsequii promissione connexam exhibet. Publice nimirum coram omni ecclesia profitebantur et contestato dicebant, se revera persuasos esse de veritate omnium et singulorum, quae divina Jesu Christi doctrina contineret eaque tam credenda quam agenda proponeret†). Examinis cum iis ex articulo de Patre, Filio et Spiritu S. ac de ecclesia instituti meminit Tertullianus††). Caeterum ulteriori si ritus hujus commemoratione delectaris, jam allegatum adeas Dionysium, qui residuam, quam frustra in coaevorum hactenus citatorum scriptorum monumentis requires, cerimoniae partem exhibebit†††). — §. 5. Qui candidato in baptismatis actu assistebant, a Tertulliano *sponsores* dicuntur†*). Horum munus erat, baptizandi loco ad diversas interrogationes in baptismo respondere atque coram ecclesia fidem adstringere, se baptizando moderatores vitae futurae spiritualis esse adfuturos. Sponsorum horum, in paedobaptismo adhibitorum et pro parvulis spondentium meminit Tertullianus ac eorum operam non obscure improbare videtur†**). — §. 6. Qui in actu reli-

*) extat *libr. ad martyres* 3. p. 224: *vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus.*

**) legitur illud expresse apol. 2. p. 93.

***) *συνταγῆς* hujus *ἀποταγὴν* proxime insecutae formulam si scire gestis, hanc habe ex *constit. apostol.* 7, 41. (ap. Cotelerium p. 383.) *μετὰ δὲ τὴν ἀποταγὴν συντασσόμενος λεγέτω, ὅτι καὶ συντάσσομαι τῷ Χριστῷ καὶ πιστεύω καὶ βαπτίζομαι κτλ.*

†) Justinus *Mart. l. c.* his potissimum verbis id testatur: *ὅσοι πείθονται καὶ πιστεύουσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι.*

††) *de baptism.* 6. p. 461: *quum sub tribus et testatio fidei et sponsio salutis pignorentur, necessario adjicitur ecclesiae mentio, quoniam ubi tres, i. e., Pater et Filius et Spiritus S., ibi ecclesia, quae trium corpus est.*

†††) de *ecclesiast. hierarch.* 2. p. 253. ubi inter alia haec refert: *sacerdos catechumenum, abrenuntiationis verbis recitatis, ad orientem transfert et in coelum intuentem manumque attollentem Christo cunctisque sacris a Deo traditis eloquiis jubet assentire etc.*

†*) libr. de *baptism.* 18. p. 465.

†**) locum vide integrum *cit.* §. 4. (p. 78 not. *) Ex illo officium eorum in his partibus constitisse colligimus: illos nimirum infantis loco ad diversas interrogationes in baptismo respondisse, ejus loco repromissiones sanctae et intemeratae vitae servandae fecisse; seipsos obstrinxisse, se curam acturos, ut infans

gioso baptizantis partes agebat, *ministrum baptismi* vocari posse supra observavimus. Primis quidem ecclesiae nascentis temporibus, apostolorum nimirum aetate, ecclesiarum antistites, qui simul doctorum munere fungebantur et mysteriorum divinorum oeconomi erant (1 Cor. 4, 1), sacramentum baptismi dispensasse iisque, qui eo accipiendo digni erant, exhibuisse, in aprico positum est. At quum paullo post inter episcopos ac presbyteros suboriretur discrimen, baptismum propria auctoritate impertiendi jus soli episcopali officio reservatum est, caeteris inferioribus dignitate sacerdotibus permissionis, ab episcopo rogandae, petitioni adstrictis. Hujus rei vestigia iam in Ignatio deprehendimus, qui baptismum non sine episcopo aut saltem absque ejus notitia, adprobatione, concessione et permissione, administrandum esse, graviter urget.*). Latius vero rem exponit Tertullianus, qui jus baptismum conferendi ad solum quidem summum sacerdotem seu episcopum refert, ita tamen, ut presbyteros et diaconos, quum antea episcopali auctoritate et consensu rite fuerint praemuniti, ab officii functione non excludat, imo ad laicos usque jus hoc, ordine scilicet praescripto servato, extendit, ratione statim annexa; a quibus autem requirit, ut officii hujus, episcoporum proprii, functionem praeter necessitatis casum non temere sibi arrogent**). Licet vero hic ecclesiae doctor citato in loco baptismum, urgente puta, quae semper praesupponenda est, necessitate ab omnibus Christianis administrari posse doceat: idem tamen alibi ***) perhibet, mulieres absolutissime exemtas esse easque plane nullius in ecclesia obeundi muneris capaces reputat. Procul ergo, sicuti ab omnium caeterorum ecclesiasti-

---

sanctissimae religionis capitibus rite imbueretur et coelestes christianismi doctrinas probe edoceretur piamque olim et baptizato christiano dignam vitam agere disceret; foedus baptismale cum domino ictum inviolatum et integrum custodiret nec unquam in scelera et peccata relabendo turpiter illud et perfide rumperet. Caeterum munus pro baptizandis spondendi in officiis diaconorum et diaconissarum numerat *constit. apost.* auctor 3, 16. ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolicor.* p. 291. Descriptionem nominis sponsorum atque baptizati refert Dionysius *loc. cit.*

*) *ep. ad Smyrn.* 8. ed. Ittigii p. 8: οὐκ ἐξὸν ἐστὶν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν κτλ.

**) audiamus ipsa ejus hac de re verba *de baptism.* 17. p. 464.: *Dandi quidem baptismatis habet jus summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri et diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem. Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest, nisi episcopi jam aut presbyteri aut diaconi vocantur, dicentes: Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et baptismus aeque Dei census ab omnibus exerceri potest; sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, quum ea majoribus competat, ne sibi adsumant dicatum episcopi officium episcopatus.*

***) *de virgin. veland.* 9. p. 370: *non permittitur mulieri in ecclesia loqui; sed nec docere nec tingere nec offerre nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare;* adde *de praescript. advers. haeretic.* 41. p. 400. quo loco in impiam procacitatem haereticarum mulierum, quae ecclesiastica ipsisque minime competentia docendi, contendendi, exorcismos agendi, curationes repromittendi, forsitan et tingendi munera usurpent, gravissime invehitur.

corum, ita praesertim et hujus muneris functione in ordinatiori illa ecclesia esse jussae fuere mulieres, nisi peculiare illud vestium exuendarum et induendarum baptizandis foeminis praestandum, quod diaconissis incumbebat, ministerium fortassis huc trahere velis*). — §. 7. Deducimur ad considerationem eorum, quae in actus baptismalis forma accidentaliam solummodo loco haberi solebant, quorum scilicet ea putabatur esse conditio, ut non eo rigore ad legitimam baptismi perfunctionem et celebrationem ac ea, quae antea adduximus et tractavimus, momenta requirenda esse censerentur. Spectat huc *temporis* ac *loci*, quo baptismi celebratio solebat institui, conditio. Quod ad *tempus* attinet, illud prima ecclesiae aetate baptismo expresse praestitutum ac certum ei praescriptum non deprehendimus. Prout quisque christianae fidei capitibus assensum praebuerat et se Christo dextram nomenque daturum fore, serio in animo et videbatur et testabatur habere atque inde baptismi accipiendi capax censebatur, ejus pro temporis ratione impertiebatur ipsi baptismus. Haec primaeva**) apostolica praxis fuit. Aetate proxime insecuta baptismatis administratio in festiva paschalis et pentecostalis temporis solemnitate peracta fuit. Auctor nobis est Tertullianus, qui duo haecce tempora explicate designat***). Similiter paschali tempore catechumenis baptis-

*) de quo conferas ita dictum Dionysium *Areop. hier. eccl.* 2. p. 279.

**) hoc commode satis, prout a majoribus accepit, tradit et explicat auctor *commentarii in epistol. Paul. ad Ephes.* 4. qui Ambrosio adscriptus fuit (*tom.* 5. *oper.* p. 355. ed. Basil. 1567.): *primum omnes docebant et omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quaesivit aut diem, quo eunuchum baptizaret; neque jejunium interposuit. Neque Paulus et Silas tempus distulerunt, quo optionem carceris baptizarent cum omnibus ejus. Neque Petrus diaconos habuit aut diem quaesivit, quando Cornelium cum omni domo ejus baptizavit.*

***) Ita enim *libr. de baptism.* 19. p. 465: *diem baptismo solenniorem pascha praestat, cum et passio Domini, in qua tingimur, adimpleta est nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad praeparandum: invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem. Paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit. Exinde pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est et gratia Spiritus S. dedicata et spes adventus Domini subostensa, quod tunc in coelos recuperato eo angeli ad apostolos dixerunt, sic venturum, quemadmodum et in coelos conscendit, utique in pentecoste.* Superfluum fortasse videbitur, hic monuisse, quo sensu *pentecostes latissimum ordinandis lavacris spatium*, cujus Tertullianus meminit, accipiendum sit? Etenim ejus ex mente hoc pentecostes spatio non solus duntaxat et singularis dies, sed universus quinquaginta dierum inter pascha et pentecosten interjectorum complexus denotatur. Hos enim singulos laetos festosque actos esse dies, tripudiis, genialiter et explicata fronte celebratos, ex jejunationum, geniculationum aliarumque severioris et rigidioris disciplinae partium, per hoc temporis intervallum decreta abrogatione facile liquet, quippe quas cum jucunda et hilari, partae per Domini resurrectionem, salutis lautistimorumque divinitus acceptarum charismatum meditatione et recordatione plane non conspirare posse, pio fidelium coetui persuasum erat. Piae igitur oblectationis et laetitiae, cui per hoc tempus indulgebant, testimonio quoque erat baptismi largitio, dicto tempore catechumenis facta, qua laetantes in ecclesiam ingredi communisque gaudii et exultationis affines fieri poterant. Vocabulo *pentecostes* sensu ante memorato explicando commode inservire videtur locus Tertulliani *de idololatr.* 14. p. 287: *ethnicis semel annuus dies quisque festus est; tibi octavo quoque die;*

mum conferri, iubet *constitutionum apostolicarum auctor* *). Caveas vero, ne horum statorum temporum ejusmodi rationem in orthodoxa illius aevi ecclesia habitam fuisse credas, acsi tam arctae necessitatis esset eorum observantia, ut per residuam anni vertentis intercapedinem absque insigni religiosae pietatis violatione institui non posset baptismi celebratio. Nimirum in tantum aberat mens haec, ut potius assereretur, interiorem animi, qua baptismi candidatum instructum esse oporteret, indolem hic maxime in censum venire majorisque esse ponderis, quam externas temporis circumstantias, quin imo ingenuum, faci expertem et candidum baptizandi animum, non temporis, quo tingeretur, festivitatem in foro coelesti punctum ferre, quam piam et sanctam ecclesiae sententiam Tertullianus egregie et vere apostolice interpretatur **). Quaestio de *loco*: ubinam hisce temporibus baptismus celebrari solitus fuerit? nihil plane negotii habet. Namque primaeva hac aetate baptismi actum non certo cuidam loco conspicamur adstrictum. Apostoli, prout ferebat opportunitas, baptismum largiebantur. Dive Servatori praemissus Johannes baptizabat in Jordane; Philippus eunuchum in solitudine; Paulus carceris custodem domi, Petrus, uti Tertullianus (de bapt. 4. p. 460.) tradit, conversos suos tingebat in Tiberi. Liberrime igitur hac in re, ab eorum quoque excessu, diu multumque actum. Quandoquidem primi successores, praeceptorum vestigiis pressius insistentes et Servatoris, qui baptizandos aqua lustrari praeceperat, verbis simpliciter inhaerentes, religiosam ablutionem undique gentium et ex omni parte, ubi hujus elementi copia dabatur, peragebant. Hinc baptismi ad maria, flumina, rivos, fontes, stagna, lacus ***). Simpliciorem hunc baptizandi morem Justini Mart. et Tertulliani aetate adhuc viguisse, dictionis, qua in describenda universa baptismi actione utuntur, modus nobis persuadet †). Certe sequentibus demum temporibus baptismum ad ecclesiae baptisteria adstrictum deprehendimus. — §. 8. In illorum denique rituum, qui in aevi

---

excerpe singulas solemnitates nationum et in ordinem texe, pentecosten (quinquaginta dierum spatium) *implere non poterunt.* Festivi insuper paschalis, in pentecostale usque tempus protracti, gaudii, in ante memorata abrogatione magnam partem conspicui, testimonium sumas ex eodem, *de coron. milit.* 3. p. 341: *die dominico jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die paschae in pentecosten usque gaudemus.*

*) 5, 19. apud Cotelerium (*tom.* 1. *patr. apostolicor* p. 326): τῷ δὲ σαββάτῳ μέχρις ἀλεκτοροφωνίας παρατείνοντες, ἀπονηστίζεσθε ἐπιφωσκούσης μιᾶς σαββάτων, ἥτις ἐστὶ κυριακὴ, ἀπὸ ἑσπέρας ἕως ἀλεκτοροφωνίας ἀγρυπνοῦντες, καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συναθροιζόμενοι, γρηγορεῖτε, προσευχόμενοι καὶ δεόμενοι τοῦ Θεοῦ, . . . καὶ βαπτίσαντες ὑμῶν τοὺς κατηχουμένους.

**) *de baptism.* 19. p. 465: *omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.*

***) de quibus videas *Auct. recogn. libr.* 4, 32. et 6, 15. (apud Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 558.) item Clem. hom. 9, 19. (apud eundem p. 691.)

†) ita enim simpliciter absque ullius loci praescripti mentione Tertullianus *de coron. milit.* 3. p. 341. dicit: *aquam adituri ibidem* cet. et Justinus *Mart.* apertius adhuc *apol.* 2. p. 93: ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ κτλ.

hujus ecclesia baptismali actui quidem adjungi eiusque solemnibus (at non ea mente, ac si iis, quos §. 3. commemoravimus, essentialibus legitimi baptismi requisitis aequiparandi eodemque ac illi loco habendi essent) accenseri solebant, numerum referri posse statuimus baptismatis actui praemitti solitam *consecrationem aquarum*, quae in mysteriosa ablutione adhibendae sacroque usui destinatae erant. Illam per *preces* fieri consuevisse, memoriae prodidit Tertullianus *) precumque earum formam exhibet, si fidem meretur, *constitutionum apostolicarum* auctor **). Verum addendus etiam, potiorem qua partem, et jure quidem suo videtur illarum cerimoniarum complexus, quem sub splendido *confirmationis* nomine aetas insecuta celebravit. Dispiciamus ergo paucis de confirmationis hujus *forma* s. modo eam peragendi; de ejusdem *objecto personali*, et de *tempore*, quo ejus instituta fuit celebratio. Quod ergo primum cerimonias ad confirmationis *formam* spectantes attinet, quatuor potissimum in illius administratione observatos esse ritus, in iis, quae ad hoc aevum referri merentur, monumentis reperimus. Familiam ducebat *unctio*, quippe quae baptizatis, simulatque ex aqua ascendissent, impertita atque adeo religiosam ablutionem immediate insecuta est. Inprimis illius meminit Tertullianus diversis in locis ***); de ejus vero origine varia veterum pariter atque recentiorum scriptorum est sententia. Sunt, qui eam ad apostolorum jam aetatem eorumque praxin referunt †); sunt, qui paulo post eam invaluisse perhibent ††); sunt denique, qui totis vi-

---

*) *de baptism. cap.* 4. p. 460: *igitur omnes aquae de pristinae originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim spiritus de coelis et aquis superest, sanctificans eas de semet ipso et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt.*

**) 7, 43. cui titulus praefixus: *περὶ τοῦ μυστικοῦ ὕδατος εὐχαριστία* (ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolicor.* p. 384.) ubi haecce praescripta deprehendes: *αὐτὸν οὖν, τὸν δεσπότην Θεὸν τὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ μονογενοῦς Θεοῦ, καὶ νῦν παρακαλείτω ὁ ἱερεὺς πρὸς τῷ βαπτίσματι, καὶ λεγέτω, ὅτι κάτιδε ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἁγίασον τὸ ὕδωρ τοῦτο· δὸς δὲ χάριν καὶ δύναμιν, ὥστε τὸν βαπτιζόμενον, κατ' ἐντολὴν τοῦ Χριστοῦ σου, αὐτῷ συσταυρωθῆναι, καὶ συναποθανεῖν, καὶ συνταφῆναι, καὶ συναναστῆναι εἰς υἱοθεσίαν τὴν ἐν αὐτῷ, τῷ νεκρωθῆναι μὲν τῇ ἁμαρτίᾳ, ζῆσαι δὲ τῇ δικαιοσύνῃ.*

***) *de baptism.* 7. p. 461: *exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant.* Item *de resurr. carn.* 8. p. 680. illius rei hoc ordine mentionem facit: *caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur.* Add. *advers. Marcion.* 1, 14. p. 746. ubi haeresiarchae Marcionis consuetudinem, a catholicae ecclesiae praxi non abludentem, his verbis commemorat: *sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit.*

†) ad hanc quidem confirmandam rem si nullus alius adesset scriptor, solum tamen sat graviter ac speciose adesse eique praecipue et maximopere studere, ipsum *constitutionum apostolicarum* auctorem, ipso facto, quum eos, qui ritus hujus formam ac dispensationem tam accurate determinant, tot locis inducit, satis liquet.

††) hac in sententia constitutus videtur Pearsonius, qui usum ejus paulo post apostolorum aetatem in ecclesiam introductum esse putat, quod quidem judicium rei veritati non adeo incongruum esse arbitramur, quum ejus moris pretium ac dignitatem seculi jam secundi temporibus non exiguam apud ortho-

ribus contrarium tuentes, in quantum salva monumentorum extra suspicionis notam dubitationemque positorum ac genuinorum fide et auctoritate licet, incunabula ejus in aevo ab apostolis remotiori collocant *). Significatum ejus et scopum diserte explicat Tertullianus, quam unctionem adhiberi dicit in similitudinem ritus, sub prioris foederis oeconomia usitati **), quo in cultu divino levitico sacerdotes sacra unctione muneri suo initiari consuevissent eamque inde religiosum spiritualis sacerdotii, utpote insignis illius, qua quilibet, christiana civitate donatus, per baptismum augeretur, dignitatis symbolum extare. Cum vero idem scriptor alio in loco ***) *carnem ungi, ut anima consecretur* dicit, a nobis impetrare non possumus, ut credamus, aliam ipsi mentem fuisse, quam de carnis unctione baptismali, tanquam causa typica consecrationis animae, Domino factae; neutiquam vero de ea, tanquam causa instrumentali tanti effectus, verba facere, inprimis ad ita determinandam ejus hac de re sententiam loci praecedentis modo citati analogia inducti. Certe alio sensu, ac ubi *de ablutione carnis, ut anima emaculetur*, in verbis praecedentibus loquitur, particulam *ut*, effectum alias denotantem, accipiendam esse, ex collatione aliorum locorum, in quibus de ablutione, quae in aquis fit sive de tingendi actu, tanquam causa efficiente iteratae nostrum nativitatis, et quidem ea unica salvificationis, itemque de arcta ejusdem necessitate ex mandato Christi, quoad actus formam ac essentiam †), evidentissime loquitur, tuto colligere licebit ††). An vero de hujus unctionis significatu et scopo eadem, ac Tertulliano sententia fuerit *constitutionum apostolicarum* auctori †††), id confidenter asserere haud sustine-

---

doxos aeque ac apud haereticos fuisse ex Tertulliani scriptis passim non obscure appareat.

*) In hunc censum referre non dubitamus Basnagium atque Dallaeum, qui dum hujus unctionis ritui eandem cum Tertulliano aetatem plane denegare non audeant, hujus tamen scriptoris aevo, forsan et consilio, atque sub tertii seculi auspicia cerimoniae usum primum coepisse confidenter dicunt, cui sententiae calculum nostrum ultro adjiceremus, nisi ex haereticae Marcioniticae, ab orthodoxa ecclesia tanto animorum fervore dissidentis, scetae tenacitate, qua hujus moris, licet iste ei cum catholicis esset communis, observantissimam tamen se gessit, ejusdem aetatem jam tum temporis neutiquam adultam fuisse suspicaremur.

**) quod diserte haec verba testantur, quibus *de bapt.* 7. p. 461. utitur: *perungimur unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron a Mose unctus est, unde Christus dicitur a chrismate, quod est unctio, quae Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia spiritu unctus est a Deo patre, sicut in actis.*

***) *de resurr. carn.* 8. p. 680.

†) de quo conferas, quae ille habet *de bapt.* 13. p. 463: *lex enim tingendi imposita est et forma praescripta.* Et *contra Praxeam* 26. p. 1029. de mandato Christi discipulis dato repetit.

††) nec dictis nostris contrariari putes locum *de baptism.* 6. p. 461. ubi sententia, Tertulliano fortasse peculiaris, occurrere videbitur, quando ita dicit: *non quod in aquis Spiritum S. consequamur, sed in aqua emundati sub angelo Spiritui S. praeparamur.* Tametsi autem istud damus, ejus quidem ex mente aquas adhiberi tantum in praeparationem ad Sp. S. recipiendum; prone tamen hisce ex dictis alveo fluit, ablutionem aquarum hujus saltem praeparationis causam efficientem esse, ipsum statuere.

†††) quando nempe diversarum partium et cerimoniarum in baptismo adhibi-

mus, quum, praeterquam quod manuum impositioni plus justo necessitatis et efficaciae adscribat*) atque mentem observationis cerimoniarum baptismalium accessoriarum nimis amantem subinde prodat, de actu hoc loquens, μύρον, quo haec unctio peracta fuit, nomine σφραγίδος τῶν συνθηκῶν insignire, non dubitet**) et in precationis subsecutae formula praescripta eidem unguento efficaciam non obscure adscribere videatur***). Unctioni huic adjunctam fuisse *signationem crucis* clare innuit Tertullianus †), qui pium illum morem, frontem crucis signaculo terendi et quasi muniendi, quavis alia occasione aevi sui Christianis usitatum fuisse prodit††). Qua vero mente, ut alias ita et in hoc actu adhibitus sit signationis ritus et quomodo illa Tertulliani, quibus in citato loco, ubi baptismi cerimonias ordine recenset, utitur, verba accipi debeant? Signationem pro symbolo gratiae divinae, mediante satisfactoris merito recuperatae, atque animae, divo et potenti crucifixi Servatoris praesidio munitae; non pro organo, ea plane ratione ac de praecedenti unctionis ritu diximus habitam fuisse, non est quod dubitemus. Signationis ejus quoque meminit *constitut. apostolic.* auctor, et more consueto mysticum ejusdem significatum subjungit†††). Succedebat, teste Tertulliano †*), *manuum impositio*, cujus originem unanimi-

---

tarum sensum explanans 3, 17. (ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 291.) inter alia dicit: ἐστὶ τὸ μύρον βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας.

*) etenim 7, 44. (ap. Cotelerium c. l. p. 385.) haec profert: ἑκάστου γὰρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐστὶν αὕτη· ἐὰν μὴ εἰς ἕκαστον τούτων ἐπίκλησις γέννηται παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰουδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τοῦ σώματος, οὐ τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς.

**) *libr.* 7. *cap.* 22. (ap. Cotelerium c. l. p. 371.) in praecipiendis baptismi solemnibus occupatus ait: χρίσεις πρῶτον ἔλαίῳ· ἔπειτα βαπτίσεις ὕδατι, καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ· ἵνα τὸ μὲν χρίσμα μετοχὴ ᾖ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τὸ δὲ ὕδωρ σύμβολον τοῦ θανάτου, τὸ δὲ μύρον σφραγὶς τῶν συνθηκῶν.

***) sufficiens testimonium dictae rei praebeant ipsa formulae, prouti ea 7, 44. p. 385. sub titulo: περὶ τοῦ μυστικοῦ μύρου εὐχαριστία, leguntur, verba: σὺ, Κύριε ὁ Θεὸς, καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βεβαίαν καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου, καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ.

†) *de resurrect. carn.* 8. p. 680. In enarratione rituum inprimis ejus ita meminit: *caro signatur, ut et anima muniatur.* Item *libr. de praescript. adv. haereticos.* 40. p. 400. ubi Satanae καχοζηλίαν in imitandis sanctissimae religionis sacramentis ac mysteriosis cerimoniis perstringens illius quoque moris observati et ad daemonum aras translati, mentionem injicit, dicens: *tingit et ipse* (diabolus) *quosdam utique credentes et fideles suos expiationem delictorum de lavacro repromittit et sic adhuc initiat Mithrae; signat illic in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem et imaginem resurrectionis inducit et sub gladio redimit coronam.*

††) *de coron. milit.* 3. p. 342. ait: *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

†††) *libr.* 3, 17. dicit: ἐστὶ ἡ σφραγὶς, ἀντὶ τοῦ σταυροῦ.

†*) *de baptism.* 8. p. 461. scribit: *dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum S.* Idemque *de resurrect. carn.* 8. his verbis

ter ad ipsam apostolorum aetatem referant, atque ab eorum exemplo et praxi (Act. 8, 17; 19, 6; cfr. Hebr. 6, 2.) deducant secularorum sequiorum scriptores ejusque apostolicae praxeos auctoritate ad id additum fuisse, sat probabiliter auguramur, *constitutionum apostolicarum* auctorem, ut de *χειροθεσίας* illius necessitate darius justo, ut paulo ante memoravimus, sentiat tantoque eandem rigore requirat, ut in ipsam baptismi efficaciam inque hoc divinitus datum gratiae coelestis organon temerarius sane et plane injurius merito audiat, nisi aequus interpretis animus ex altero loco, ubi contrariae plane et aequioris mentis fuisse sibique melius constitisse videtur, confirmationis ritus non aeque absolute necessarios, ac ipsum baptisma, esse indigitans *), durioribus illis effatis mitiorem sensum adferre eaque emollire velit. Ipse vero Tertullianus non obscure innuit, eam tum temporis in ecclesia receptam extitisse ac viguisse sententiam, Spiritum S. adhibito pio ritu *χειροθεσίας* in animam, antea gratum ipsi in domicilium praeparatam et comptam eiusque recipiendae praesentiae hospitioque rite optatam et accommodatam, cum gratiae suae thesauris adventare ac descendere solere. Atque inde habemus, ex quo imitationis praxeos apostolicae rationem ejusdemque scopum colligere possumus, cujus et loco suo meminit Tertullianus, quum illam eum in finem, ut *anima spiritu illuminetur*, fieri ait. Adjungebantur porro manuum impositioni *preces*, quae ad implorandum Spiritus S. in fovendo, firmando et vegetando recens baptizato auxilium pio mentis ardore fundebantur **). De earum necessitate salutarique efficacia persuasissimi erant, quum sicuti in omnibus aliis rebus ita praesertim in arduo summique momenti illuminationis et sanctificationis negotio, divini illius ab optimo Servatore sibi promissi opitulatoris subsidium maximopere rogandum ardentique zelo efflagitandum esse clare perspectum haberent. Unicus ergo hic piae precationis scopus erat, ut omnipotens Deus et pater Domini Jesu Christi recens baptizatum, per filii ministerium ex satanici regni ergastulis felicissime reductum pacique ipsius reconciliatum, Spiritus sui S. gratia adimplere atque efficere vellet, ut illis, quas in baptismo suscepisset, partibus fide stare, iisdem in ampliationem et gloriam regni Christi et in confirmationem totius ecclesiae strenue fungi, in egregium bellatorem Jesu Christi evadere ac tandem victricis coronae aeternaeque salutis compos fieri posset. Publicis hisce precibus quilibet ex praesentium congregatorum fidelium coetu imprecationes et pro se ipso propriaeque rei causa et pro publica totius ecclesiae singulorumque ejus membrorum necessitate jungere atque inserere solitus erat ***). Quod ad confirmationis, ut ajunt, *objectum per-*

---

rursus rem commemorat: *caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.*

*) extat. 7, 22. (ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 371.) ubi quidem singulas cerimonias observandas praescribit, at ita pergit: *εἰ δὲ μήτε ἔλαιον ἢ μήτε μύρον, ἀρκεῖ ὕδωρ καὶ πρὸς χρίσιν καὶ πρὸς σφραγίδα, καὶ πρὸς ὁμολογίαν τοῦ ἀποθανόντος ἤτοι συναποθνήσκοντος.*

**) quod ex eodem Tertulliani testimonio, *de bapt.* 8. simul patet.

***) non sine insigni animi motu atque oblectatione legi possunt, quae de

sensale attinet, illud duplex nobis sistitur, aliud nimirum circa confirmationis acceptionem, aliud circa ejusdem dispensationem. Eos, quibus tributa fuit confirmatio baptismi sive confirmandos recens baptizatos fuisse, infantes aeque ac adultos, forte supervacaneum est monere hucque et scriptorum testimonia unanimiter redeunt simulque id colligi potest ex nota ecclesiae illius primaevae consuetudine, impertiendi eucharistiam iis, qui confirmatione, quae baptismum recens datum supponit, accepta in congregationem fidelium adsciti fuerant. Eum vero, qui dabat confirmationem sive ministrum ejus non alium fuisse, quam cui jus baptismum ipsum conferendi competebat, licet in genuinis hujus aevi monumentis non disertis et expressis verbis indigitatum deprehendatur, attamen non est, quod in dubiam illud partem trahamus. Quae enim *Pseudo-Dionysius*, quae *constitutionum apostolicarum* auctor de ministro confirmationis, pro duplicis unctionis hypothesi, diverso habent atque determinant, ea non adeo magni facienda putamus nec ea horum scriptorum esse nobis videtur auctoritas, ut in re quapiam hujus aevi examinanda eorum eloquiis atque testimoniis unice inniti sustineamus. *Temporis* denique, quo confirmationis administratio atque dispensatio instituta fuit rationem examinaturi, insignem conflictandi arenam nobis obviam deprehendimus, si animus, si fortasse et virium partibus suscipiendis sufficiens conditio adesse nobis videretur, celeberrimae atque inter eruditos antiquitatum ecclesiasticarum rimatores satis agitatae et nullo non tempore vigenti controversiae, de dispensatae unctionis tempore facile alias nos immixturi. Unctio nimirum, quam tamquam primam confirmationis post baptismum datum cerimoniam supra recensuimus, caput litis est, quippe quam in baptismalium rituum celebratione cum alia, baptismalem actum praegressa, consociatam sistere duplicisque illius unctionis antiquitatem iam ad hoc aevum referre, totus quantus adlaborat *constitutt. apost.* auctor, cui amice concinit eumque suffragio suo virili pro parte auget *Pseudo-Dionysius*. Differentiam antebaptismalis unctionis ab ea, quae baptismum proxime insequi solebat, multis numeris uterque refert. Concinnioris ergo ordinis causa, eorum ex mente distincte dispiciendum

---

primaevae illius ecclesiae eandida pietate ac de germano et intemerato, quo ejus membra sese invicem complexa fuerunt, amore, cujus testimonium communes illae, quas fundere solebant, preces illustrissimum praebent, Justinus *Mart.* memoriae prodidit, in baptismalium rituum enarratione, quam *apolog.* 11. instituit, p. 97. haec habens: *ἡμεῖς δὲ, μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον, ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν, ἔνθα συνηγμένοι εἰσὶ, κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος, καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων εὐτόνως, ὅπως καταξιωθῶμεν τὰ ἀληθῆ μαθόντες, καὶ δι' ἔργων ἀγαθοὶ πολιτευταὶ, καὶ φύλακες τῶν ἐντεταλμένων εὑρεθῆναι, ὅπως τὴν αἰώνιον σωτηρίαν σωθῶμεν.* — Serioribus temporibus amoris indicandi causa baptismum sequebatur osculatio vel osculum pacis, de cujus causa consulendus Cyprianus ep. 59 ad Fidum episcopum. Contenderat Fidus ille, parvulos recens natos ante octavum diem baptizari non posse, eo quod immundi sint et idcirco eos osculari horreamus. Contrarium autem Cyprianus probabat et per gratiam dandam nos intelligebat justificationis gratiam, quae datur in baptismo virtute ipsius, sed signum amicitiae, quod per osculum parvulo infanti adhibebatur. Cfr. infra p. 96.

est de duplicis unctionis materia ejusque inde resultante denominatione, ministro, scopo et significatu. Sic in unctione antebaptismali ἔλαιον, in ea autem, quae insecuta baptismum est, μύρον, adhiberi consuevisse, uterque dictitat atque hinc quemlibet actum peculiari et proprio nomine designat*). Praeprimis sollicitum se exhibet in praescribenda ac determinanda formula consecrationis olei, in priori unctione adhibiti, *constitut. apost.* auctor**), precationis quoque formam in unctione, mystico un-

*) ita nimirum *constitut. apost.* auctor, quando tempus antebaptismalis unctionis post ἀποταγὴν Satanae atque συνταγὴν Christo factam editamque fidei professionem ordinat 7, 41. (ap. Cotelerium. p. 383.) dicit: καὶ μετὰ τὴν ἐπαγγελίαν ταύτην, κατ' ἀκολουθίαν ἔρχεται καὶ εἰς τὴν τοῦ ἐλαίου χρίσιν, de altera autem unctione baptismum secuta 43. p. 384. ait: καὶ μετὰ τοῦτο βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, χρισάτω μύρῳ. cfr. 3, 15. et 16. p. 290 s., ubi priorem actum nominat, χρίειν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, posteriorem, χρίειν τῷ μύρῳ et 7, 22. p. 371. ubi sacerdotibus praecipit, baptizandum prius χρίειν ἐλαίῳ, postea, quum baptizatus fuerit, σφραγίζειν μύρῳ. Dionysius vero, utriusque unctionis cerimonias describens *de eccles. hierarch.* 11. p. 253. ac de priori edisserens, his utitur verbis: καὶ τελείως ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον et quibusdam, ipsum baptismatis actum designantibus, interiectis de posteriori ita pergit: ἐπὶ τὸν ἱεράρχην αὖθις ἀπάγουσιν· ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος, μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας et p. 260. rursus ait: ὁ μὲν γὰρ θεοειδὴς ἱεράρχης ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς ἀλοιφῆς, οἱ δὲ ἱερεῖς ὑπ' αὐτῷ τελοῦσι τὴν τῆς χρίσεως ἱερουργίαν, itemque de altera: ἡ δὲ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον. Addere hisce poteris adhuc binos alios, at in rebus hujus aevi non multo majoris fidei et auctoritatis testes; alterum, auctorem librorum *recognitionum* seu *Pseudo-Clementem*: alterum, auctorem *quaestionum et responsionum ad orthodoxos*, quae pleramque Justino solent adscribi, ac illum quidem, quando 3, 67. (ap. Cotelerium *tom.* 1. *patr. apostolic.* p. 537.) quosdam baptismi candidatos ita alloquitur: *baptizabitur unusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine trinae beatitudinis invocato super se, perunctus primo oleo per orationem sanctificato, ut ita demum per haec conseçratus, possit percipere de sanctis*; hunc vero *quaestion.* 137. p. 486. partim circa constitutum utrique unctioni tempus et ordinem, partim circa prioris necessitatem, hac ratione scrupulum injicientem eumque responsione subsequenti rursus tollentem deprehendimus, quum interrogat: εἰ πρὸ τοῦ τόκου ἡ Μαρία τὸν Κύριον τῷ μύρῳ ἤλειψεν, ἡμεῖς δὲ τοῦ πάθους καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ ἐν τῷ βαπτίσματι τελοῦμεν τὰ σύμβολα, πῶς πρῶτον μὲν ἐλαίῳ χριόμεθα, ἔπειτα δὲ τὰ προλεχθέντα ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ τελέσαντες σύμβολα, τῷ μύρῳ σφραγιζόμεθα ὕστερον, καὶ κατ' ἐναντίωσιν τῶν περὶ τὸν Κύριον γεγονότων ταῦτα ποιεῖν οὐ νομίζομεν; εἴγε πρῶτον ὁ Κύριος τῷ μύρῳ ἠλείψατο, καὶ ὕστερον ἔπαθε· πῶς δὲ καὶ οὐ περιττὴ ἡ χρίσις τοῦ ἐλαίου προσφέρεται τοῖς βαπτίζεσθαι μέλλουσιν, εἴγε μόνῳ τῷ μύρῳ πρὸς τῷ πάθει ἐχρίσθη ὁ Κύριος; ad quod utramque ita respondet: οὐ γίνεται κατ' ἐναντίωσιν, ἀλλὰ τὸ ἐπὶ τοῦ Κυρίου γεγονὸς πρὸ τοῦ καιροῦ, τοῦτο ἐπὶ τῶν βαπτιζομένων γίνεται ἐν τῷ δέοντι καιρῷ· χριόμεθα δὲ τῷ παλαιῷ ἐλαίῳ, ἵνα γινώμεθα χριστοί· τῷ δὲ μύρῳ, πρὸς ἀνάμνησιν τοῦ τὴν χρίσιν τοῦ μύρου ἐνταφιασμὸν ἑαυτοῦ λογιζομένου. καὶ τύπῳ μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος, ἀληθείᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ μέλλοντος, εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν τε ἑαυτοῦ παθημάτων, καὶ τῆς δόξης ἡμᾶς καλεσαμένου σωτῆρος Χριστοῦ.

**) 7, 42: περὶ χρίσματος τοῦ μυστικοῦ ἐλαίου εὐχαριστία, (ap. Cotelerium. p. 384.) haec leguntur: ἐπικαλεῖται γὰρ, ὁ ἀρχιερεὺς, οὕτω τὸν ἀόρατον ἀγέννητον Θεόν, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ, τὸν βασιλέα πάσης αἰσθητῆς καὶ νοητῆς φύσεως, ἵνα ἁγιάσῃ τὸ ἔλαιον τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ δύσῃ χάριν πνευματικὴν καὶ δύναμιν ἐνεργητικὴν, ἄφεσίν τε ἁμαρτιῶν, καὶ προσφορ-

guento peracta baptismumque insecuta, observandam subiungens*). De duplicis unctionis ministro multa habet uterque scriptor, quae recentiorem aetatem non obscure redolent ac simplicem eamque minus pompatam rituum, qui in prisca illorum temporum ecclesia viguerunt, indolem haud adeo arcta affinitate contingunt. Et primum quidem si *constitutt. apost.* auctori attentionem praebere velimus, illum ea in re multum satisque prolixum ac quodnam cuilibet ex ecclesiastico ordine, in utraque unctione peragenda, officium incumbat, distincte tradentem deprehendemus. Sic in unctionis antebaptismalis perfunctione utriusque generis baptizandos oleo sancto in capite ungi vult ab episcopo**); de unctione mulierum vero speciatim loquens, frontis inungendae inferioribus dignitate sacerdotibus ac caeterarum corporis partium illinendarum munus diaconissis relinquit***). At secus de altera, quae chrismate fiebat, unctione sentit, quippe quam utroque in loco soli episcopali reservat officio †). Huc aeque redit *Pseudo-Dionysii* adstipulantis sententia, qui vult, ut primae unctionis, quam diserte ante aquarum consecrationem ordinat, initium ipse faciat episcopus caeterisque sacerdotibus ministrantes modo manus, partim in disponendis iis, quae ad actum requirebantur, partim in perficienda et consummanda reliqui totius corporis unctione, porrigere permittit; secundae vero unctionis conferendae jus et auctoritatem itidem expressis verbis ad summum sacerdotem s. episcopum refert ††). Ita quoque determinando utriusque unctionis *scopo* et *signifi-*

σκευὴν ὁμολογίας βαπτίσματος, ὥστε τὸν χριόμενον ἀπολυθέντα πάσης ἀσεβείας, ἄξιον γενέσθαι τῆς μυήσεως κατ' ἐντολὴν τοῦ μονογενοῦς.

*) 7, 44: περὶ τοῦ μυστικοῦ μύρου εὐχαριστία, sacerdotem ita profari iubet: Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ ἀγέννητος καὶ ἀδέσποτος, ὁ τῶν ὅλων κύριος, ὁ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως τοῦ εὐαγγελίου ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν εὐοσμον παρασχόμενος· σὺ καὶ νῦν τοῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι κτλ.

**) ita enim disertis verbis (ap. Cotelerium. p. 291.) ait: σὺ οὖν, ὦ ἐπίσκοπε, ἐκείνῳ τῷ τύπῳ χρίσεις τὴν κεφαλὴν τῶν βαπτιζομένων, εἴτε ἀνδρῶν, εἴτε γυναικῶν, τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, εἰς τύπον τοῦ πνευματικοῦ βαπτίσματος.

***) 3, 15. p. 290: καὶ πρῶτον μὲν ἐν τῷ φωτίζεσθαι γυναῖκας ὁ διάκονος χρίσει μὲν μόνον τὸ μέτωπον αὐτῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ, καὶ μετ' αὐτὸν ἡ διάκονος ἀλείψει αὐτάς· οὐ γὰρ ἀνάγκη τὰς γυναῖκας ὑπὸ ἀνδρῶν κατοπτεύεσθαι.

†) pergit enim *loco* not. praeced. *citat.*: ἀλλὰ μόνον ἐν τῇ χειροθεσίᾳ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς χρίσει ὁ ἐπίσκοπος, ac de utroque sexu locutus 16. p. 291. addit: καὶ μετὰ τοῦτο ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ.

††) hac enim ratione insignis ille hierophantes cuilibet ecclesiastici ordinis proprium munus constituit *de eccl. hier.* 11. p. 253: καὶ τελείως ἀπαμφιεσάντων αὐτὸν τῶν λειτουργῶν, κομίζουσι μὲν οἱ ἱερεῖς τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον· ὁ δὲ, ἱεράρχης, τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι πανσόμως παραδοὺς, αὐτὸς ἐπὶ τὴν μητέρα τῆς υἱοθεσίας ἔρχεται, καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτὸ κτλ. et post copiosam cerimoniarum ambitum: deductionem candidati ad aquas, ejusque simul et sponsoris nominalem duplicem citationem, ab inferiorum sacerdotum quibusdam peragendas, ac insequentem a pontifice dandam ablutionem, descriptum atque praescriptum, et de ulteriori sacerdotum, postquam nempe baptizatum alibi rursus congrua veste induerint, ministerio, et de episcopi hac

catui, quippe vario atque inter se diverso, utramque scriptorem serie intentum esse observamus. Enimvero illius unctionis, quae baptismum praecessit, dignitatem atque efficaciam nimium extollens et in largitiones magnificorum titulorum, quibus eam quavis data occasione insigait, plus justo effusior nobis videtur *constitutt. apost.* auctor, quod quidem partim conflata ab ipso consecrationis et precationis pro oleo sanctificando formula non obscure prodit, partim ex aliis locis, in quibus ejus rei meminit, non difficulter addisci et legitime colligi potest*). Indole vero, virtute ac salutari effectu alteram ab altera discrepare statuit, quum per priorem baptizandum Spiritus S. participem reddi atque ita gratiae divinae recipiendae aptari; per posteriorem autem gratiam recens acceptam in baptizato stabiliri novumque sancitum foedus confirmari et obsignari docet, a qua sententia rursus non multum abludit Dionysius**).

---

in re partibus agendis, ita pergit: *οἱ ἱερεῖς ἐπὶ τὸν ἱεράρχην αὖθις ἀπάγουσιν· ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος κτλ.*

*) 3, 17. p. 291: *ἔστι τὸ ἔλαιον, διδόμενον ἀντὶ πνεύματος ἁγίου* et 7, 22. p. 371. ubi *χρίσμα* prius *μετοχὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος* vocare sustinet.

**) de priori quidem unctione talem huic scriptori mentem esse, quae cum illa, qualem in superioribus dictis circa posterioris unctionis significatum et scopum Tertulliano tribuimus, sententia quodammodo conveniens videri posset, mirum unctionis hujus actum typica solummodo ratione esse considerandum, ex ipsius verbis colligere posses, *de ecclesiast. hierarch.* 11. p. 259: *ὁ μὲν γὰρ θεοειδὴς ἱεράρχης ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς ἀλοιφῆς, οἱ δὲ ἱερεῖς ὑπ' αὐτῷ τελοῦσι τὴν τῆς χρίσεως ἱερουργίαν, ἐπὶ τοὺς ἱεροὺς ἐν τύπῳ τὸν τελούμενον ἀγῶνας ἐκκαλούμενοι, καθ' οὓς ὑπ' ἀθλοθέτῃ Χριστῷ γινόμενος, . . . τοῖς μὲν ἀγῶσιν, ὡς θείοις ὁ τελούμενος ἐπιβήσεται χαίρων, ἐμμένει δὲ ταῖς τοῦ συμβόλου νομοθεσίαις, καὶ κατ' αὐτὰς ἀπαραβάτως ἀγωνιεῖται, πρὸς τὴν τῶν καλῶν ἐπάθλων ἐλπίδα βεβαίως ἔχων, ὑπ' ἀγαθῷ τῆς ἀθλοθεσίας κυρίῳ καὶ ἡγεμόνι τεττόμενος.* At quum ritus illius veterum luctatorum, a quo similitudinis sectam desumit, indoles ea fuerit, ut oleum, quo in arenam descensuri perungi solebant, non nudum solummodo symbolum, schema seu signum hominis, luctatorum muneri destinati, sed instrumentum potius atque organon esset, quod luctaturos capaces reddebat illiusque insigni emolumento esse solebat, ut in ipsa arena muniis suis eo felicius perfungi eiusdemque ope eo facilius ex conflictu superiores discedere possent: facile hinc consequentiam deducere aliquis posset, in hac re, de qua ex illius antiquae et usitatae consuetudinis parallelismo loquitur scriptor, hanc ejus esse mentem, ut, dum schematice dicendi genere ex instituto ad repraesentandam actionis indolem utitur, simul innuere velit, mysticam hancce et sacram unctionem parem, ac profana illa luctatoribus corporalem praestare solebat, spiritualem usum atque utilitatem praebere: oleum nempe uncto efficaciam largiri eumque aptare, ut eo melieri in gravissimo illo et aspero certamine, cum hostibus spiritualibus, Satana, mundo propriaque nostra carne obeundo, successu gaudere victricemque lauream adipisci possit; quum vero supra, quam in aprice positum, cuiquam imputare nolimus, efficaciam illam, justis nempe circumscriptam et inclusam limitibus, non penitus improbandam statuimus. De posteriori vero unctione, solita verborum magnificentia utens, *constitut. apost.* auctori maiori ex parte atque cumulatius suffragatur, quando *l. c.* p. 253. pontificis officium facit, quod ille post peractum baptismum debeat esse *τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος*, seu ut interpretatio a Petro Lanselio graeco textui adiecta sensumque auctoris forsan propius attingens, habet, *unguento, quod maxime divinos effici, virum consignans;* itemque de singulorum, quae baptismum perficere solent, significatu atque effectu agens. p. 260. ita pergit: *ἡ δὲ τοῦ μύρου τελεστικὴ χρῖσις εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον.*

En ergo primariis saltem lineis adumbratam faciem duplicis cerimoniae, cujus observationem uterque tanto verborum apparatu, industria et nisu christianae ecclesiae commendare eique apostolicam originem, aetatem atque auctoritatem conciliare satagit. Insignem vero antagonistam satis confidenter contradicentem uterque habet Dallaeum, qui dum cuilibet personam, quam sustinere gestit, demit propriamque et nativam faciem exhibet, priscae illius affectatae canitiei expertem: eo ipso simul eorum auctoritatem operamque in condenda ritus prima origine et antiquitate tam prolixis testimoniis positam tollit atque enervat. Posterioris quidem baptismum insecutae, unctionis celebrationem hac jam aetate in ecclesia observatam fuisse, coaetanei Tertulliani testimonium, dum rem in aprico ponit, inficias ire ipsum prohibet; priori vero, baptismum praegressae, cum genuinorum monumentorum suffragia desint, de *constitutt. apost.* auctore, qui se has partes prospere acturum primaevorumque testium silentium suis prolatis sat scite suppleturum fore persuasissimum haud dubie habuit, aperte atque ingenue profitetur*): *sunt apud hunc*, ait, *quae nusquam in superiorum temporum monumentis deprehendimus, nonnulla, quale illud est, quod baptizandi oleo unguntur, antequam tingantur, quodque tincti non oleo, sed μύρῳ, i. e., unguento chrismantur, quorum neutrum hactenus in ullo vetustiorum observavimus. Nam ubi hic noster de diaconissarum ministerio agit, id inprimis tradit, cum mulieres baptizantur, diaconum earum modo frontem linere sancto oleo, tum diaconissam eas perungere. Deinde totum baptismi ordinem sequenti capite enarrans, σὺ μὲν οὖν, inquit, . . . in quibus duas, ut dixi, vides unctiones, priorem ex oleo, ante tinctionem sive lotionem; posteriorem post lotionem ἐκ τοῦ μύρου, ex unguento. Atqui unam hactenus audiveramus eamque post tinctionem et quidem, ut videtur, ex simplici oleo; certe nusquam in ea describenda τοῦ μύρου, i. e. unguenti ex pluribus compositi occurrit mentio. Fac memineris Tertulliani, qui totum baptismi ritum accuratissime descripsit. Nihil praeter istu apud eum occurrit. Ergo circa haec tempora, i. e., paulo post IV. sec. initia facta videtur illa mutatio, nempe ut cum primum ex oleo simplici inungerentur de sacro lavacro egressi, tum oleo balsamum addi placuerit ex Mosaico typo, quod hujusmodi unguentum significandae regiae ac sacerdotali dignitati (in quam per baptismum inaugurantur credentes) aptius quam simplex oleum videretur.* Haec ille; ex quibus integram ejus de antebaptismalis unctionis aetate et antiquitate sententiam dilucide perspicere poteris. Satis argutam vero hisce dictis conjecturam de causa occasionali originis illius unctionis in sequentibus subjungit, quando auguratur, per laetam illam externae conditionis faciem, qua Christianorum grex temporibus Constantini Magni gaudere coepit, atque per profundam tranquillitatem et pacem, qua ecclesia sub hujus principis imperio non solum durioribus illis, quibus antea acerbe satis et multifariam pressa fuerat, afflictionibus liberata demum frui auspicabatur, sed quoque praeterea honoratiorum, praecipua dignitate lautisque facultatibus pollentium accessu, subsidio atque patrocinio aucta opum externique splendoris majora

*) *de confirmatione* 2, 13.

indies incrementa capiebat, ansam ejus temporis Christianis praebitam fuisse, ut ii, sicuti caeterorum ecclesiasticorum rituum ambitum, arctioribus antea limitibus circumscriptum, amplificare exorsi erant, ita quoque solemnitatem initiationis proselytorum suorum novo cerimoniae hujus additamento exornarent eamque inde splendidiorem efficerent. Quum vero primum in animum induxissent Christiani de multiplicandis et ad magnificentiam atque ostentationem componendis ecclesiasticis ritibus eorumque adaugendo potius quam imminuendo numero consilium: facile deinde factum, ut licet haecce novi generis, nimirum balsamo peracta, unctione in ecclesiam introducta atque substituta esset, attamen de antiquiore illa, quam Tertullianus commemorat quaeque oleo fieri solebat, unctio una et simul retinenda sententiam irent, ea nempe rei potissimum ratione habita, quod ex illius observatione atque usu ipsi baptismalis actus solemnitati aliquid dignitatis et praestantiae accessurum fore arbitrarentur. Exinde assignatum ipsi in praegressis baptismatis actum ritibus locum nacta est antiquior haec unctio, quum pristinum ejus in baptismalium cerimoniarum serie locum recens superaddita, quae ex unguento nobiliori peragi solebat, unctio occupare coepisset. Singularum vero harum dispositionum et placitorum aetas atque origo, quum caeterorum omnium evidentis ac genuinae antiquitatis scriptorum destitutae sint testimonio, certe non alio nituntur fundamento quam infucata auctoritate parentis *constitutt. apost.*, cujus vero artes altius perspexisse, sibi est visus justumque propterea iis valorem appendere non dubitavit Dallaeus. Verum multo inferius ac longe tenuius pretium idem statuit *Pseudo-Dionysii* testimonio, quem lepidum aetatis suae dissimulatorem ad ultima sec. V. tempora vel ad initia VI. refert. Hinc de librorum, ab ipso eum in finem conditorum, ut ecclesiasticis rebus eo majorem honoris ac dignitatis speciem apud omnes conciliaret, indole non incommode judicat *), *eos per se curiose sane et ad pompam atque admirationem magno et pene inusitato dicendi genere esse conscriptos* atque insuper, dum in eo versatur, ut probet, libros hos, quippe qui anno Chr. demum 532. orbi christiano innotuerint, non multis ante hunc annum temporibus exaratos fuisse, de fine scriptoris et proposito, quod in concinnando ac edendo opere habuit, ita pergit: *caeterum is scriptor, quicunque tandem fuerit, qui sub hac ingenti Dionysii persona latere et orbi imponere ac ludos facere voluit, suae, i. e., Graecae quinti sextique seculi ecclesiae ritus, ut in caeteris, ita in hoc quoque ungendi mysterio, grandi illo suo ac dithyrambico stylo non obscure expressit;* in sequentibus dein ea, quae in ipso scriptore de duplicis unctionis ante et post tinctionem cerimonia, sesquipedalibus illis et ad pompam ac majestatem effictis verbis inclusa, deprehenduntur, recenset, summam eorum pro peculiaris instituti ratione et dissertationis scopo examinans. Adsociandum Dallaeo merito esse arbitramur Fr. Spanhemium, qui de *constitutt. apost.* auctore ac operis ab eo confecti aetate agens magna testium non multum ab ipsius sententia abludentium nube ac variorum argumentorum ex earum rerum, quae in ipso

*) *dicto loco. de confirmat. cap.* 15. p. 203 seq.

opere continentur, conditione petitorum robore adductis *) eam ἐπίκρισιν subnectit, quae a Dallaei mente non admodum recedit, hac nempe ratione sententiam suam pronuncians: *utique interpolatam certe videri in plurimis hanc* constitutionum *syllogen, insertis, quae vix sec. III. esse credantur. At collatione instituta cum scriptis Tertulliani, Origenis, Cypriani, cum historia Eusebii, cum ejus aevi doctrina, moribus, disciplina, disputationibus, fatendum utique fuerit, aliquam si non magnam harum* constitutionum *partem sec. III. labente jam in usu ecclesiae fuisse; at totum opus* διαταγέων *postea consarcinatum videri, circa finem V. sec., quibus ut esset auctoritas, inscriptae illae apostolorum et Clementis nomine.* Quae vero nobis ea de re mens sit, brevissimis addituri, id quod per totam tractationis seriem dissimulare nullibi nec potuimus nec voluimus, hic quoque praecipuo loco repetendum ac renunciandum ducimus: nimirum nos neutri horum scriptorum tantum auctoritatis et fidei concessuros, ut eam, quam prae se ferunt, aetatem ipsis tribuentes atque in eorum verbis et testimoniis acquiescentes, antebaptismalis unctionis originem et observationem cum reliquo cerimoniarum ad illam pertinentium complexu, in hocce, cujus baptismalem historiam hactenus recensuimus, aevo statuamus reponenda. Licet enim nobis non omnimode arrideat eorum sententia, qui animo a rituali ecclesiastico cultu plus justo alieno de ipsorum rituum antiquitate, in quantum suprema testimoniorum non prohibet evidentia, promte detrahere iisque novitatis notam facile inurere student, nosque inde unctionis illius, cujus Tertullianus in enarratione cerimoniarum baptismum insecutarum meminit, canam lubenter agnoscamus aetatem eandemque

*) *histor. chr. sec.* 3. p. 784 seq. *tom.* 1. *oper.* Si non temporibus Nicaeni concilii recentius opus, suppositium saltem illud et scriptoris sec. III. foetum esse, secundum communem omnium eruditorum sententiam probat ex Petr. de Marca de *concordia sacerdotii et imperii* 3, 2, Dav. Blondello, qui id ad annum circiter 280. refert et Morino aliisque, qui illud Nicaeno aevo antiquius saltem esse statuunt. Adducit ipsum Petavium, satis acute conjicientem, eas prout nunc habemus *constitutiones* ne quidem prodiisse aetate Epiphanii, qui in controversia cum Audianis iis alioquin perquam commode uti potuisset, quod certe nil aliud est, quam ipsis *constitut.* post sec. IV. tempora originem demum suam totidem verbis adsignasse. Addit hisce testimonium Usserii itemque Dallaei et Pearsonii, quorum uterque planis verbis ad sec. V. finem eas rejicit ac deinde, in capite causae magna ex parte consentientes, allegat ex Pontificiis Albaspinaeum et doctissimos Jesuitas Launoinum, Rigaltium, Halloixium. Ipsum vero argumentorum, ex contentorum summa adeoque ex interiori indole, quam ipsa operis inspectio exhibet, depromtorum pondus, quo ad stabiliendum suum effatum, materiam scilicet operis iis, quae sec. III. aetate viguere, placitis et sententiis ecclesiae admodum congruentem esse, utitur, sequentibus numeris proponit, quod nimirum *constitutiones* illae *imprudentius ante Ariana tempora de filio et Spiritu S. loquantur; ab haeresi venientes rebaptizandos decernant; diem paschalem contra Quartodecimanos definiant; aequinoctium incidisse tum doceant in d. XXII. martii; dandam poenitentibus veniam constituant contra Novatianos; sabbati observationem ut festi sanciant; jejunium sabbato negent, praeterquam magno et antepaschali, secus ac deinceps in Romana ecclesia obtinuerit; episcoporum* ὑπεροχὴν, *qualis hoc aevo surrexerit, stabiliant ac de baptismalibus ritibus, de catechumenis, energumenis, lapsis, poenitentibus etc. ea passim tradant, quae iam sec. III, dein et sequentium seculorum invexerit disciplina.*

in superioribus dictis aliquo modo vindicare annisi fuerimus, veruntamen, sicut ritus, genuinorum testium suffragio muniti, dignitatem, quam ex longa annorum serie consequitur, vel minima ex parte carpere nobis habemus, ita et altera ex parte, ubi altum deprehendimus idoneorum testium silentium, alios ac spurios subornare merito ducimus religiosi. En ergo rationem, qua inducti calculum, quem Dallaeo, ubi de origine et antiquitate posterioris unctionis sistebatur quaestio, in superioribus detrectaveramus, eidem in praesenti, ubi de prioris aetate disquiritur, omnino adjiciendum censuimus. Postremo tandem loco reperimus adhuc quasdam cerimonias baptismali actui superadditas, illos scilicet, qui baptismi confirmationem secuti fuere, ritus, in genuinis ex illo aevo superstitibus monumentis: *osculum* nempe *pacis*, recens baptizatis exhibitum, et *particulam lactis et mellis* iis *degustandam* datam. *Prioris* memoriam ex illo tempore nobis conservavit Justinus Mart., qui precatione publica, in congregatione fidelium pro singulorum christianae civitatis membrorum, et in his quoque novissime adscripti civis salute fusa, alteri ab altero osculum, in fraternitatis spiritualis et vinculi charitatis mutuae sanctissime servandi tesseram impertitum fuisse commemorat *). Significatus ergo et scopus illius cerimoniae facile patet. Fundamentum observati ritus plerisque cum Augustino ponendum videtur in apostolica regula, qua fideles sancto sese invicem osculo excipere iubentur (Rom. 16, 16). Quum vero osculi usus non alius ipsis esset, quam ut germani illius et fraterni adfectus, quo sese, qui Christo nomen dederant, prosequebantur, evidens sibi invicem exhiberent symbolum ejusque scopus eo tenderet, ut animum, sollicitum praecepti, de mutuo amore ab optimo magistro dati (Joh. 13, 34—35) custodem declararent, nulla sane occurrit ratio, quae obstat, quin haucce communis amoris notam etiam novitiis christianis non denegatam fuisse credamus, praesertim quum ex aevi proxime insecuti testimonio apertam deprehendamus ecclesiae orthodoxae hac de re mentem, interpretante Cypriano contra Fidum, qui parvulis per regenerationis lavacrum in ecclesiae communionem receptis, vano nauseae horrore ac immunditiei fastidio, amicos eiusmodi amplexus exhibere detrectabat **). *Degustationem* praeterea *lactis et mellis*, qua frui solebant recens baptizati, itidem religiosis et ad excitandos pios animi motus apprime compositis symbolis accensere nulli haesitamus, propterea quod illius cerimoniae sensum quidve ea significatum dare, quid neophytorum mentibus intuitu et celebratione hujus ritus perpendendum ac meditandum sistere voluerit pia antiquitas, praeter Tertullianum ***) et Clemens Alexandr. non obscure innuere vide-

*) *apolog.* 2. p. 97: ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν.

**) *ep.* 59. *ad Fidum* scripta (p. 97. ed. Baluzii *Par.* 1726.) ubi illius obiectioni respondetur.

***) enarrationem ritus et interpretationem haurias partim ex *libr. de coron. milit.* 3. p. 341. *inde suscepti, lactis et mellis concordiam praegustamus*; partim ex *libr.* 1. *adv. Marcion.* 14. p. 746. ubi ex observationis, quam Marcionis secta tenebat, analogia illius meminit, et quidnam hisce symbolis repraesentari

tur *). Ceterum omnibus hisce initiationis solemnibus celebratis cerimoniisque baptismalibus finitis extemplo nec ulteriori mora interjecta novitios christianos ad communionem altaris admissos et sacrosanctae eucharistiae participes fuisse redditos, itidem ex Justino Mart. **) ac Tertulliano ***) colligimus. Baptizati autem hac ratione in numerum civium christianorum recepti omniumque ecclesiae sacrorum et privilegiorum participes facti postmodum a communi lavacro ex die suscepti baptismi ad exactam hebdomadem abstinentiam, eodem Tertulliano †) testante, agere solebant.

---

etiam apud illius aevi haereticos consueverit, explicat, dicens: *ille quidem usque nunc nec reprobavit . . . mellis et lactis societatem, qua suos infantat.*

*) huc enim dubio procul spectant, quae ille habet *paedagog.* 1, 6. p. 124: τῷ οὖν γάλακτι, τῇ κυριακῇ τροφῇ, εὐθὺς μὲν ἀποκυηθέντες, τιθηνούμεθα. εἰθὺς δὲ ἀναγεννηθέντες, τετιμήμεθα, τῆς ἀναπαύσεως τὴν ἐλπίδα, τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ, εὐαγγελιζόμενοι· ἐν ᾗ μέλι καὶ γάλα ὀμβρεῖν ἀναγέγραπται· διὰ τῆς ἐνύλου καὶ τὴν ἁγίαν μνηστευόμενοι τροφήν.

**) innuit hoc potissimum enarrationis modus, quo *l. c. apol.* 2 p. 97. in describenda sacrorum celebratorum serie utitur, verbis paulo ante allatis, in quibus osculi, preces insecuti, mentionem fecit, immediate haec superaddens: ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος· et tradita dispensationis sacramenti eucharistici cerimonia, ita pergens: καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία· ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἔξον ἐστιν, ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν, καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν, καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν.

***) quando nempe in rituum, pronti ordine sese excipere solebant, saepius memorata recensione tandem subjungit *de resurrect. carn.* 8. p. 680: *caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur:* coll. *advers. Marc.* 1, 14. p. 746. *et de praescript. adv. haeret. cap.* 40. p. 400.

†) *de coron. milit.* 3. p. 341: *exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.*

XXXIII.

J. Josephus Clauder de ritibus baptismalibus *).

In confesso videtur apud omnes, tam historicos ecclesiasticos, quam ipsos theologos, tempore nascentis ecclesiae simpliciores ritus in ecclesia Christi fuisse, qui sacramenta N. T. quoad externum statum exornarunt. Nos modo nonnihil de ritibus circa baptismum ex antiquitate meditabimur, verborum Tertulliani recordantes (de bapt. 2): *Nihil*, inquit, *adeo est, quod obdurat mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quae in actu videtur et magnificentia, quae in effectu repromittitur, ut his quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumtu, homo in aquam demissus et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis aeternitas aestimetur etc.* Strabo non dissimilem affert sententiam (de rebus ecclesiast. 26.) *ejus celebrationem gradatim per temporum augmenta in majus excrevisse.* Ex quibus facile patet, quanta cognitionis necessitas doctrinae de ritibus baptismalibus ex historia ecclesiastica tribuenda sit. Itaque originem rituum istorum, necessitatem, diversam conditionem atque circumstantiam eorundem, quantum fieri poterit, paucis exponemus.

§. 1. Maximum ecclesiae privilegium a Deo concessum, dum ex singulari istius providentia temporibus antiquissimis ritus, qui ecclesiam exornarunt, originem traxerunt, inter quos non solum ritus circumcisionis cum aliis ceremoniis quamplurimis, qua priscum foedus, sed et ritus baptismales in novo foedere recenseri merentur. Id patrum dictis illustrari poterit. Nos tantum hic, ad quosdam ecclesiasticos respicientes, nonnullos ritus baptismales annotabimus: quod signemur signo crucis (de quo Basilius), Spiritu S. (Dionys. Areop. libr. eccles. hierarch.) quod abrenuncient Satanae et pompis ejus, qui baptizantur (quem ritum insinuant Basil., Origen. et Tertull.) et qui ritus alii ejus generis sunt. Unde cognoscendum erit, ritus ecclesiasticos, imprimis baptismales, suam origenem veram in ecclesia Christianorum accepisse

*) Prod., praes. A. H. Deutschmann, Viteb. 1693. 4.

et in antiquitate extitisse, de quibus expresse Chrysostomus in catechesi baptizandorum dixit: quod isti mysticam rationem quandam non vulgandam habeant. Recensuit ritus Albin. Flaccus, communiter Alcuinus dictus lib. 2. de div. offic. 9. (Bibliothec. Patrum tom. 3. edit. 2. Par. p. 1195 seqq.) — §. 2. Ritus baptismales ecclesiastici necessitatem certo modo, qua ministerialem administrationem et dignitatem commendant ac baptismum illustriorem reddunt, ad quos tamen vel ex toto vel ex parte propria baptismi transferri nequeunt. Testimonium Tertulliani (de bapt.) hic adducimus: sine ullo apparatus splendore olim baptismum administrari solitum. Gregorius Naz. (orat. de bapt.) improbavit, quod olim propter baptismum munus oblatum fuerit, vestis elegans requisita ac convivum baptistis paratum. Nec ecclesiae propter dissimilitudinem in hujusmodi ritibus damnandae sunt, cum libertate vel in omissione illorum vel mutatione uti haud recusarint. Nos ergo Bellarmino (de bapt. 1, 24.) assensum neutiquam praebemus, duo fulcra ceremoniis, in romana ecclesia circa baptismi administrationem usitatis, assignanti simplicemque necessitatem ritibus iisdem concedenti, cum Chemnitio arbitrantes, ritus baptismales, ab augusta et veneranda antiquitatis canitie commendatos, retentos esse, salva tamen libertate, quam Servator in his adiaphoris ecclesiae concessit. — §. 3. Ritum solemnem essentialem necessarium primum, ratione ministerialis administrationis, immersionem seu intinctionem, vel, quod perinde est, affusionem vel aspersionem aquae secundum veteres ita usurpatam constituimus, qualis a nullo rite baptismum dante vel accipiente omitti debet. Eandem Patres manifestasse, patet ex Tertulliano (libr. de bapt.) dicente, hominem in aquam demissum et tinctum esse; Gregorio Naz. (in orat. de laudib. patris) referente, patrem suum post baptismum ex aqua egressum; Chrysostomo (in epist. ad Innocentium papam), Nicephoro (hist. eccl. 13, 19.) Cypriano (lib. 7. ad Magnum), qui in principio statim nobis indicavit, ritum eundem neminem improbasse, cui fidem tribuere nos oportet. — §. 4. Quo argumento ritum καταδύσεως in ecclesia diu durasse et perseverasse ostenditur, ita tamen, ut in ecclesiae potestate situm esset, ceremoniam aspersionis surrogare, quae in veteri et primitiva ecclesia saepe adhibita, si baptizandi aegrotabant. Idem Cyprianus (ep. 76.) Eusebius (hist. eccles. 6, 39) et alii luculenter monstrarunt. Ad talem ceremoniam quoque spectat, quod Summa anglica in verb. baptismi 4, 11. expresse addit: tenetur communius, quod qualitercunque quis tingatur, est baptizatus et quod sufficiat aspersio, quantumcunque modica in casu necessitatis. His curiosi Scholastici ad quaestionem: quodnam corporis membrum sit aqua aspergendum? responsionem solidam accipiunt. — §. 5. Mersationem trinam s. intinctionem in aquam baptismalem primis aliquot seculis, apostolicum aevum proxime excipientibus, in ecclesia Latinorum, Graecorum et Aethiopum veteres usurpasse, unusquisque historicorum largiri debet. Augustinus (Hom. 4. de symbolo ad baptizandos) ita loquitur: recte tertio mersi estis, qui baptismum in nomine Ss. Trinitatis vere accepistis etc. Haec vero trina

immersio sec. VIII. tempore Constantini V. adhuc fuit, qui Copronymus dictus, teste Baronio ad ann. 709. in fine. Cfr. Cluverus in epit. hist. p. 428. Walafr. Strabo (de eccles. 16.) romanam ecclesiam sec. 9. trinae immersionis consuetudinem observasse arbitratur. Eandem sec. 11. apud Latinos quoque locum habuisse, hac de re Pseudo-Alcuinus (de bapt. dom. p. 231.) disseruit. Idem de sec. 12. Rupertus Tuitiens (de div. offic. 7, 14) et Hugo de S. Victore (de mystag. eccles. 1, 19) et alii affirmarunt. Ut nihil hic de sec. 13. et 15. asseramus, quam in rem Dallaeus (de cultib. latin. 1, 15. p. 84. G. J. Vossius (de bapt. 2. thes. 3—4) conferantur. — §. 6. Nec tamen negari debet, multos in veteri ecclesia extitisse, qui pro conditione aetatis aut valetudinis immergi non potuerunt atque adeo ritu aspersionis tantum usi fuerunt, ut clinici, sicut constat ex conc. Neo Caesariensis can. 12. et conc. Laodiceni can. 47, conc. Illiberitani can. 39. Legatur et Vossius (disp. 12. de bapt. th. 5). Genera clinicorum Hieronymus contr. Lucifer. sufficienter exposuit, quorum alterum catechumenorum vel gentilium, sese convertentium, in extremis constitutorum, in lecto decumbentium, qui sic baptizabantur. Epiphanius mentionem illorum (haer. 28. Cerinthianorum p. 54.) injicit. Basilius M (ep. 186. p. 966.) respexit ad Arinthaeum, praetorem, ab uxore Christianum redditum et in fine vitae baptizatum. Ammian. Marcell. (lib. 26.) et Basil. epist. 5. Alterum illorum, qui professione Christiani videbantur, sed studio baptismum differebant, cum Novatianis colligentes, nullam post baptismum delinquentibus veniae spem reliquam esse. Quem morem graviter orthodoxi patres reprehenderunt. Vid. Gregorius Naz. (orat. 40. p. 643. 648.) Chrysostomus (hom. 1. in acta apostol. tom. 4. p. 615. et homil. 23. p. 746.) Hisce notae Justelli (ad can. 12. conc. Neocaesariensis) addendae et Vossii (disp. 12. de bapt.) thes. 5. hic applicationem suam meretur. — §. 7. Alterum ritum baptismalem essentialem necessarium, qua ministerialem administrationem, negligere non debemus, quem historici trium deitatis personarum invocationem s. verborum institutionis recitationem dixerunt. Antiquissimi Patres idem voluerunt, Cyprianus (ep. 73.) Hilar. Pictav. de trinit. 2, s. Basilius (ep. 78.) Id quoque praxi ecclesiae veteris consentaneum. Tertull. (de bapt. 13.) jure asseruit, legem tingendi impositam esse et formam praescriptam: ite, docete nationes, tingentes eos in nomen Patris, Filii et Spiritus S. Dionysius (loc. cit.) refert: trinam illi professionem praecipit (episcopus) tertioque professum benedicendo recipit eique manum imponit. Consulendus Ambrosius de sacram 2, 7. — §. 8. Iidem Patres formas haereticorum veterum, commemoratas ab Alphonso de Castro (in summ. de haeresib. verb. baptism. haeres. 2.) improbarunt nec Arianorum sine dolo trium personarum mentionem non facientium opinioni assensum praebuerunt, uti constat ex Nicephoro (hist. eccl. 16, 35.), Epiphanio haer. 76. et Hieronymo apud Lucifer. Hic memoratu dignum exemplum adjicimus, quod Theodorus lector (lib. 2. collectan. quae Eusebii, Socratis etc. histor. ecclesiast. in edit basil. subjuncta sunt, p. 659.) recenset: Deuterius II. Arianorum Constantinopoli episcopus, cum barbarum quon-

dam sic dictum baptizaret, reprobata et corrupta dominica traditione ausus est inter baptizandum dicere: baptizatur barbarus in nomen Patris per Filium in Sancto Spiritu; quo dicto aqua in colymbethra evanuit. Baptismus Eunomianorum repudiandus, factus in nomine Dei increati et filii creati et Spiritus sanctificativi et a creato filio creati, teste Epiphanio, haer. alleg. — §. 9. Ritus baptismales accessorios s. accidentales, juxta consuetudinem veterum ne omittamus, primo professionem nominis attendimus, in veteri ecclesia usitatam. Omnes, quotquot ad christianismum, sive ex judaismo sive ex gentilismo accedebant, nomen profiteri oportebat apud eum, qui ad catechetam receptos adducere debebat. Consentiunt in hoc Patres. Clemens ait: accedat, qui baptismum vult et nomen suum det. Quem secutus Augustinus (de cura pro mortuis 12. et confess. 8, 2.) de Victorino rhetore loquens; Gregorius Naz. orat. de bapt. eundem ritum firmum reddit. — §. 10. Deinde catechesin, summam fidei ad salutem necessariae requirentem, spectamus, prout adulti eandem profiteri operam dant, antequam Christianis sacris initientur. Iste ritus baptismalis legitur apud Augustinum (de orthod. fide 11. et de catechizandis rudibus), Cyrillum Hieros. (praefat. in cateches). A veteribus exorcismus pro catechisatione per metonymiam adjuncti vel connexorum adhibitus. — §. 11. Quidam examen, quale cum candidatis baptismi olim institutum, pro ritu baptismali non habuerunt, quod improbavit Augustinus, a quo dies denominantur, quibus catechizari, exorcizari, scrutari vel explorari eos oportet, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accedunt, quantum profecerint et quid utilitatis informatio in capitibus religionis christianae de fide et moribus attulerit. — §. 12. Jejunium ritibus baptismalibus annumeramus, quod nobiscum Justinus apol. 2. vult dicens: jejunare docentur baptizandi nobis una cum illis et orantibus et jejunantibus. Eundem ritum Tertullianus (de bapt. 20.) prolixe commendavit. Hic a vetustissimis Christianis non fuit neglectus, sed 3—5. seculis adhuc superfuit. — §. 13. Exorcismus, ut ritus baptismalis ordinarie in baptismo receptus, iis, qui matura aetate ad baptismum accesserunt, prout spiritualiter obsessi fuerunt, inserviit, licet corda fides purificarit. Qua in re Dannhauer (*Μυστηριοσοφία* 2, 3. 5, 9.) mentem explicuit. Idem post Augustini tempora diutissime in ecclesia duravit. Vide Justinus Mart. nec non Tertull. (apolog. 32.) Lactantius instit. 4, 16 et 27. Ambrosius sua quoque aetate exorcismum baptismo praemissum esse (de sacram 1, 5) his verbis indicat: ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit. Consentit Chrysostomus. Alia dicta jam non cumulabimus, quae apud Patres probatioris notae frequenter occurrunt. — §. 14. Eodem ritu ab Augustino Pelagianis ostensum fuit, infantes naturae vitio sub peccato et diaboli potestate teneri (de peccat. meritis et remiss. 1, 34. de grat. Christi 2, 4). Confessionem Wendelini Calvinistae acceptamus, exerc. 40. p. 1418. dicentis: etsi non diffiteor etiam in infantum baptismum post apostolorum tempora exorcismum irrepsisse. Confer. Dannhauer de sacram. 2, 3. §. 61. — §. 15. Abdicationem s. renunciationem Satanae et operum ejus, in respectu ad baptizandos vel susceptores, loco ipsorum respondentium

tes necessariam esse et ritus baptismalis nomine venire, quotidiana experientia testis est. Nec patres dissentiunt, Tertull. de spectac. 4., de coron. milit. 3; Ambrosius Hexaemeri 1, 4. Basilius, a. Chr. 448. orat. 27. dicens: Abrenunciavimus diabolo, ne ei rursus artificiose nomen demus; nomen dedimus Christo, nec ei rursus diabolice nuncium remittamus. Alios vide ap. Bellarm. de bapt. 1, 25. -- §. 16. Adhibitio susceptorum s. patrinorum pro ritu baptismali venditatur, quo pacto susceptores offerentes a Pseudo-Justino (de orthod. qu. 156.) sponsores a Tertulliano (de bapt. 18.) compatres et fidejussores ab Augustino (serm. 116, 163, 219), nec non fidei doctores (epist. 53) vocati. Hic ritus olim in latinis ecclesiis et graecis seu orientalibus est servatus, teste Chrysostomo in psalm. 14. Posterioribus seculis patrem et matrem de fonte baptismali sobolem non suscepisse ob discretionem inter carnalem et spiritualem generationem, id Walafridus Strabo (de reb. eccles. 1, 26.) nobis monstravit. — §. 17. Formationem crucis, signum crucis, aeque juxta Tertullianum (de coron. milit. 5.) symbolum distinctivum, ritum baptismalem cum antiquitate vocamus, qui, tempore initiationis signum fronti et pectori crucis a presbyteris et clericis saepius impressum fuisse, jamdudum firmum reddidit. Conf. Augustin. de verbis Domini 8. Cyrillus Hieros. catech. 4; Cyprianus adversus Judaeos 8. inquiens: signo Domini omnes signantur. — §. 18. Gustum salis, ritum baptismalem Gregorius in sacramentario, Isidorus (de offic. eccles. 2, 20) declararunt. Vicecomes (de bapt. ceremon. 2, 42. p. 421.) ritum gustandi a baptizando salis Origenis temporibus coepisse existimavit. Id quod falsum esse Melchior Vasquez (in part. 3. Thom. disp. 166. num. 52) testatur his verbis, Origenem cum Augustino non meminisse de hac ceremonia salis pro catechumenis, sed alio sensu de sale divinae gratiae. Vox salis itaque ab Origene pro quodam symbolo accipitur, ut sic nulla mentio salis baptismalis fiat. Vid. Dallaeus de cult. latin. relig. 1, 13, qui ex professo de hoc verba fecit. — §. 19. Ritum aurium et narium salivae tactus ecclesia christiana baptismalem appellat, licet sub Christi cruce intra annum 30. mundum gloriosissime vincens ignorarit. Seculis sequentibus a presbyteris hic ritus originem duxit, qui oris spi saliva et sputo suo nares et aures catechumenorum tangere soliti sunt. Nec tamen ordinarium, quotidianum atque fidelibus communem ritum eundem vocatum volumus. Vid. Ambrosius de sacram. 1, 1. p. 429. et Rabanus Maurus, de ceremon. eccles. 1, 27. Aures aperiuntur ad sermonem et eloquium sacerdotum; sed nares, ut baptizati bonum odorem accipiant. — §. 20. Impositionem nominis, respectu infantum ritum baptismalem verum indigitamus. Uti parvulis in circumcisione nomina imposita, ita apud Christianos quoque idem invaluit, ut infantes in baptismo, qui circumcisioni successit, nomina sortiantur. Hic ritus non institutum divinum, sed saltem humanam adinventionem, baptismati accedentem, respicit. Hugo Menardus in notis ad lib. sacr. Greg. p. 89. multis in medium adductis argumentis demonstrat, nomina olim non in ipso baptismo, sed ante eum infantibus a nostris imposita fuisse. — §. 21. Con-

sacrationem aquae vel fontis baptismalis inter ritus Bellarminus (de bapt. lib. 1.) refert, de quo male papistae, Cyprianum (ep. 70) falso adducentes et mentem ejusdem invertentes sentiunt. Cfr. Gabr. Vasquez disp. 146. in Thom. 2. N. 8 et 14. ubi dicit: locum Cypriani clarissime de consecratione aquae, quae fit per verba evangelica, in nomine Patris, Filii et Spiritus S. intelligendum esse. — §. 22. Chrisma s. unctionem ritum baptismalem ab antiquissimis temporibus extitisse, facili negotio credendum, qui ritus baptizatos oleo ungendi Tertulliani aevo in usum Christianorum receptus perhibetur. Consulendus Dallaeus de cultib. lat. 1, 10. Usum unctionis varium patres olim manifestarunt, unumquemque ungi in sacerdotium vel regnum spirituale, Christianos in athletas ungi, ut essent athletae Christi, mortuos inungi, moris olim fuisse. — §. 23. Impositionem manus ritum cum veteribus retinemus et pro baptismali venditamus. Constat ex Tertulliano (de bapt. 10. et de resurr. carnis 8.) jamdum circa initia 3. sec. apud Afros, imprimis Carthaginenses hunc ritum solemnem fuisse. Iste unctionem et χειροθεσίαν immediate connectit. Impositio vero ista nihil aliud, quam oratio super hominem dicebatur. Id quoque Joh. Dallaeus (de confirm. cap. 4. p. 127.) arbitratus est. — §. 24. Lactis et mellis vel vini delibationem ritum baptismalem Tertullianus rursus adduxit (de cor. milit. 3.). Ter mergitamur, inquit; inde suscepti lactis et mellis concordiam praegustamus. Eundem post Tertullianum apud Christianos annis fere centum durasse synodus a. Dom. 397. apud Carthaginenses habita, cod. can. eccl. Afric. 37. confirmatum dedit. Hieronymus contra Lucifer. infantationis ex lacte et melle meminit. Arnobius junior 5. sec. adulto et Menardus (in notis ad Gregor. lib. sacram. p. 147.) 10. sec. viguisse opinabantur; id quod ex antiquitate constat. — §. 25. Ritum baptismalem osculum pacis veteres admiserant, de quo Cyprianus (ep. 59. ad Fidum) Vicecomes de baptism. corem. 5, 1. Vasquez in Thom. quaest. 71. disp. 166. cap. 6. §. 72. 73. verba fecerunt et eundem prolixus exposuerunt. — §. 26. Vestem candidam s. splendidam baptismalibus ritibus veteres addidisse, Vicecomes (l. l. c. 6.) auctoribus promiscue et sine delectu productis firmum reddidit. Cyrillus Hieros. (catech. mystag. 5.) ansa istius vestis baptizatos ad virtutis studium et perpetuum innocentiae nitorem hortatur. A Basilio M. (in exhortat. ad bapt.) indumentum baptismale vestis splendida expresse dicitur. Non ergo inutilis et superstitiosus ritus vestis candidae indutio vocatur, uti Calviniani volunt, sed iidem a Gerhardo (loc. theol. 4. de bapt. p. 270.) merito refutantur. — §. 27. Cereum accensum, ritum baptismalem, neophytis in manus datum et per septem dierum spatium gestatum, ecclesiam graecanicam diu observasse, Cyrillus Hieros. (catech. mystag. 1.) testatur: vos fidei lampades accenditis eosque, etiamnum extinctos, manu tenendos custoditis. Idem ad spirituales animae cum Christo nuptias denotandas et ut baptizati, utpote a potestate tenebrarum ad lumen translati, aliis honesto vitae exemplo praelucerent, nobis a veteribus manifestatur. — §. 28. Porrectionem s. eucharistiae antiquam disciplinam pro ritu baptismali agnoscere, veteres

demonstrarunt. Basilius ideo ait: qui regeneratus, spirituali nutrimento indiget. Istum 3. sec. in communi et publico ecclesiarum usu fuisse, ex Cypriano (de lapsis 8.) constat et ad 12. sec. initia in multis orientis et occidentis locis servatum. Cfr. Dallaeus (de cult. latin. relig. 5, 4). — §. 29. Benedictione et pacis apprecatione totus actus baptismalis apud veteres claudebatur. Qui ritus Tertulliano notus; dicit enim: dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum S. postmodum omnes baptizato gratulati sunt. Haec benedictio adhuc in usu est et spectat ad ministrum baptizantem, formulam benedictionis proferentem, de qua supra verba fecimus, quam et ceteri adstantes, loco baptizatorum infantum collaboratores, non inconvenienter repetunt et incurvatione et geniculatione ritum istum commonstrant. — §. 30. Circa ritus hos nihil extra necessitatis casum immutandum est. Idem baptizans, patrini et adstantes approbare necessum habent; ille attendat non temulentam, sed devotam ac verbis probe perpensis convenientem actionem eorundemque recitationem. Isti considerent honestatem et devotam itidem gestationem. Hi vero orationem et consuetam attentionem ostendant. Haec omnia ad actum baptizandi ritus baptismales idoneos reddunt. — §. 31. Antiquissimum, sed perversum nonnullorum ritum dicimus, loco defunctorum alios vivos substitui, qui sacro lavacro nomine eorum tingerentur, ne forte obesset, pie alioquin defunctos baptismo caruisse. Vid. Tertullianus adv. Marcion. 5, 10; de resurr. carn. 48. Eundem Cyrillus (hom. in 1 Cor. 15.) Marcionitis. Epiphanius (haeres. 1, 28) Cerinthianis tribuerunt. — §. 32. De baptismo mortuorum quale judicium ferendum sit, obiter annotabimus. Damnatus est ritus (can. 18. codicis canon. eccl. afric.) his verbis: placuit, ut corporibus defunctorum eucharistia non detur. Et ne jam homines mortuos baptizari presbyterorum ignavia faciat. Hic error Cerinthianorum s. Merinthianorum, ab Epiphanio (haeres. 28.) indicatus, adjiciendus, qualis in Asia, imo Galatia, viguisse dicitur. Marcionitis eundem Chrysostomus tribuit (hom. 40. in 1. ad Cor. 15.). Cfr. Tertullianus contr. Marc. 4, 14. Ultimo verba extrema can. 6. conc. Carthageniensis 3. sec. ed. Binnii notatu digna: cavendum est, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat, cum eucharistiam mortuis non dari animadverterit. — §. 33. Ritum campanas aliasque res inanimatas baptizandi, licet iste prorsus stolidus sit, in papatu tamen usitatum esse, illis notum erit, qui a pontificio statu se avertunt et ad christianismum accedunt. Verum testimonio antiquitatis eundem probari posse, in totum inficiamur. Libet ad constitutiones Caroli M. (a Busaeo ed. p. 266.) provocare, ubi hoc capitulum invenitur: ut clocas non baptizent. sec. 10. in romana ecclesia a Johanne 14. hic ritus institutus, quod de jure approbari nequit. — §. 34. Ad circumstantiam rituum baptismalium demum respicimus, locum videlicet, qui cognitu necessarius. Apostoli primo in fluviis et fontibus, secundum Tertullianum (de baptism. cap. 9.), baptizarunt. Cui exemplo apostolico vetus ecclesia institit, juxta opinionem Walaf. Strabonis (de reb. eccles. §. 26.) sec. 4. Constantinus M., sub quo post decennales per-

secutionum tenebras pacis et tranquillitatis lux micuit, baptisteria in suburbio construi fecit. Crescente numero Christianorum singulis templis, praesertim cathedralibus aut parochialibus, singula baptisteria ordinata sunt. Extat ea de re decretum Clodovaei Francor. regis sec. 6. Vetus ecclesia simul baptisteria atque templa habuit, in quibus populo praesente baptismus est administratus. Verum hodie plerumque hic mos abrogatus est licet quoque extraordinarius baptismus non sit administrandus, tamen privatim administratio baptismi a multis desideratur, qui antiquam consuetudinem ita mutare solent.

XXXIV.

Andr. Schüler de susceptoribus *).

§. 1. Tempore nascentis ecclesiae simpliciores fuisse ritus, vel ipsa mysteriorum divinorum in N. T. descripta institutio docet, ubi praeter necessaria sacramentorum baptismi et eucharistiae nihil aut certe parum eorum, quae hodie ecclesiae consuetudo recipit ac retinet, legitur, quippe quod illi sancti homines intelligerent, disciplinae christianae modum esse talem, qui Dei cultum ab externis ad interiora, a corpore ad animum revocans, totum in vera adversus Deum pietate, adversus homines fide, justitia ac honestate, uno verbo, in summa morum innocentia constituit. At reliqui ritus, non necessitatis causa, sed propter decorum introducti, diuturna et tacita tandem usurpatione confirmati sunt; *consuetudo enim*, inquit Seneca, *rebus affert constantiam*; cum multi sive titulo libertatis christianae, sive innata et communi quadam hominum vanitate, simplicitatem divini instituti fastidiente, abrepti, mentem ad excogitandos hosce ritus convertisse videantur. De quo argumento, inprimis vero de baptismi simplicitate scite scribit Tertullianus (de bapt. 2.): *Nihil adeo est quod obdurat mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum; quae in actu videtur et magnificentia, quae in effectu repromittitur, ut hic quoque (in baptismo) quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aquam demissus et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis aestimetur aeternitas. Mentior, si non e contrario idolorum solemnia, vel arcana de suggestu et apparatu deque sumptu fidem et auctoritatem sibi exstruunt.* Hactenus Tertullianus; quod etiam fatetur Strabo, *ejus celebrationem gradatim per temporum augmenta in majus excrevisse* (de reb. ecclesiasticis 26.). Mox eo tandem excrevit rituum numerus (vid. Bellarminus de baptismo cap. 25—27.) crescente inprimis vulgi superstitione, ut sua sese multitudine subverterent; alii vero, ut moribus Christianorum convenientes, suamet se pietate et puritate commendarent. Ex plurimis placuit unum eumque laudandum depromere et examini subjicere, ac tradere historiam atque origines susceptorum. — §. 2. Susceptorum consuetudinem ἀναδοχῶν nomine apud Graecos in hoc argumento commu-

*) Prod. Viteb. 1688. 4.

niori tradit Dionysius Areop. (de hierarch. eccl. 2, 2. §. 3. p. 251. item. 7, 2. p. 418. ed. Corderianae). Hos imitati Latini scriptores rem susceptoris nomine expresserunt, denominatione inde ducta, quod hi infantes baptizatos e fonte sacro levarent, aut si adultioris aetatis essent, susciperent ac tuerentur. A diversis vero officiis diversa quoque nomina sortiti sunt. Justinus Mart. vocat προσφέροντες τὰ βρέφη τῷ βαπτισμάτι (Quaest. 56.); Tertullianus dicit Sponsores (loc. cit. cap. 18). Augustinus Fidejussores appellat (Sermon 116. item. 163. it. 215. conf. Liber de pecc. merit. et remiss. peccat). Offerentes idem, item fidei doctores; epist. 23. ad Bonifac. σύντεκνον Enchologium dicit. Adducendi vocabulo utitur Cyrillus Alexandrinus (ad vers. 26. cap. 21. Joh. p. 683). Nicetas vocat πνευματικὸν πατέρα. Strabo quoque Patres et Matres spirituales appellat. Plura non addo, quippe quod plurima alia nomina sequiorum sint temporum, quale et illud vulgare quidem, rudis tamen et inficetae latinitatis nomen Compatris est. — §. 3. Origines susceptorum in ecclesia facilius quidem est inquirere, quam certum fixumque initium iis vindicare, quippe quod in illud sciendi desiderio trahamur quasi et feramur, at hoc consuetudine obscurum redditur: *In iis enim, quae paulatim nascuntur, momenta temporum servari non possunt, initia non semper, imo fere nunquam percipiuntur eorum, quae non repentina mutatio, manifesta statim novitate, sed consuetudo, induxit,* ut loquitur Abbatus (demonstrat. Anti-Christi 7. p. 156). Hae enim et similes res, usu admittente, diuturnitate confirmantur. At vel eo etiam nomine obscuriora sunt principia hujus ritus, quod ab auctoribus certo non definiantur, quin imo inter tot dissensus confundantur. Alii enim rem aequalem temporibus apostolorum, aut saltem ab his usurpandam traditam esse affirmant; alii qui numero potius, quam argumentis sese tueri volunt, Hyginum autorem pronunciant, ut nihil dicam de iis, qui usum rei ex ipsa antiquissima Hebraeorum praxi traduxerunt. — §. 4. Quanquam autem nos id facile largiri possimus, occasionem Christianos sumsisse, instituendi susceptorum ordinem, ab antiquo Judaeorum ritu, quo circumcisionis testes accersebant, id vero in praesens causae meae nihil affert praesidii, quippe cum ego in eo elaborem, definire ipsas origines jam instauratae per Christum ecclesiae, sive eas occasione consuetudinis judaicae receperint sive sua sponte introduxerint. Neque etiam puto tam audaces futuros sententiae hujus patronos, quod assererent, continuo usu nec interrupta praxi rem ad novissima usque Christianorum tempora ita gestam esse. Nullo enim indubitato et vero antiquitatis praesidio assertioni suae fidem facere possunt. Lucas certe historiae actorum apostolicorum auctor illud non praetermissurus erat, si quid tale contigisset, meminit quidem aliquot millium baptizatorum, susceptorum vero non meminit. Accedit hoc, quod non plane et per omnia cum Judaeorum more conveniat. — §. 5. Bellarminus, quamvis id dicere non ausus fuerit, videtur tamen ritum hunc a temporibus apostolorum repetere; citat namque pro antiquitate susceptorum Dionysium Areop., eumque primo loco et ante Tertullianum collocat, imo librum hunc quem citat, esse genuinum viri apostolici, idem Bellarminus magno labore conatur evin-

cere (de Monachis 2, 5). Hinc concludendum necesse est, Bellarminum statuere ritum hunc ab aevo apostolorum esse deducendum, alioquin certe autor ipse sibi tacite contradiceret. Magis candide rem agit Durantus, hic enim expresse fatetur, instituti ultimam originem ab ipsa apostolorum traditione esse repetendam (de ritib. eccles. 1. p. 92.) deceptus procul dubio eadem Dionysii auctoritate, qui tamen, praeter id quod librum suppositititium esse probant viri critici post Laurentium Vallam et Erasmum, Robertus Cocus in censura, Rivetus in critico s., nihil omnino de susceptorum origine commemoravit. — §. 6. Cum itaque haec unica Dionysii auctoritas vapulet, tum sua sponte quoque ruit illa Bellarmini et Duranti aliorumque opinio; quibus vero videtur, ab Hygino petendam esse originem, ii Gratiani decretorum compilatoris auctoritate sese tueri volunt, qui verba citata §. 8. Hygino tribuit, quae tamen non Hygini, sed impostoris cujusdam sequioris aevi esse facile patet, quod nullibi alii illorum temporum scriptores ejusmodi susceptorum meminerint, quales tradit Gratianus. Denique id maximum impostarae *χριτήριον* esse arbitror, quod confirmationis usus, qualis iis temporibus fuit, non conveniat cum susceptoribus, quippe quod confirmatio simul cum baptismo exhiberetur, unde non opus erat uni actui duorum generum susceptores imponere. Platina in Hygino idem tradit: *Volvit unum saltem patrimum unamve matrimam* (ita barbare loquitur) *baptismo interesse:* qui ad eandem procul dubio Gratiani auctoritatem recurrit, aliam enim non affert, de qua quid habendum sit jam dictum est. Conf. Cocus l. c. p. m. 61. — §. 7. Ex dictis illud liquet, terminum instituti non facile definiri posse, quippe quod horum testimoniis non omnis quidem fides deneganda, neque tamen ii, quos tradunt ritus, cum auctoribus, quos prae se ferunt, aequales esse certo credendum. Rem certe juste expenderemus, si illud ipsum Quaestionum et Responsionum Justini Mart. opus a dubitatione vindicari posset, cujus martyris tamen imposturam jam diu animadverterunt docti viri fraudesque detexerunt. Unde id nobis relinquitur, aliunde quaerendum esse causae praesidium, idque primum certissimumque prodit Tertullianus, accuratissimus ritnum temporis sui interpres; nimirum primus tradit ordinem hunc susceptorum, in eo autem negligentior, quod nihil de origine ejus commentatus sit; vide de baptismo 17. Quod argumento esse potest, institutum hoc ultra alterum Christi sec. non esse porrigendum, utut id dici certo nequeat, quo anno aut quo auctore coeperit, diune an parum ante Tertullianum fuerit introductum. Quam sententiam, quamquam probabilem saltem (ut dicitur) suis rationibus non plane destitutam, circumstantiae temporis quoque juvant; videmus enim ecclesiam coetumque sanctiorem sub haec tempora gravissimis vexationibus laborasse, ut nulla non crudelitate in eum animadverteretur. Crescente enim in dies Christianorum numero, vindicta quoque severiore eos comprimebant, quod abunde testatur crudelitas imperatorum Trajani, Antonini, Severi; martyrum quoque exempla, Polycarpi, Ignatii, Justini, Hygini aliorumque. Quibus rebus tandem effectum est, ut liberos Christianorum, parentibus suis orbatos gentiles fraude malisque artibus circumvenirent. Hinc ut pii omne pericu-

lum vel amittendae vel saltem premendae religionis christianae gentilibus eriperent, consilium de piis susceptoribus inierunt, quo via omnis evertendi coetus divinioris hostibus praecluderetur. Inprimis autem ea facti ratio suberat, si forte eveniret, ut parentes repente tyrannide grassantium imperatorum infantibus subtraherentur, haberent qui et in divinis mandatis eos instruerent et testimonium de suscepto baptismo adolescentibus perhiberent, ut eo facilius insidiae diaboli, occasionem nocendi quaerentis, evitarentur. Non pauci quoque his temporibus tanta martyrum constantia et zelo permoti sunt, ut pietatem et religionem eorum sibi in exemplum verterent, divini aliquid in tantis vexationibus ferendis subesse rati ejeratąque gentilium impietate Christianorum coetui adjungerentur, quorum imbecillitati constitutis susceptoribus mature subveniebant, qui deinde fidem suam aequali exemplo confirmare non erubuerunt. — §. 8. Illud autem non omittendum est, susceptores tribus in casibus datos esse, nempe in rudiorum institutione sive catechisatione, in baptismo, denique in confirmatione, quorum singuli actus a singulis sunt peracti, nisi casus necessitatis legem attemperaret. Vid. *Gratianus D. de consecrat.* 4, 100.: *in catechismo, in baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.* Cfr. Polyd. Vergil. de Inventor. rerum 4, 4. p. 325. Priores duos modos esse antiquissimos constat quoad primum ex Concil. Laod. can. 46; it. ex Tertulliano de poenit. 6. de bapt. 20. Quod alterum spectat, progressus docebit. Ultimum vero illis esse posteriorem, vel eo argumento demonstrari potest, quia confirmatio olim ritus baptismo superadditus, non sacramentum fuit, *de pristina disciplina ducta, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant, ex quo Aaron a Mose unctus est,* ut Tertullianus de bapt. 7. Unde illud quoque sequitur, susceptores alios infantibus, adultis quoque alios esse datos, quorum etiam diversae erant officii partes, in eo tamen utrique conveniebant, quod stipularentur votoque se obligarent, se velle novitium in omni pietate erudire, ut cognoscat vim et veritatem sacramentorum ad Dei gloriam et vitam aeternam. — §. 9. Consilium vero instituendorum susceptorum omne ad pietatem et doctrinae christ. confirmationem pertinebat, quippe cum tanta religione veterum fidelium animi imbuerentur, ut consultum esse facile animadverterent, impotentiam aetatis puerilis doctrinae magistris esse sublevandam, qui χειραγωγῶν instar viam consequendae salutis aeternae monstrarent. Verum non infantibus solum, sed adultis etiam dabant susceptores, quod apparet ex Dionysio Areop. l. c. 2. §. 2. p. 251. *Quisquis autem horum,* inquit, *munerum vere supermundalium sancte particeps esse cupit, accedens quempiam sacris initiatum, flagitatque ab eo, ut ad sacrorum praesidem deducatur, ipse vero integre cunctis sanctionibus obsequi pollicetur, rogatque suae cum adductionis, tum totius exinde vitae curam suscipere ne dedignetur.* Hi enim nuper ex coetu gentilium ad Christi sacra venientes, aetate illis quidem majores, in doctrina autem coelesti aeque rudes erant, quibus institutione opus erat ad respondendum, antequam initiarentur et confessionem fidei edendam, quod in adulto baptizando requiritur a Dionys. Areopag. l. c. §. 5. p. 225.

Tum ipsum juxta institutionem fidejussoris infidelitatem pristinam verique boni ignorationem, nec non vitae spiritualis privationem detestantem, atque sancta ejus intercessione Dei divinorumque compotem fieri postulantem praemonet, integre illi ad Deum accedendum esse, utpote prorsus perfectum et immaculatum, propositaque divina vivendi norma, nec non interrogatum, num ex ea victurus esset? assentienti manum capiti imponit. De adultis etiam intelligendus est locus in decretis de consecratione D. 4. c. 73.— §. 10. Quae hactenus dicta sunt de infantum et adultorum susceptoribus, ea simul innuunt, officium non apud utrosque idem fuisse; adulti enim qui erant, ii ante baptismum susceptum a susceptoribus suis informabantur, quo tanto promptiores ad respondendum efficerentur, in quam rem extat can. 47. conc. Laod. Denique ad sacerdotem ducebant, precabantur, ut copia baptismi petenti concederetur, quorsum pertinent verba Dionysii l. c. §. 5. *Veruntamen benevole tandem simul petitioni ejus* (sc. catechumeni) *satis se facturum annuit* (nempe susceptor) *ipsumque suscipiens ducit ad summum sacerdotem.* In eo tamen utrique conveniebant, in quo et maxima pars officii consistebat, nempe ut infantes recta in Deum fide educarentur a susceptoribus, totique hi in id incumberent, quo veritatem doctrinae coelestis agnoscerent, imo etiam vitae civilis curam haberent, hos patrum instar tuerentur ac defenderent; quod etiam requirit Dionysius Areop. l. c. cap. ult. §. 2. p. 418. *Placuit*, inquit, *puerulos hoc sancto modo ad baptismum admitti, ut oblati parvuli parentes naturales filium uni ex fidelibus tradant, qui praeclare in divinis rebus puerum erudiat, sub cujus deinceps cura sit tanquam sub divino patre, sanctaeque salutis susceptore. — Vos ante omnia tam viros quam mulieres admoneo, qui filios in baptismo suscepistis, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum pro illis extitisse, quos visi estis e sacro fonte suscipere. Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, caritatem teneant.* Ita apud Gratian. D. 4. de consecrat. c. 105. — §. 11. Ad infantes vero id inprimis pertinebat, quo etiam maxime differebant ab adultis, quod pro iis responsionem depromerent confessionemque fidei suae ederent susceptores Satanaeque et omnium ejus operum abrenunciationes profiterentur. Quorsum vid. Gratian. D. 4. de consecr. can. 28: *si parvuli sunt vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis qui offerunt, juxta morem baptizandi et sic manus impositione et chrismate inuncti admittantur.* Eadem tradit Dionysius Areop. l. c.: *hunc itaque* (scil. susceptorem) *antistes sancte promittentem, se puerum ad sanctam vitam informaturum, jubet profiteri abrenunciationes sacrasque professiones.* Illud autem usu venire solebat, ut nomen quoque baptizato eo simul tempore imponeretur et quidem convenienter (sunt verba Georg. Calixti in Concordia Evangelica lib. 1. cap. 9. p. 52.) *ut olim in circumcisione, ita hodie in baptismo nomina infantibus induntur, quod ipsi tum Deo nomen dare et obsequium promittere incipiant, adeoque ex potestate tenebrarum in potestatem Dei, in cujus etiam gratiam tutelamque referuntur, transeant.* De gentilium vero imponendi nominis consuetudine inprimis vid. Rosinus Antiq. Rom. 2, 19. p. 384. — §. 12. Ex quibus facile colligere possumus, non inutili studio sollicitos fuisse Patres, dum in eo maxime ope-

rum ponerent, ut dignos tanto officio homines perquirerent, qui sese et morum probitate et religionis inprimis sinceritate commendarent, tales etiam maxime desiderabant, ut ii, qui munus suscipiendi baptizatos e sacro fonte imponi sibi paterentur, ante omnia notitia capitum doctrinae christianae imbuti essent, quo tanto facilius et muneri suo satisfacerent votumque, quo se et ecclesiae Deoque obligarunt, facilius effectum darent. Nec non perspectum habebant illud, fore, ut petulans negligentia in se olim esset vindicanda. Quapropter constitutum est, ut patrini praecipuarum fidei capitum notitia polleant, symbolum apostolicum, orationem dominicam et rudimenta doctrinae divinae teneant. Quorsum pertinet adhortatio Augustini ad patrinos ap. Gratian. l. c. can. 105: *Ante omnia symbolum et orationem dominicam vos ipsi tenete et illis, quos susceptis e sacro fonte, ostendite.* Unde etiam de periculo negligentiores graviter admonet Tertullianus (de bapt. 18.) his verbis: *Pro cujusque personae conditione et dispositione, etiam aetate cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos; quid enim necesse est, si non tam necesse est sponsores quoque periculo ingeri? qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malae indolis falli.* — §. 13. Unde illud nunc sequitur, non spernendo exemplo arceri solitos ab officio suscipiendi illos, qui vel imbecillitate aetatis vel pravitate ingenii aut alia causa laborarent; illos ideo, quod sint vel teneriores adeoque divinorum institutorum minime capaces propriaque informatione indigentes, vel aetate essent provectiores, unde vitae spem longam sibi polliceri minime possent. De quibus etiam conquestus est diu Brunnemanus: *Porro experientia docet in adhibendis patrinis non haberi respectum ad pietatem, sed ad divitias et profanari sacramentum conviviis et compotationibus. Praesertim ruri videas pueros et puellas vix dum adultas huic venerando negotio adhiberi* (Jur. Eccl. 2, 1. 2. §. 12. p. 366.). Hos vero ideo, quod haereticis et infidelibus annumerentur, cum neque pietatis instituto videretur congruere, hos et similes tanto negotio adhibere, metus enim de sinceritate erudiendi susceptos facile suboriri poterat, imo ut omnis et hypocriseos et periculi via occluderetur, ne forte tenellus credentis animus prava doctrina inficeretur, sancte mandarunt, ut parvuli baptizandi non secus ad baptismum admittantur, nisi *uni ex fidelibus tradantur*, (Dionys. Areop. l. c. 2. §. 9.); *item Marcus Patriarcha Alex. interrogatione* 35. dicit, rejiciendas esse illas filiorum susceptiones, quae fiunt per Pontificios, Armenos, Monotheletas, Nestorianos et alios his similes. — §. 14. Hinc et illud sua sponte fluit, nihil minus cum antiqua piorum praxi convenire, quam morem illum nonnullorum, qui sacrum hoc negotium in nefandum impii quaestus instrumentum convertunt. Multi enim dum susceptores infantibus quaerunt, plus solliciti de benc stipatis muneribus, quam piis sponsoribus, venerabili hoc instituto abutuntur, quo tandem fit, ut sub specie pietatis et praetexta honestatis nundinationem, aucupium pecuniae vel saltem splendidum amicorum numerum venentur. Nunquam haec lucrifaciendi via cum instituentium rem piam animo convenit, neque impietas haec laudanda, quae id, quod aliis iisque piis causis destinatur, in quaestus sacram famam traducit, quin imo cum sordida

Simoniacae fallaciae sentina detestanda et damnanda. — §. 15. Munus hoc, quia lege caritatis christianae mensuratur, ideo quilibet facile animadvertit, neminem vocatum ad hoc officium posse vocanti deesse, quamquam lege speciali canonica eo prohibeantur monachi et abbates, ne procul dubio consilio, ne extra monasteria evocentur et negotiis alienis implicentur. Parentes quidem naturales hoc munere defunctos esse probat Augustinus: *Novimus parvulos parentum manibus ad gratiam sancti baptismi deportatos.* At postea eos esse prohibitos ab hoc munere, sequens temporum praxis evincit neque propterea penitus rejiciendus mos, sed quia instituto magis convenit alter, vel eo saltem nomine laudandus, quod mortuis etiam parentibus naturalibus, aut alia de causa ab officio, quo liberis rudioribus inprimis et infirmioribus tenentur, avocatis, adoptivis gaudere possint, per quos jactura et amissio educationis resarciatur. Unde jure libertatis christianae sese tueri potest synodus Moguntina, quae in hanc rem canone peculiari (55) animadvertit: *Nullus igitur proprium filium vel propriam filiam de fonte baptismi suscipiat.* — §. 16. Sanctitas autem et veneratio hujus ritus vel inde etiam agnosci potest, quod misericordiae nomen exinde mereatur is, qui libere eidem operi perficiundo se accommodat et petitioni parentum subvenit, quin imo ab eodem ne ipsae quidem virgines, quae voto peculiari religioni sese consecrarunt, excipiuntur, eo usque ut eidem quoque peragendo obligatas fuisse tradat Augustinus (ep. 23.): *Multos non offerri a parentibus, sed etiam a quibuslibet extraneis, sicuti a dominis servuli aliquando offeruntur et nonnunquam mortuis parentibus suis parvuli baptizantur ab iis oblati, qui in illis hujusmodi misericordiam prebere potuerunt; aliquando etiam eos, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus colliguntur, ab eis offeruntur ad baptismum.* — §. 17. Illud vero non praetereundum est, quod ad numerum susceptorum attinet, quem non eundem semper, sed diversum pro loci cujusque consuetudine habuerunt. Illud certum est, libertati christianae uniuscujusque ecclesiae fuisse relictum, neque semper definiisse, quot eorum asciscendi essent, eo usque ut hoc in capite pro nutu et arbitrio suo interdum dispensaret. Quod tenet etiam communior nostratium inprimis ecclesiarum praxis, quae legem Hygini Pontificis sustulit de uno susceptore admittendo et contra canonem Leonis sancientis, *ut non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam unus sive vir sive mulier*, numerum pro libertate sua auxit. Alias vero ecclesias uno uti, docet Critopulus in conf. cap. 7. Unde id elici potest, ritum hunc nihil addere, quod ad baptismi constitutionem pertinet, verum ex libertate christiana usurpandum, quia vero tota etiam res ad pietatem caritatemque spectat, tunc facile quilibet animadvertit, rem totam ex animo agentium et instituentium intentione esse judicandam neque eandem temere everti aut praepostero consilio mutari debere; ea enim res argumento esse potest ecclesiae, quae se morum integritate fideique puritate commendat, quo ejus ad exemplum hodierna quoque tempora et componerentur et corrupti mores conformarentur. — §. 18. Postremo et illud non omittendum est, quod jure speciali eccles. hinc translata sit *cognatio spiri-*

tualis, orta ex stipulatione in baptismo cum baptizato, interveniente ecclesia de illo recte educando, inita, ob peculiarem reverentiam, quam susceptus debet suo susceptori. Contrahitur autem ea jure pontificio inter baptizatum et patrimum patrimamve, inter eundem baptizatum et suscipientis liberos, atque uxorem ante susceptionem carnaliter ab eo cognitam, item inter suscipientem et baptizati patrem matremque, nec non inter baptizatum et baptizantem ejusque filios filiasque. Inter hos itaque vi canonum matrimonium non est contrahendum, aut si contractum sit, dirimendum. Imo et poenam addit Balsamon (ad Nomocan. Photii tit. 13, 5. p. 204): *Qui cum ea, quam e baptismo levavit, vel sub matrimonii nomine rem habet, vel alias clam congreditur, ei cum ipsa qua coit nares amputentur.* — §. 19. Notanter autem dictum est, cognationem hanc spiritualem a jure humano et constitutione ecclesiastica Rom. repetendam esse, quia, si de jure divino quaeras, nusquam invenies in scriptura S. legem hanc esse latam. Illud vero non negandum est, consilium cognationis spiritualis non spernendum esse simpliciter vel eo saltem argumento, quod reverentia, qua susceptus susceptori et officium quo vicissim hic illi tenetur, magis confirmetur, attamen auctoritas ordinis matrimonialis, inprimis ob defectum legis divinioris, videtur hanc legem evertere, idque tanto magis, quod illa reverentia et debitum non simpliciter ab actu conjugali prohibentur. Unde ecclesiae nostrae hoc tanto majori jure ab obligatione decreti hujus absolvuntur. Haec vero et similia mihi sufficiat recensuisse; quo jure autem fiant, meum non est inquirere.

XXXV.

Chr. Valer. Weidling de baptisteriis veterum Christianorum *).

§. 1. Ea mentis humanae est indoles, ut quoties ideae rei cujusdam accidentales s. accessoriae, ut vulgo vocantur, recurrant, toties etiam rei ipsius recordetur animus. Hinc operae pretium me facturum esse existimavi, si de baptisteriis veterum Christianorum, materia satis digna nostro studio, quaedam traderem, eoque lectoribus benevolis foedus illud sanctissimum, quod cum Deo per baptismum inivimus, in mentem revocarem. Vocem baptisterii ipsam quod attinet, illa inter gentem Romanam jam erat notissima. Cum enim, quicquid ad corporis pertinebat culturam, sollicite curaret, balnea atque thermae Romae magno numero erant conspicuae, in quibus baptisteria facile eminebant. Erant autem Romanis baptisteria cerja loca lotionibus dicata, quorum Plinius aliique rerum Romanarum scriptores saepissime mentionem injiciunt. Erat cella frigida, inquit Plinius **), in qua baptisterium amplum et opacum. — §. 2. Haec autem baptisterii vox tandem in ecclesiam fuit introducta. Locus enim s. aedificium, in quo omnes baptismi ceremoniae peragebantur, ipsis audiebat baptisterium. Rarissime tamen etiam pro ipso illo fonte seu κολυμβήθρᾳ, de quo §. 4., usurpari, veterum monumenta loquuntur. De utroque ita habet Anastasius ***) baptisterium, quia jam prae nimia vetustate ruinae proximum erat et quia angustior locus populo existebat, qui ad baptismum veniebat, in meliorem erexit statum atque sacrum fontem in medio largiore spatio fundavit. Hic autem locus, quem jam baptisterium vocavimus, alio etiam nomine appellabatur φωτιστήριον; locus illuminationis. Idque quia Chrysostomo aliisque scriptoribus frequentissime baptismus vocatur φώτισμα et baptizati dicuntur illuminati †), quia haec loca erant loca illuminationis seu institutionis, quae baptismo praemittebatur. Hic enim catechumeni primis fidei christianae elementis erudiebantur vel certe fidei symbolum docebantur. Ita

*) Prod. Lips. 1737. 4.
**) *Epist.* 5, 6; 2, 2.
***) *In vita Leon.* 3.
†) *Vid. Bingh. Orig. Eccl. Vol.* 1. *lib.* 1. *c.* 4. *p.* 36.

enim Ambrosius*): post lectiones atque tractatum, inquit, dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicae. — §. 3. Re itaque ipsa, quid significet, bene cognita atque perspecta, opus erit, ut in originem baptisteriorum paulo accuratius inquiramus. Omnes historiae et antiquitatum ecclesiae scriptores in eo, tanquam in re certissima, consentiunt, quod templa Christianorum s. loca certa, in quibus cultus Dei publice fuerit celebratus, sec. 4 demum florere coeperint. Nam cum per tria ferme secula Christianos miris vexaverint modis hostes eorumque atrocitas tanta fuerit, ut omnia Christianorum sanguine maderent, tantum abest, ut templa publica habuerint, ut potius noctis tempore sacra sua peregerint. Ita enim Trajano imper. refert Plinius**): „sunt soliti Christiani stato die ante lucem convenire carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem;" quidquod illi ipsi conventus Christianis erant interdicti, id quod idem scribit Plinius ad Trajanum: „non amplius post edictum meum convenere Christiani, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram." Tandem vero cum ira hostium paulatim deferbuit, finita Diocletiani persecutione res Christianorum formam pristinam recipere visa fuit. Cum enim Constantinus M. hostes christiani nominis aliquot praeliis vicit et ad accipiendas pacis conditiones coegit, Christianis, quorum numerum ipse Constantinus M. Nicomediae baptizatus adauxit***), grata redierunt halcyonia. Tunc templa aut hostium manibus eripuerunt aut nova exstruxerunt, verbum Dei docuerunt et sacramenta, quorum usus publicus antea erat interdictus administrarunt. Inde cum templa cultui publico destinata habuerunt, paulatim etiam pecularia†) exstruxerunt baptisteria††). — §. 4. Haec autem baptisteria, quae admodum ampla erant†††), in duas vulgo divi-

---

*) *Epist.* 33. *ad Marcellinum.*

**) *Epist.* 10, 97.

***) De baptismo Constantini M. confer praeter *Eusebium in hist. eccl. Theodoretum hist. eccl.* 1, 31. et *Sozom.* 2, *c. ult.*

†) Quod enim sec. 2. non fuerint ordinaria baptisteria, probat Justini Mart. testimonium, qui *Apol.* 2. *p.* 93. dicit: adducuntur a nobis illi, qui baptismum desiderant, ubi aqua est atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Et sec. 3. doctor (Tertullianus *de bapt. c.* 4.) asserit: nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.

††) Ita enim Constantinus M. baptisterium in suburbio et aliud in Coelio monte exstruendum curavit, cujus elegantiam nobis descripsit Augustinus *de civ. Dei* 22, 8. et Socrates *hist. eccl.* 7. 4. et 17. Sed in ecclesia Gallicana sec. 6. demum tempore Clodovaei regis baptisteria florere coeperunt. Haec autem cum antea extra urbem exstruere haec baptisteria solita fuerit, tandem concilio Ilerdensi haec baptisteria ipsis ecclesiis jungere et a sinistra ingredientium parte collocare placuit. Vid. Greg. Turon. *de Miraculis S. Martini* 2, 21.

†††) Admodum ampla erant baptisteria 1) propter ritum immersionis eo tempore in ecclesia Latina pariter ac Graeca usitatum, qui usque ad tempora Bernardi sec. 11. clari durasse dicitur; 2) propterea, quod certum baptismi administrandi tempus erat constitutum, quod cum advenit, magna undique hominum confluxit multitudo. Tempus enim festumque paschatos baptismo fuisse dicatum, testatur Socrates hist. eccl. 5, 21. ubi asserit, Thessalonicas ecclesias habuisse in consuetudine, ut semel duntaxat in anno idque paschatos festo bapti-

debántur partes. Prima baptisterii pars dicebatur προαύλιος οἶκος, porticus domus baptisterii, altera vero ἐσώτερος οἶκος, interior domus. In prima hujus parte catechumeni renuntiabant diabolo omnibusque ejus operibus, alteram vero partem teste Binghamo *) baptismi ipsius administrationi reservabant. In medio hujus baptisterii stabat piscina, ex duro lapide pretioso, saepe marmoreo et porphyretico exstructa, alias κολυμβήθρα teste Binghamo **) dicta, in quam cum adulti, tum infantes immergebantur. Inde nomen sortiti videntur Christiani οἱ τῆς τοῦ πνεύματος κολυμβήθρας υἱόι. Quem ad modum autem in primitiva ecclesia optimo justoque ordine res procedebant, ita etiam in baptizandis catechumenis singularem habebant consuetudinem. Non promiscue singulos utriusque sexus infantes aut adultos uno eodemque loco immergebant, sed illa κολυμβήθρα s. piscina lignis inde a terra surgentibus erat distincta, adeo ut in una hujus parte masculi, in altera vero sexus sequior baptismum acciperent ***). — §. 5. Mos non omnino vituperabilis invaluerat in primitiva ecclesia, ut omnia, quae cultum publicum spectabant, solemni ritu †) consecrarent. Separabant hoc ipso actu res a communi atque promiscuo usu easque sacras ††) ad cultum divinum

---

zarent. Africana quoque ecclesia in paschate et pentecoste baptizare solita fuit teste Tertulliano *de bapt.* 19. qui, diem solemniorem baptismi, inquit, pascha praestat, cum et passio Domini, in quam tingimur, adimpleta est. Et paucis interjectis ita habet: Exinde pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est et gratia Spiritus S. dedicata et spes adventus Domini subostensa. — Non jam eorum consuetudinem sub examen vocabimus, qui nonam praecise sabbati paschalis horam baptismo destinabant, de quibus vid. Vicecom. *de antiquis baptismi ritibus I.* 21—26. ea quidem adducti ratione, quia hac hora diei angelus ad Cornelium venerit eumque admonuerit, ut ad Petrum mitteret, qui eum baptizaret. Nobis enim hac in re omnino humani quid passi videntur. De tempore autem baptismi solemniori vide Quenstedtium, *in antiquitatibus bibl. et eccles.* p. 365 ss.

*) *Orig. Eccl.* 8, 7.

**) *Bingh. l. c.* 7. §. 1.

***) Deliberato animo non ad locum Augustini *de civ. Dei.* 22. cum Binghamo aliisque provocamus, siquidem maxime dubius atque vexatus nobis videtur. Non enim disserte asserit, quod haec pars, quam appellat foeminarum, fuerit in κολυμβήθρᾳ s. piscina, sed in genere dicit fuisse partem foeminarum in baptisterio, ad quam attendere debuerit foemina illa aegrotans. Haec autem separatio commode etiam de illa accipi potest, qua primitiva ecclesia sedulo curavit, ut quoties viri pariter et foeminae in sacris convenirent, a se invicem spatio quodam interjecto disjungerentur. Nos potius pro asserenda hac sententia provocamus ad Cyrilli Hierosolymitani testimonium, qui in Catechesis suae praefatione monet, ut viri cum viris et mulieres cum mulieribus in suscipiendo baptismate se conjungant. Eo enim tempore consuetudo postulabat, ut vestibus depositis baptismum acciperent, adeoque cum plures adulti utriusque sexus simul baptizarentur, pudori hoc medio consulere ipsis placuit.

†) De ritibus consecrationis vid. *Syntagma Salmuriens. P. III. p.* 614.

††) Non eam h. l. quam Romanensium superstitio strenue defendit sanctitatem, qua res peculiari qualitate instructa a laicis tangi non debeat, intellectam volumus. Haec enim a mente Christianorum veterum fuit alienissima. Sed nobis h. l. sanctitas idem est ac destinatio ad sacros usus.

destinabant. Sic veteres consecrabant templa*), altaria**), vasa et reliqua omnia ad sacrum apparatum pertinentia***). Haec itaque templa et reliqua ad cultum divinum spectantia cum solemni ritu consecrarent, baptisteria etiam ut consecrarentur, diligenter curabant. Ritus atque ceremonias, quas primaeva praescripsit ecclesia, litteris consignatas †) legimus: Primitus fiat aqua benedicta cum litania. Deinde dicatur oratio: omnipotens, sempiterne Deus, fons omnium virtutum et plenitudo gratiarum, dignare hoc vasculum, sacro baptismati destinatum, majestatis tuae praesentia consecrare, ut, qui ubique totus es, etiam hic adesse te nostris precibus sentiamus. Tunc aspergat pontifex ipsum baptisterium aqua benedicta, addens odorem incensi. — §. 6. Haec autem baptisteria, de quorum consecratione ea, quae innotuerunt, communicavimus, erant primis temporibus aedificia prorsus separata a templis Christianorum ††), tandem templis fuere juncta atque in eorum introitu versus occidentem, teste Binghamo †††) exstructa. Et, si conjecturis locus est, ideo baptisteria in atrio templorum aedificarunt, quod baptismus est sacramentum initiationis, per quod admittuntur homines in ecclesiam et ad sacra mysteria tanquam per ostium. Sec quicquid demum sit de hujus ceremoniae fine, nobis hoc loco notasse sufficiat, quod haec baptisteria consensu omnium loca credita fuerint sanctissima. Hoc patere mihi videtur ex duplici ratione: quia catechumenis sub gravissimae poenae conditione erat interdictum in concilio Aurel. I can. 19., ne in hunc locum procedant; tum quia homines, qui ejusmodi baptisterium suis sumtibus exstruxerant, opus putabant meritorium. Luculentum hujus rei testimonium exhibet inscriptio, quae Bethlehemi in baptisterio antiquo legitur: Pro memoria, quiete et remissione peccatorum O. N. J. Dominus cognovit omnia †*). — §. 7. Illi autem, qui suis sumtibus baptisteria exstruebant homines, eam habebant consuetudinem, ut illa in martyrum sepulcra aedificarent, aut, si fieri non possit, ossa eorum inferrent †**). Haec autem consuetudo originem ex superstitione, ne dicam errore quodam, traxerat. De meritis enim martyrum plus, quam satis est, glorifice sentiebant, ipsos martyres omni honore ornantes ossa eorum, si modo fieri possit †***) splendide sepelire solebant. Hoc non ex glorifica tantum de meritis martyrum proficiscebatur opinio, sed ex alio etiam eoque gra-

---

*) De consecratione templorum vid. Euseb. hist. eccl. 10, 1. et Socrat. 1, 13.

**) De consecratione altarium conf. Martene *de antiquis ecclesiae ritibus L. II. p.* 340.

***) Cfr. Martene *l. c. p.* 378.

†) *Tom. XIV. biblioth. max. Patrum.*

††) Bingham *l. c. c.* 7. §. 1.

†††) Bingham ibid. §. 1.

†*) Cfr. Wedderkamp *de baptisteriis c.* 3. §. 21.

†**) Cfr. Wedderkamp ibid. *c.* 2. §. 24.

†***) Omni cura in sepeliendis martyribus opus erat primitivae ecclesiae. Nam gentiles omnem impendebant operam in quaerendis martyrum corporibus et si quae invenerunt, ea indigne maleque tractarunt. Vid. Boehmeri *disp. de jure erigendi coemeteria c.* 1. §. 14.

viore ortum trahebat errore. Putabant enim veteres, quod, si martyrum corpora digno exciperent honore aut si ex hac vita egressi juxta martyrum coemeteria sepelirentur, participes redderentur meritorum martyrum. Hanc opinionem jam sec. 4. inter Christianos obtinuisse veterum testantur monumenta. Ita enim Ambrosius (Serm. 77.) scribit: quod vero quisque apud memoriam martyrum sepelitur, hoc tantum mihi prodesse videtur defuncto, ut, commendans eum martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicatione augeatur. Et Augustinus (retract. 2, 64): ideo a majoribus provisum est, inquit, ut sanctorum ossibus corpora nostra sociemus, ut, dum illos tratarus metuit, nos poena non tangat. — §. 8. Templa autem, quae dicebantur martyrum sedes et baptisteria martyrum coemeteriis imponendi ritus procul dubio quibusdam interpretibus dedit occasionem verba Paulina 1 Cor. 15, 29. explicandi interpretandique. Cum enim ibi Paulus baptismi super mortuos injiciat mentionem et verba non levi laborent difficultate, optime sibi consulere existimarunt interpretes, si ad hanc veterum consuetudinem provocarent. Non jam in enumerandis horum interpretum nominibus multus ero, sed Lutherum *), Gerhardum et Liturgiam Friderici nominasse sufficiat. Gerhardus **) enim dicit: amplectimur simplicissimam illam expositionem de ritu baptizandi Christianos ad sepulcra mortuorum. Hic autem ***): apostolorum aetate, inquit, supra sepulcra martyrum baptismum administrabant, quod Paulus 1 Cor. 15, 29. commonuit. — §. 9. Quamvis autem inficias ire non possim, quod haec Lutheri expositio reliquis omnibus, quae partim per baptismum calamitates, partim per τοὺς νεκροὺς cum Schurmannia (in opusc. p. 97.) fideles, partim cum Oleario et Fabricio Christum ipsum, singulariter mortuum, intelligunt, palmam facile praeripiat: negandum tamen non est, quod etiam haec Lutheri ceterorumque expositionem dubia vexent non levidensia. Non enim 1) convenire mihi videtur cum stilo apostoli haec expositio. Apostolus enim h. l. probaturus resurrectionem mortuorum κατ ἄνθρωπον disputare videtur et ex adversariorum principiis ipsos de veritate resurrectionis convincere allaborat. 2) Repugnare mihi videntur eorum temporum circumstantiae. Non enim iis temporibus publica Christianorum erat persecutio, ut sacris vacare sacramentaque administrare non potuerint, quin potius apostoli ubique locorum baptizaverint. Et concedamus licet, quod haec baptismi administratio Christianis fuerit interdicta, non tamen in coemeteriis martyrum, quod adversarii nunquam probabunt, sed potius in fluminibus, balneis atque thermis baptismum celebrabant. Nihil itaque cum hujus sententiae defensoribus restet praesidii, quam vocis ὑπὲρ significatus proprius et reliquae repugnent circumstantiae, in eorum explicatione acquiescendum non existimo. — §. 10. Ambrosium potius alii in hujus loci difficilioris explicatione ducem sequuntur, qui, ut ipsis quidem videtur, magis probabilem subministravit expositionem. Ille

*) *Tom. VI. Jenens. Germ. fol.* 246.
**) *Loco de baptismo c.* 7.
***) Liturg. *c.* 4. *Sect.* 19.

enim in comment. in epist. Paulin. exemplum eorum subjicit, qui pro mortuis baptizabantur, si quem mors praevenisset, timentes, ne aut male aut non resurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur. Illi, qui historiae eccl. nobis tradunt monumenta, mentionem faciunt quorundam haereticorum, inter quos hic baptismus usu receptus fuerit vicarius. Cerinthiani fuerunt sec. I. haeretici, Cerinthi hominis spurcissimi soboles, qui vivum in locum defuncti sine baptismo substituentes baptizabant. Ita nobis hunc ritum, suo tempore usitatum, describit Chrysostomus: Quando aliquis catechumenus moritur, tum vivus quidem subter denati loco recumbit, accedentibus aliis, qui mortuum rogant, numne baptizari velit? qui cum non respondere possit, responsum dat subter lecto jacens atque se velle baptizari et sic baptizant ipsum vice mortui. Negare quidem non possunt, quod tantam hac in re certitudinem non habeant, ut tuto ad clarissima historiarum monumenta provocare possint; argumentis tamen pro suo asserto non destituuntur. Non enim, quod primo loco nominandum, proprietati verborum apostoli repugnat expositio. Vocis enim baptismi receptum retinemus significatum, mortuos intelligimus proprie sic dictos, imo ipsa particula ὑπὲρ suum, qui et tironibus notus est, habet significatum. Quod autem h. l. Paulus ex ipsis adversariorum disputet principiis, ex oppositione illius probari posse videtur. In hoc enim, quem explicandum sumsimus, loco Paulus loquitur in tertia persona, cum e contrario commate sequente, cum de semetipso reliquisque Christianis sermonem instituat, primam adhibeat. Haec autem personarum mutatio non nisi ex subjectorum diversitate oriri videtur. Posito enim, quod h. l. apostolus per baptismum super mortuos intelligat, ut nonnulli existimant interpretes, quod exemplo martyrum excitati sint quidam ad accipiendum baptismum, ut eandem olim, quam illi jam possident, nanciscantur felicitatem, quare non loquitur in prima persona, cum tamen eadem spe freti Corinthii acceperint baptismum? Imo omnis totius epistolae finis in eo positus mihi videtur, ut adversarios, quos frequentiores Corinthiis esse intellexerat apostolus, confutet. Cum itaque ex jam dictis appareat, quod apostolus hoc in loco cum adversariis κατ' ἄνθρωπον disputet, quaeritur jure, quinam fuerint hi adversarii? Illi, qui historiam fataque ecclesiae inde a primis referunt initiis, asserunt, quod sec. I. fuerit Cerinthus cum malae fidei sociis, qui inter alios errores quam plurimos baptismum defendit vicarium; quidquod adjiciunt, quod hunc ipsum locum apostolus his Cerinthiis opposuerit. Provocant ad testimonium fide dignissimi Epiphanii (haeres. 28.) qui refert, quod a majoribus traditum acceperit, quod quidam ex Cerinthianorum genere eorum, qui fortè citra baptismum excesserunt, nomine baptismum susceperint, quibus Paulus hunc locum aliaque *) opponit. Porro asserit, quod auditione ad ipsum sit perlatum,

*) Non est, quod mihi objicias, quod Cerinthus cum suis resurrectionem mortuorum nunquam negaverit, ut potius eam defenderit, siquidem, licet expressis verbis non negaverit, indirecte tamen eam oppugnavit. Cum enim Christum quidem passum et mortuum esse, sed nondum resurrexisse publice docere

quod Cerinthus tempore apostoli jam inclaruerit, siquidem Petro apostolo se opposuerit tumultumque Act. 21. commemoratum conciverit. Et hunc Cerinthum suosque socios apostolum saepius vocare falsos apostolos. Et si forte Epiphanii testimonium dubium tibi videatur, propterea quod ab apostolorum aetate paulo remotior fuerit, alius in promtu est sec. 2. scriptor Irenaeus, qui (3, 3. p. 254.) Cerinthum Joannis apostoli tempore vixisse ejusque evangelium huic oppositum esse cum aliis pluribus jure quodam asserit. Non est, quod Cloppenburgius et Balduinus in comment. ad h. l. nobis objiciat, quod apostolus hunc Cerinthianorum errorem non confutet. Non enim opus est, ut, si cum adversario κατ' ἄνθρωπον disputamus, ejusdem rejiciamus errores, sed eos potius fundamenti et principii loco supponimus indeque contrariam colligimus sententiam. — §. 11. Quae cum ita sint ex hac Cerinthianorum consuetudine, quae etiam posterioribus temporibus suos invenit defensores*) hunc locum explicari commode posse existimant. Et certe hac in re magnos secuti sunt viros et ex patribus quidem Ambrosium, Tertullianum et ex recentioribus Calovium**) Baronium, Crellium aliosque quam plurimos scripturae s. interpretes. Non jam hanc iis, quibus alia mens sedet, explicationem obtrudere, sed eam potius, cum non omni destituatur probabilitate, aliorum examini atque judicio subjicere animus est.

---

non erubesceret, non sine veritatis specie Epiphanius putat apostolum huic Corintho locum 1 Cor. 15, 15—16. quoque opposuisse atque ostendisse, quod contradicat sibi Cerinthus, cum mortuorum asserat, Christi vero neget resurrectionem. Siquidem uno posito ponatur alterum et negato uno, alterum quoque negetur.

*) Huc pertinent Marcionitae sec. 2. haeretici, Marcionis soboles, de quibus conferri meretur Epiph. *Haeres.* 30., Chrysost. *Hom. XI.* ad *h. l.* et Tertull. *de resurr. carnis* et *adv. Marcion.*

**) Calovius *in bibl. illustr. ad h. l.*

XXXVI.

Ant. Frid. Büsching de procrastinatione baptismi apud veteres ejusque causis*).

§. 1. Tractationem de baptismi apud veteres procrastinati causis sic instituam, ut primum de procrastinatione baptismi ipsa variisque ejusdem speciebus agam, eamque antiquitatis documentis probem; deinde vero causas ejusdem potiores diligenter inquiram, examen earundem simul suscipiens. — §. 2. Rem ipsam dilationis baptismatis apud veteres probaturus, sic agam, ut et de dilatione baptismi infantum et de procrastinatione baptismi adultorum edisseram. — §. 3. Infantum baptismum**) veteres differre solebant:

1) *In diem dominicam*, quam tamen imperator Constantinus M. primus constituit, hac ratione motus, quia dies hic resurrectioni Servatoris solemnis et hinc spirituali in Christo resurrectioni, baptismo, merito dicaretur; et quia tunc commodissime ac decentissime futuri Christiani corpori mystico, quod est ecclesia, insererentur. Ea enim die satis magnus numerus hominum uno loco ad sacra celebranda congregatorum adest; unde et in *corpore jur. can.* sancitum, fieri debere hanc initiationem in ecclesia seu coetu fidelium, in quem baptizandus recipiendus, et ita merito ad conventus Christianorum solennes differendum esse***). Quod omnino approbamus, nisi aliud suadeat necessitas. Primis etiam seculis fiebat baptismus praesente populo, qui preces pro baptizando sociatas fundebat, Tertulliano teste. Pace ecclesiae per Constantinum M. restituta, baptismum quidem non in templis, sed quae in illorum vicinia erant baptisteriis†), et igitur proxime ad illa peractus ac adeo necessa-

---

*) Prod., praes. S. J. Baumgarten, Hal. 1747. 4.

**) Utrum infantes primo etiam et sequentibus post. C. N. secc. sacro fonte initiati fuerint an non, magna contentione in utramque partem disputatum est. Asseruerunt et sententiam suam argumentis satis idoneis et firmissimis historicis corroborarunt prae caeteris nominandi C. S. Cypriamus in *hist. paedobaptismi* 1705. 8. et J. G. Walchius in *historia paedobaptismi 4. prior. secul.* Jen. 1739. 4.

***) Can. 59. concilii alt. oecum. Trullani dicti sancitum est, baptismum non fieri debere in sacellis sed templis.

†) Cfr. J. H. Wedderkamp de *baptisteriis veterum* Helmst. 1703. 8. Quenstedii antiq. bibl. p. m. 366 ss.

rium judicabatur baptismum in concione populi fieri, ut clinicorum baptismus pro imperfecto fere haberetur neque habendos inter legitimos Christianos maligne quidam criminarentur. Cfr. Calvoerii rit. eccl. l. p. 267 ss.

2) In *diem a nativitate octavam*, quam imprimis nonnulli in Africa Christi doctrinae addicti elegerunt, his rationibus impulsi, (1) quia circumcisio a Judaeis olim Deo jubente die octavo collata fuit, in cujus locum baptismus substitutus; (2) quia infantem ante diem octavum purum esse negabant nec sine fastidio pacis osculum ipsi dare posse putabant. Verumenimvero rationes hae admodum infirmae sunt nec mos ipse a veteribus approbatus, siquidem synodus Africana praeside Cypriano a. Chr. 257. habita, et ipse Cyprianus (ep. 59. p. 97 s. opp. Paris. 1726. fol.) ad Fidum, qui eum inprimis in ecclesiam inferre tentabat, illum reprobavit. Cypriani verba haec sunt: *quantum vero ad causam infantum pertinet, quos dixisti inter secundum vel tertium diem quo nati sunt, constitutos, baptizari non oportere, et considerandam esse legem circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. — — Nam quod in judaica circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra atque in imagine ante praemissum, sed veniente Christo veritate completum.* Item: *nam et quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti mundum non esse dixisti, quod unus quisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad coelestem gratiam dandam impedimento esse oportere. Scriptum enim est: omnia munda sunt mundis etc.* Sic quod recentiora tempora attinet de Armeniis narrat Olearius (itin. cap. 40.) et eos hunc diem observare, et Lusitanos, in India orientali degentes, eundem diem octavum in baptismo infantibus conferendo custodire, refert La Croze (in Abbildung des indian. Christen-Staats p. m. 241. 268. *).

3) Alii diutius et in adultam aetatem infantum baptismum differendum voluerunt. Dilationis hujus nulla ex parte excusandae Tertullianus nisi causa et auctor, ut fere videtur, tamen adjutor est, qui rhetorico more graviter et diligenter eam commendat: *Pro cujusque* (cap. 18. de bapt. inquit), *personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior; praecipue tamen circa parvulos. — — Veniant ergo dum adolescunt; veniant dum discunt; dum, quo veniant, docentur; fiant Christiani, quum Christum nosse potuerint. — — Non minore de causa innupti*

*) Observamus h. l. merito aliam consuetudinem baptizandi infantes die 40. a nativitate. Sic ecclesia Aethiopica masculos dicto die, foemellas autem octogesimo baptizavit, nisi aliqua intervenerit aegritudo. Vid. Wildt de eccles. Aethiopica (Argent. 1672.) p. 41. Ludolfus hist. Aethiop. 3. c. 6. n. 31 ss., cujus verba apud J. L. Oertelium de theologia Aethiopum p. 112. leguntur et Calixti diss. *de baptismo* §. 30. De Christianis antiquis Malabaricis *la Croze* l. c. p. 241. observat, illos infantum baptismum per mensem et diutius differre consuevisse, imo nonnunquam in annum septimum, octavum et decimum. Olearius in *itiner. Moscow.* narrat, quod observaverit, Moscovitas infantes suos ante diem 40. non baptizare, nisi vitae subsit periculum.

quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est, tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant aut continentia corroborentur. Hoc Tertulliani inconsideratum et temerarium consilium noxiam baptismi procrastinationem eximie adjuvit, licet rationes ejus valdo debiles sint, ut quivis illas non populari trutina, sed aurificis statera examinans agnoscet, et H. W. Schmidius (in *meditatione theologico-historica de baptismo infantum*, vernacula lingua edita, p. 52 s.) monstravit. Gregorius Nazianzenus quoque orat. 3. de lavacro cupiebat baptismum differri, usque dum parvulus adolesceret et de eo interrogatus, vel aliquid saltem respondere posset; addebat autem: si res eam moram pateretur nec periculum mortis metueretur. — §. 4. Praeterea infantum simul et adultorum baptismus in *dies festos* praecipuos apud veteres adhuc differrebatur frequentius. Quorsum pertinet 1) dilatio *in festum nativitatis Jesu Christi* seu theophaniae, quod, quemadmodum Christus pro nobis natus est, sic et nos in Christo renasci oporteat. 2) In *festum Epiphaniae*, quo quadruplex manifestatio Jesu Christi, per nativitatem scil., adorationem magorum, baptismum et miraculum denique primum, Canae editum, per orientem maxime, singulari solennitate celebrabatur, ubi non solum memoria ipsius natalis eo die obeunda diuturnior fuit, verum etiam solennis baptismus in ipso primum festo ejusque vigilia nocturna, postea pridie catechumenis datus, consecrationem peperit, a sec. 5. a Graecis adhuc dum usitatam multisque religionibus conspicuam. Si vero ab ecclesia Africana discedimus, reliqui coetus per occidentem, baptismum solemnem hoc festo non administrarunt, licet nonnullae ecclesiae satis diu memoriam baptismi Christi eo die obierint. Graeci deinde Latinos imitati, natalem Domini in diem 25. Dec. transtulerunt, Latini vero baptismi memoriam rejecerunt in octavam epiphaniae s. diem 13. januarii*). Nos ut confirmemus hactenus dicta, ex Gregorii Naz. *orat. in sancta Epiph. lumina*, sequentia notamus: *sanctus*, inquit, *luminum dies, ad quem pervenimus quemque hodie divino beneficio celebravimus, Christi mei, h. e. verae lucis, omnem hominem in mundum venientem illuminantis, baptismum habet.* Item: *Christus illumi-*

*) *Habessynis* festum epiphaniorum *baptismus Christi* et *Coptitis* dies *immersionis sanctae* dicitur, in memoriam baptismi Servatoris optimi, quem isto die contigisse, pro certo habent, referente Oertelio l. c. p. 120. Immo teste J. Ludolfo l. c. (not. d) nonis januar. ipsoque adeo festo epiphaniorum rex Habessynorum cum aulae suae primoribus, metropolita cum clericis, nobiles cum plebejis, senes et juvenes in flumina vel stagna nudi ante ortum solis descendunt ibidemque mersitando sese laetum diem agunt. De qua solennitate quotanni conf. etiam jam supra excitatus Wildt l. c. p. 42 s., qui p. 43. illo errore hanc reiterationem baptismi introductam esse credit, quo et recentior post apostolorum tempora ecclesia seducta erat, putans, post baptismum lapso peccatori nullum divinae gratiae locum esse, si semel ea exciderit; unde hunc baptismo alio denuo recuperandum esse falso autumaverunt. Eodem errore ritum propagatum esse, colloquium imperatoris cum Alvarezio testari. An eadem sententia adhuc apud eos foveatur aut num correcta postea sit, ritu traducto ad memoriam baptismi Christi, non certo constare dicit. Hanc baptismi annuam commemorationem tolerabilem putat Hugo Grotius ep. ad Petr. Heylingium, quae est inter ejus ep. 444.

natur, simul fulgeamus; Christus baptizatur, descendamus cum eo, ut una cum eo adscendamus. Et haec consuetudo in ecclesia Africana conservata fere usque ad sec. 13., quo propter haereticos, qui dicebant, hoc festo solum venire Spiritum S., statutum fuit, ut nemo baptizaretur in die epiphaniae, nisi in necessitate. Verum haec baptismi tempora non tantum a Siricio (*Corp. jur. can.* c. 11. de *cons. dist.* 3.) et Leone M. (ib. c. 12. 13. 15.) sed et passim in conciliis interdicta. 3) Solennia igitur et stata baptismi tempora per plura secula *festum paschale* et *pentecostale* fuerunt, qui mos jam sec. post C. N. 2. originem traxit, quo omne tempus quidem baptismo habile creditum, pascha vero et pentecoste maxime solemne erat, ut ex Tertulliano (de bapt. c. 19.) apparet. Idem sequenti sec. 3. observabatur, ut ex eodem Tertulliano scimus. Sec. 4. in more fuisse, docet Gregorius Naz. (orat. 3. *de sacro lavacro*), Basilius (hom. 13. *in sanctum baptisma* tom. 2. opp. ed. Paris. p. 114.), Ambrosius (in *cohort. ad virginit.* opp. tom. 4. Paris. 1661. p. 437. *et de mysteriis Paschae* cap. 5. tom. 2. opp. fol. 250.), Siricius (epist. 1. ad Himerium Tarracon. episc. cap. 2. tom. 1. concil. gen. p. 689.). Sec. 5. tempora adhuc erant solennia, ut ex Augustino (de civ. Dei 22, 8. et serm. 160. et 161. dom. in octavis paschae tom. 10.) et Leone M. (ep. 4. ad episcopos Siciliae) manifestum est. Sec. 6. potentiores in suscipiendo baptismo solennia festa adhuc observarunt, docente Gregorio Turon. (H. F. 6, 27.) Sec. 7. idem observabatur. Sec. 8. Gregorius II. ac III. extra necessitatis casum pascha et pentecoste baptismo determinarunt; vid. epist. 4. Gregorii 2 di ad Thuringos tom. 1. concil. gen. p. 514. Denique circa noni sec. initia Caroli M. auctoritate et episcoporum consensu recepta ubique, ut videtur, in occidente Siricii et Leonis ea de re lex, ne aliis quam paschatis et pentecostes diebus solennis baptismus administraretur; cujus rei exempla et testimonia legas velim apud Quenstedium *antiquit. bibl.* p. m. 369. Sec. 12. decrescente deserta est haec antiquitatis observatio ac tandem prorsus abolita. Caeterum varios de hujus temporis constitutione conciliorum canones reperies apud Harduinum in collect. maxima conciliorum, in primis tom. 3 sq. — Primum igitur festum solenne paschatis erat, et ita quidem, ut in *vigiliis paschalibus* s. sub sabbati magni vesperam potissimum atque ordinarie fons sacer christianae religionis candidatis pateret*); quod ex Paschasini episc. epistola ad Leonem, Palladio in vita Chrysostomi, Paulino Nolano aliisque probat M. E. Krause de *pervigilio paschatos anastasimos* p. 16—17. Sub vesperam enim confluebant in ecclesias, cereos accendebant, baptismum et eucharistiam administrabant, sacra continuabant multam noctem, exspectantes quasi Domini resurrectionem, recitatis hymnis et psalmis, qui in noctem et in baptismi solennitatem quadrabant.

*) Alii omnes paschalis hebdomadis dies huc referunt, ut G. J. Vossius (de baptismo Tom. I. opp. theol. p. 515.) quos vero Jos. Vice-Comes prorsus excludit (de antiq. baptis. rit. 1, 22—23.) Socrates (hist. eccl. 5, 22.) refert, in Thessalia nonnisi festo paschatis administratum baptismum, unde plerosque apud illos, absque baptismo mortuos fuisse; ἀλλὸ καὶ ἦθος, inquit, ἐν Θεσσαλίᾳ οἷόν γενόμενον. Ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ πάσχα μόνον βαπτίζουσι.

Cfr. Goetze *de vigiliis paschalibus* Lips. 1681. G. Th. Meier de tribus *novellorum nascentis eccles. christianorum initiamentis* §. 64. G. Ludovici *de septimana magna* §. 18—19. J. M. Fischer *solennia vet. eccles. antepaschalia* cap. I. §. 1. et J. G. Schnell de *paschate veterum* ἀναστάσιμῳ diss. alt. §. 8. Hi catechumeni *competentes* dicti, nomina sua festo palmarum *diptychis* h. e. albo christianorum candidatorum dabant inscribenda, unde libri baptismi originem videntur traxisse, (Augustinus l. 5. serm. 116. ad competentes dom. palm. tom. 10. opp. f. 850.) Graecis appellabantur φωτιζόμενοι h. e. instituti, in quibus informandis admodum per octiduum istud solliciti erant catechetae. Eo vero die quo baptizabantur, *electi* dicti sunt, qui finitis examinibus explorabantur, an digni salutifera aqua essent. Cfr. J. H. Krause de *catechetis primitivae ecclesiae* §. 22. 23. M. Chladni de *diptychis veterum cum primis graecorum* §. 6. et C. A. Salig de *diptychis*. Et hi in vigiliis paschalibus baptizati septem diebus albis conspiciebantur vestimentis amicti, a paschate nimirum ad subsequentem dominicam Quasimodogeniti, *in albis* vocatam, qua illis exutos fuisse constat; vid. J. Schmid de *usu vestium albarum* §. 17. seq. Joh. d'Outrein *comment. in parabolam de filio prodigo* p. 155. Hildebrandus de *diebus festis* p. 59. *ej. enchiridion de sacris publicis, templis et diebus festis* p. 46. Immo dies paschatis ipse ob solemne sacramentum aqua lustrali initiandorum, et has vestes albas, quibus recens initiati utebantur, λαμπρόφορος ἡμέρα dicebatur; cfr. Jo. Suicerus in voce λαμπρόφορος.

Alterum festum solemne erat pentecoste, siquidem catechumenos Spiritus S. regenerante, reparante et obsignante gratia imbui oportere dicebant veteres. Tertullianus (de bapt. 19.) *exinde*, ait, *pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est et gratia Spiritus S. dedicata.* 4) Tandem observo, nonnullarum ecclesiarum usum etiam natalem Joannis baptistae adjunxisse. Natalis Alex. sec. 2. diss. 9. artic. 7. de bapt. solen. temp. et *festa martyrum*, ut ex Siricii epist. 1. c. 2. et Leonis epist. 80. colligi potest. — §. 5. At de his procrastinationibus, de quibus jam paucis dictum est, proxime h. l. non disputo, verum de illa, qua justo longius adhuc differebatur baptismus, ad *extremum vitae tempus*. Quando haec dilatio orta sit? accurate vix ac ne vix quidem poterit definiri. Sunt, quibus visum fuit, jam apostoli Pauli aetate hujus rei se reperiisse vestigia. Referunt huc verba ejus admodum vexata et difficilia 1 Cor. 15, 29. τὸν βαπτίσμον ὑπὲρ νεκρῶν de baptismo clinicorum explicantes. Hanc sententiam tenent J. Calvinus, G. J. Vossius, Flacius aliique, quos ex parte recensuerunt J. A. Bosius de *baptismo clinicorum* (repert. in ejsd. introd. in notit. script. eccles. p. 612 ss.) Abr. Calovius *de baptismo pro mortuis* ad h. l. §. 8. et C. A. Heumannus de *baptizatis super mortuos* (in Poecile tom. 3. lib. 1. p. 105 ss.). At bene Bosius l. c. p. 615.: *nondum probari poterit, quod aetas apostolica illos clinicos agnoscat, qui baptismum consulto differebant, ut in lecto baptizarentur. Certe locus Pauli si ullos tamen clinicos admittit, hosce procrastinatores baptismi plane ignorat.* Ego quidem sententiam meam in

re adeo dubia et vexata vix proferre conor; si autem quid veri simillimum sit quaeritur, non inficias ibo, existimare me hanc locutionem commodissime de baptismo illorum intelligi, qui in locum mortuorum, inprimis martyrum et confessorum succedebant, obligantes se ad similes calamitates, licet imminentem et violentam mortem quasi ante oculos haberent positam *).

Si igitur dicendum quod res est, nemo veterum ante Tertulliani aetatem de illis qui ad vitae extremitatem studio baptismum procrastinarunt, aliquid refert, ejus vero tempore haec prava consuetudo orta esse videtur. Et sine dubio ex ipsis Tertulliani baptismi infantum dissuasionibus haec procrastinatio valde noxia nisi nata, saltem illis suffulta est. Ita enim a natura comparati sumus, ut, si semel aliquid nobis suppeditatum fuerit, corruptioni nostrae naturali congruum et jucundum, sique vel levissima boni rectique species adsit praetendique possit, ne prorsus absque omni ratione egisse videamur, id quasi hiante ore captemus malumque (ut usus reapse experiundo docet) serpit illoque nondum affectos inficit.

Praeter antiquam vero baptismi procrastinationem in dies festos, de qua supra, inprimis Novati et Novatiani error hanc pravam consuetudinem progenuit, qui sec. 3. omnem veniam, pacem, communionem semel lapsis negarunt, rigorem ad peccata post baptismum admissa, extendentes, unde se etiam *καθάρους* vocabant, quod post baptismum non peccassent et post illum poenitentes non susciperent, teste Hieronymo. De qua re Socrates (hist. eccl. 4, 28.) de Novato: *Quod enim ille* (Novatus) *significaverat, ad sacramentorum communionem admittendos non esse τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα εἰς θάνατον ἁμαρτίαν πεποιηκότας, aliis quidem videbatur acerba et immitis huius regulae promulgatio; alii vero hanc regulam justam rectamque suscipiebant. Novatianum* dixisse, lapsorum poeniten-

*) De variis hujus dicti interpretationibus jam posset scribi historia. Ego illarum enumerationem jam non suscipio, quam alios ad sua usque tempora non sine fructu instituisse memini. Quam supra dedi explicatio, eadem ni fallor est, quam defenderunt Jac. Bernardus, Joh. Clericus, Wokenius, Deylingius, Wollius et Creyghtonus. Quae ex Olearii diss. *de baptismo pro mortuis* §. 11—13. Heumannus l. c. et ex hoc J. C. Wolfius in *curis philol.* ad h. l. tom. 3. p. 542. contra hanc interpretationem profert in medium: *nemo sane tanquam in locum Christiani mortui, uti caesis militibus alii sufficiuntur, sed pro se quisque baptizatur nec quisquam in nascente ecclesia ideo se sacris initiari fecit, ut occisis succederet, sed ut suae consuleret saluti;* illam non solum non destruunt, sed ne incertam quidem (ut tamen opinantur) reddunt. Non enim affirmo, hunc de quo Paulum loqui sentio baptismum ab his hominibus in salutem vel violenta vel naturali et placida morte defunctorum susceptum fuisse, sed ut suae consulerent saluti; quamvis omnino simul successionem in locum defunctorum, ex quorum occasione nonnunquam Christi nomen profitebantur, cogitaverint, ne totum tandem jaceret sensim morte mutilatum corpus. Et, si quid video, illa a Fr. Spanhemio adstructa, et a Wolfio adoptata sententia, parum vel nihil differt ab illa a me jam proposita; in qua nihil cognosco, quod cum vocum notione alias recepta vel cum serie et scopo orationis Paulinae, denique cum statu et conditione ecclesiae christianae illius aetatis non consentiat; saltem cum illa conciliari potest et coniungi optime, ut vel ex jam dictis apparet.

tiam esse vanam nec posse eis proficere ad salutem et praedicasse, nullam spem pacis et misericordiae lapsos habere, refert ignotus *auctor* ad *Novatianum haereticum*, cujus tractat. extat in Cypriani opp. appendice; vid. etiam Hieronymus passim, v. c. ad Hos. c. 14, ad Ps. 95, ad Gal. 4, 1 Cor. 3, 2 Cor. 12, Joel. 2. et Sozomenus (hist. eccl. 6, 24.)*). Et sic haec procrastinatio sensim majores vires acquirens seseque latius diffundens sec. praecipue 4. in morem venit diuturnum et extirpatu difficilem, licet decretis in conciliis Carthagine, Romae, Antiochiae latis, et inprimis in concilio oecumenico Nicaeno a. 325. habito can. 8. compositio schismatis Novatiani tentata. — §. 6. Exempla ejusmodi seri, immo ad ultimam nonnunquam vitae horam procrastinati baptismi, desideras? In promtu sunt, ab optimatibus vero et praecipuis in ecclesia et republica desumta, quia horum saltem, non vero plebejorum hominum conservari solet memoria.

Primum quod adfero sit famosi illius Novatiani, de quo Eusebius (hist. eccl. 6, 33.) ex epistola Cornelii ad Fabianum Antiochiae episc. enarrat, quod idem ipse Novatianus in juventute spiritu immundo vexatus sit et cum tempus aliquod consumsisset apud exorcistas (a quibus spiritu illo immundo liberatus est), aegritudinem incurrerit gravem, ita ut desperaretur et quod jacens in lecto pro necessitate aqua circumfusus sit nec reliqua in eo quae baptismum subsequi solent, solenniter adimplata sint.

Porro primus Christianus imperator Constantinus M., qui hanc rem tam arduam et omni parte divinam, ad ultimam fatalemque horam reservavit, a. 337. brevi ante mortem Nicomediae ab Eusebio in lecto baptizatus; unde et nonnulli verum illum Christianum fuisse negarunt, dubii redditi hac baptismi initiationis christianae ad finem vitae dilatione. Hunc ejus baptismum praeter Eusebium (de vita ipsius 4, 61. et 62.) docent et testantur Socrates (hist. eccl. 1, 39.), Sozomenus (2, 37.), Theodoretus (1, 32.), Hieronymus in chronico Eusebiano; coll. Abr. Sculteti *confut. disputationis Baronii de bapt. Const.* (Neostadii 1607.), Chr. Cellarii *exercit. hist. de primo principe christiano etc.* (Halae 1698.) §. 31 seq.; C. S. Schurzfleischii *illustr. antiquit. primi christ. imperatoris* (Vittenb. 1679.) §. 16. De causa hujus procrastinationis infra dicemus. An vero catechumenus antea fuerit, in quaestionem venit. Alii negant, alii in medio relinquunt. Rem vero se ita habere, in dubium vocari nequit. Scimus enim Helenopoli inter ca-

*) Fuerunt quidem, sed errant cum Eusebio (hist. eccl. 6, 23.) putantes, Novatianos post peractum baptismum in crimen aliquod lapsos omni spe aeternae salutis privasse, quum a communione ecclesiae illos saltem excluserint; quamvis haud pauci hujus aevi hominum hos et coelo exclusos fore existimaverint neminemque a Deo in gratiam recipi, quem ecclesia non receperit. Cassiodorus (hist. tripart. 2, 13.) certiores nos facit, Acesium Novatianum ad Constantinum imp. dixisse, quod non oporteat eos, qui post baptisma peccant, peccato quod ad mortem esse scripturae divinae pronuntiant, communicatione sacramentorum fieri dignos: *sed invitandos quidem ad poenitentiam, spem vero remissionis non a sacerdotibus, sed a Deo solummodo sustinere; qui potestatem habet peccata remittendi.*

techumenos vel competentes illum esse receptum. Quam catechumenatus et baptismi ejus historiam pluribus refert Eusebius. Schurzfleischius ita: *non autem necesse est definire tempus, quo Constantinus solenni ecclesiae ritu effectus est catechumenus, quod vulgo in annum C. 312. nullo veritatis argumento rejiciunt. Neque ad hoc probandum sumi potest inscriptio Eusebiana, quae quidem extat in principio capitis 32. lib. 1. de vita Constantini. — — Omnino igitur fatendum est, inter professionem christiani nominis et ritum perfectioris catechumeni, a Constantino M. solenniter susceptum, annorum fere 25. spatium intercessisse; quod indicat aperteque commentitur Eusebius de vita Constantini* (4, 61.). Quae omnia recta sunt; relatum enim legimus, Constantinum anno Christi 312. Christo nomen dedisse, cum bellum contra Maxentium susciperet, licet jam ab initio imperii plenariam christianis cultus divini libertatem et templa restituerit. Si igitur ab hoc termino numeratur ad annum usque mortis, quo inter competentes receptus, emergent fere anni 25. nominati.

Non moror acta fabulosa Silvestri, Constantinum M. Romae victo Maxentio vel postea anno 324. baptismate tinctum a Silvestro romano pontifice fuisse, et una miraculo a lepra, qua laborasse ajunt, repurgatum. Reclamant enim veteres omnes, ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus, nec hujus rei Eusebius, Constantino probe notus et admodum familiaris ac dilectus, testis est; nec fidem merentur posterioris aetatis scriptores Zonaras, Cedrenus, Nicephorus, multo minus vero formula ista ficta donationis Constantini M. Silvestro Papae uti volunt factae. De qua re consule Cellarium l. c., Joach. Hildebrandum *de donatione Constantini M. imp. facta ut ajunt Silvestro Papae*, Halae 1739. p. 8—9, 28—29, 32—42.

Patris morem baptismi differendi secutus est filius Constantius, non prius quam morti propinquus, quum adversus Julianum proficisceretur, ab Euzoio episcopo Antiocheno ad Mopsucrenas baptizatus, quod Athanasius (de synodis p. 907.), Philostorgius (6, 5.) et Socrates (2. cap. ult.) referunt.

Sic etiam Ambrosius (lib. 5. ep. 34. ad Theodosium) dolet, Valentinianum s. Valentinum jun. sine baptismo decessisse. Hic enim exspectans baptizari ab Ambrosio, illo adhuc in itinere constituto, Arbogaste auctore proditorum appetitus insidiis, a. C. 392. suffocatus est. Ambrosius tamen in concione funebri ipsi habita beate eum defunctum esse pluribus verbis defendit.

Theodosius M. quoque sero, anno nimirum C. 380., cum jam praecedente anno imperator electus esset, initiatus est. Cum enim bello barbaros superasset, et illi Romanos amicos habere precarentur causa foederis, acceptis obsidibus Thessalonicam venit. Ubi cum in morbum incidisset, ab Acholio ejus civitatis episc. baptizatus est, licet a progenitoribus christianam doctrinam et fidem Nicaeni concilii consequeretur, ut loquitur Sozomenus, consentiente Socrate, qui auctor nobis est, imperatorem Acholium ante baptismum interrogasse, cujusnam fidei esset? quo respondente, Arianam pestem in Illyricum non valuisse accedere, imperator baptismum ab eo accepit. Idem testatur Ambrosius orat. de ejus obitu.

Sic Gregorius Naz., orator et poeta eximius, patris in episcopatu Constantinopolitano successor, in virili demum aetate baptizatus est, quamvis ab utero Deo consecratus; quod et de sorore ejus Gorgonia inter veteres celeberrima relatum legimus, a teneris unguiculis in fide christiana et pietate exercita*), sed extremo demum vitae tempore baptizata.

Johannes ille episcopus Constantinopolitanus, a facundia Chrysostomus dictus, anno aetatis 21. sacro fonte a Meletio initiatus est, a Libanio doctrina christiana antea imbutus. Ipseque Ambrosius Mediolanensis, a civili praefectura anno 374. traductus ad ecclesiasticam, cum Mediolanenses in electione convenire non possent de episcopatu, et ab imperatore ut turbas sopiret missus, ingressus templum, salutatus statim est a populo episcopus, in catechumenatu adhuc constitutus, quare demum post electionem sacro fonte tinctus est, narrante Paulino in vita ejus, Ruffino (2, 11.), Socrate (4, 25.), Theodoreto (5, 6—7.), Sozomeno (6, 24.).

Porro et Eusebius Cappadocensis anno 362. invitus et repugnans episcopus electus est, nondum baptizatus: Nazianzenus orat. 19. et Arintheus praetor, vir consularis et magni nominis, ab uxore ad fidem conversus, tandem in fine vitae decumbens, baptismo initiatus est, prout refert Basilius M. ep. 5. in additionibus.

Constantinopoli in electione Nectarii idem contigit. Hic forte fortuna vacante episcopatu ibi commorabatur et coeco impetu a Diodoro Tarsensi episc. inter candidatos sedis episcopalis adscriptus, ab imp. Theodosio Constantinop. episcopus eligebatur, cum adhuc esset catechumenus, ignorabant enim vitam Nectarii Diodorus, neque enim ausus fuisset sciens nondum baptizato dare suffragium sacerdotii; sed ut consentaneum est, quia canus erat, putavit, eum jam olim fuisse baptizatum.

Augustinus porro e Manichaeorum schola ad fidem et ecclesiam catholicam reversus, anno demum aetatis 34. Mediolani baptizatus est, cum jam soliloquia et commentarios de vita beata, de ordine, de immortalitate animae, de disciplina absolvisset et contra academicos pie et solerter disputasset; hinc eo tempore non rudimentorum, sed penitioris christianismi peritissimus credi potuit.

Denique magnus ille clinicorum numerus qui in lecto moribundi baptizabantur, ne sine baptismo discederent, hanc procrastinationem satis probant; quae et exinde certa est, quia veteres infra excitandi pessimum hunc morem acriter redarguunt. — §. 7. Licet vero perniciosae huic consuetudini fortiter resisterent ac repugnarent antiqui ecclesiae doctores, ita ut sec. inprimis 5. extincta fere videretur, pullulabat tamen semper, et, quod miramur, post Caroli M. tempora iterum quasi emergens

*) Eo minus haec procrastinatio excusanda. Basilius hos ab infantia Christi doctrinam edoctos ita alloquitur: *Tu qui a puero fidei rudimentis imbutus es, nondum assensisti veritati? Tu qui semper ediscis, nondum pervenisti ad cognitionem? per omnem vitam experimentum capis, ad senectutem usque exploras; quando tandem fies Christianus? quando agnoscemus te nostrum?*

nunccum caput erexit et in Holsatia apparuit facie antiqua nihil mutata. Testis hujus rei est Rhembertus Hamburgensis archiepisc. qui (cap. 21. vit. Anscharii) enarrans laborem et industriam ejusdem in convertendis Nordalbingensibus paganis, illos baptismi perceptionem distulisse, hoc sibi bonum dijudicantes, ut in fine vitae suae baptizarentur, commemorat. Locum integrum, qui in Rhemberti opusculo Coloniae olim divulgato quidem deest, a Petro Lambecio vero ex codice Corbejensi restitutus, vide apud Bosium l. c. qui consentiente Calvöerio (in rit. eccles. l. p. 275.) non absque ratione sibi persuadere dicit, hunc antiquum Christianorum quorundam morem in prorogando baptismo nondum temporibus Lotharii et Ludovici I. Germaniae regis in ecclesia desiisse. Et certe in occidentali inprimis ecclesia hujus rei isto aevo adhuc reperiuntur vestigia, et post sec. 11. initium haec procrastinatio, ceu plurima alia, tandem desiisse videtur. Praecipua enim baptismum differendi causa, ejusdem dilationem puta in solennitates paschales et pentecostales, illo aevo paulatim decrevit et abrogata est, quod vel ex Ruperto, ejus temporis scriptore (de div. offic. 4, 18.) manifestum.

Similis consuetudo inter *Christianos Indiae orientalis malabaricos* reperta, qui ex parte a templis satis longe remoti, nunquam baptizati erant, quod quam graviter vituperaverit hominesque baptizari jusserit synodus aliqua ab evangelii apud has exteras gentes praeconibus pontificiis, praeside archiepisc. Goae, Meneze, habita, enarrat La Croce l. c. p. 268. — §. 8. Sequitur, ut causas potiores hujus procrastinationis inquiram, quarum nonnullae quidem speciosae, omnes vero admodum debiles sunt. De causis dilationis baptismi in certos dies jam supra dixi, partim tollens illas e medio, partim lectorum judicio relinquens, quibus illarum nunquam non facilis erit refutatio. Causas vero longioris illius procrastinationis vel in adultiorem vel decrepitam et extremam aetatem, imo diem vitae supremum exquiram. — §. 9. Alii id videbantur facere bono animo, ut se magis paratos et tanto munere dignos sisterent. Haec a die in diem exspectata emendatio et ad hanc rem adeo arduam et religiosam melior praeparatio in causa fuisse videtur, quod tot homines non adulti solum facti, verum et grandes nati fuerint, imo mortem jamjam imminentem viderint, baptismi nihilo secius expertes; saltem nisi id relatum legeremus, lex caritatis tamen joberet, hanc mitiorem sententiam de nonnullis ad minimum sequi. Licet vero in adultis ejusmodi digne sacramento baptismi praeparatio omnino requiratur nec alius praeter de fide in unicum nostrum et sufficientissimum Servatorem institutum monitumque de mandatis Christi omnibus observandis et ad hoc obsequium fidei paratum, ad hoc lavacrum admittendus Matth. 28, 19—20. coll. praxi vet. ecclesiae Act. 2, 20—21; 8, 21, 35; 9, 17; 10, 47—48 etc.; haec tamen necessaria, ut dixi, praeparatio non jure suo praetendi potest ad hanc dilationem justo longiorem excusandam, siquidem eadem est hujus procrastinationis ratio, quae est dilationis illius consideratae et voluntariae ad Deum conversionis. Cf. Sirac. 5, 8; 18, 22. Praeterea quam periculosa est haec et emendationis et baptismi procrastinatio? Incertum est quam longa nostrum cuique vita futura sit nec id

exploratum cuiquam potest esse, quomodo sese habitura sit vita, non dico ad annum, sed ad vesperam. Eheu! quantam jacturam facit, absque necessaria emendatione sui et propter defectum ejus baptismi expers, diem obiens supremum. Hic quia in culpa est, in aeternum negligentiam lugebit. Hoc argumento veteres ad dissuadendam procrastinationem usi sunt, ita nimirum v. c. Chrysostomus *homil. 1. in Acta: ne tempus exspectemus*, inquit, *ne quando fiat ut dum cunctamur et procrastinamus, discedamus, hinc inanes tantisque bonis vacui.* Urgebant porro utilitatem et praestantiam baptismi, observandam opportunitatem gratiae, magnitudinem bonorum, quae baptismo acquiri possunt, diaboli ea in re astum, in fraudem noxamque intenti*) et similia. Gregorius Nyss., qui in quoscunque baptismi procrastinatores integram scripsit orationem (tom. 2. opp. p. 215.) haec dixit: *noli nimis tardando irritare baptistam, ne eum ad iram provoces, diem de die ducendo, et tempus quod effluit, in promissis consumendo.* Et Basilius (*hom. 13. in s. bapt.*) graviter: *Cave deprehendaris promissa facere vita longiora. Ignoras quid sequens dies parturus sit; ne tibi promitte, quae tua non sunt etc.*

Multi etiam, quod hic observandum fuit, baptismum distulisse videntur, inter catechumenos manentes, ut superstitione in animis penitus obliterata adsuescerent ritibus praeceptisque Christianorum et in solidam doctrinae cognitionem penetrarent, quo sibi plena et soluta potestas esset de fide et veritate judicandi. Augustinus ad annum tricesimum quartum baptismum traxit, eo consilio (ut scribit Walafridus Strabo de *rebus ecclesiae* 26.) ut per hanc temporis moram de singulis edoctus, ad eligendum quod liberet, libero duceretur arbitrio. Quae ratio prorsus improbari quidem nequit, multis tamen incommodis conjuncta est et periculis. — §. 10. Alii leviores causas praetexebant; nimirum nunc exspectabant commodiora tempora, nunc ambitioso delectu quaerebant aut quaerere simulabant, cujus manu quove loco id donum acciperent; nunc in promtu non habebant, quibus cum splendore suscipiendum opus esset. Quod primam rationem leviorem attinet, alii domesticis, alii publicis retinebantur impedimentis. Dies solennes et festos praeterea, ut vidimus, commodissimos putabant, quamvis jam olim Tertullianus recte dixerit 19. de bapt. 19.: *omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo; si de solennitate interest, de gratia nihil refert.* Gregorius Naz. or. 40. hominum baptismum a die in diem differentiam excusationes memorans: *hoc et illud*, inquit, *causaris atque excusas excusationes in peccatis: μένω τὰ φῶτα, τὸ πάσχα μοί τιμιώτερον, τὴν πεντεκοστὴν ἐκδέξομαι.* Et Basilius (tom. 2. opp. ed. Paris. p. 113. homil. 13. in s. bapt.): *καιρὸς βαπτίσματος ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος* etc. Et quot causas sui studiosis suppediat commoditas, ad dilationem hujus illiusve rei excusandam

*) Gregorius Nazianz. qui sero ipse, ut supra (§. 6.) dictum, ad baptismum accesserat, catechumenum his verbis alloquitur: *σὺ δέ, ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ, γνῶθι, τὴν ἐπιβουλὴν τοῦ ἀντικειμένου — — — φοβεῖται σὲ μετὰ τοῦ ὅπλου μαχόμενον. διατοῦτο γύμνοι σε τοῦ χαρίσματος, ἵνα κρατήσῃ ῥᾷον, σοῦ ἀόπλου καὶ ἀφύλακου.*

remque turpissimam honesta praescriptione tegendam? Idem vero contra hanc rationem dicendum est, quod supra ad primum impedimentum dixi: mortis hora nimis incerta est. Et fac nonnullos horum dilatorum ad hoc negotium paratos fuisse, quid impediebat quo minus fieret baptismus? In primitiva ecclesia simulac quis profiteretur, se in Jesum Christum credere, sine mora ab apostolis fuit baptizatus. Exempla habes Act. 2, 41; 8, 12; 9, 19. et alibi passim.

Nunc ambitioso delectu quaerebant, cujus manu baptizarentur. Praeferebant baptismum ab episcopo, inprimis celeberrimo et in auctoritate constituto collatum, alii a presbytero alioque clerico, ab episcopo jusso, dato; et omnino videtur, Valentinianum imp. hac de causa absque baptismo decessisse, quia ab Ambrosio, non vero alio clerico baptismo initiari voluit, quem tamen hoc summae necessitatis casu a laico, immo ab haeretico accipere potuisset, omnibus, quae essentiam constituunt baptismi, rite observatis.

Nunc de loco baptismo optime convenienti dubii erant et anxii. Hinc baptismum in Jordane fluvio, cujus aqua Christus olim baptizatus, collatum aliis locis omnibus collato praeferre videbantur. Et certe de Constantino M. Eusebius (in vita ejusd. 4, 61—62.) refert, illum ad convocatos episcopos ita fere locutum fuisse: *Tempus est, ut tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscimur, perfruamur. Quo ego die in illius Jordanis gurgitibus, in quibus Salvator noster ad nostrum exemplum baptizatus esse memoratur, facere constitueram; tamen Deus, quod mihi maxime accommodatum est, cernens, hoc in loco eisdem mysteriis dignatur.* Cedrenus quoque aliive meminerunt, in Jordane tingi voluisse. Et Eusebius in libro de locis hebraicis refert, usque ad suam aetatem plurimos de fratribus Bethabarae trans Jordanem, renasci cupientes, baptizatos esse. Certe diu post Eusebii et Hieronymi tempora fideles in eo ipso loco lavare soliti sunt, praecipue die festo Theophaniae post baptismum parvulorum; ut ex itinerario Antonini martyris et Hodoeporico sancto Vuillibaldi, quod edidit Canisius, probat H. Valesius (observ. ad Euseb. de vita Const. 4, 62.). Apostolorum autem tempore baptizabatur ubivis locorum, prout nempe et loci et temporis opportunitas ferebat, quum tamen nobis non sit dubium, quin apostoli Jordani propinqui hoc fluvio baptizari autores fuissent hominibus, si hunc baptismum praetulissent aliis aquis facto. Nec profecto videmus, quaenam peculiaris virtus Jordanis aquis insit *), nisi credat aliquis, hujusmodi quid Jesum in illis reliquisse, quod sese per omnes aquas diffundens nunquam profluxerit. Nos opponimus verba Tertulliani (de bapt. 4.): *nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nec quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane et quos Petrus in Ti-*

*) Itinerum descriptiones quidem nonnihil de singulari virtute aquarum hujus fluvii referunt, quorsum v. c. pertinent, quae de salubritate earundem et incorruptibilitate narrat Radzivilius; de qua etiam persuasi esse videntur monachi aliique peregrinatores hujus terrae, qui teste Carolo Thompsonio aquis hisce lavantur; at nemo non videt, haec et superstitione anili niti et ad hoc praejudicium, de quo supra, vel confirmandum vel excusandum nihil facere.

beri tinxit. Ambrosii (serm. domin. 6. post. pentec.): *non nobis orientalis petenda est regio, non fluvius terrae judaicae. Ubi enim nunc Christus, ibi quoque Jordanes est. Eadem consecratio, quae orientis fluminibus benedixit, occidentis fluenta sanctificat.* — §. 11. Plerosque una retinuit causa, vitae nimirum licentius agendae consuetudo; quae labes diuturnitate temporis vix evanuit et aegre elui potuit. Consideremus rationem et institutionem vitae gentilium, ex quibus ad Christi sacra transierunt catechumeni. Quanta erga Deum impietas? quanta erga alios injustitia dominabatur et violentia? quot vitiis atque flagitiis et omni dedecore sese inquinabant homines? Ingurgitare se vino, pergraecari cum scortis, quaestum corpore facere, ludos, turpissimos saepenumero, spectatum ire, et quae his similia, vel minime vel parum inter vitia ponebatur, immo inter res et utiles et honestas referebatur. Hisce vero omnibus et cunctis rebus hujus seculi nuncium remittere debebant, non qui christianam religionem jam olim amplexi inque ea educati erant solum, sed et qui elementa fidei edocebantur et ad baptismum praeparabantur. At quam difficile se aliosque ab his pestiferis vitiis retinere, quibus a juventute dediti erant! Inde factum, ut his vitiis et sceleribus contaminati, quibus se delectabant incredibiliter, magnam sibi vim inferre debuerint, Christum sequi statutum habentes cum animo ac deliberatum. Alii vero hanc molestiam ex cupiditatum oppressione nascentem fugientes et reformidantes, baptismum ad illos aetatis annos procrastinabant, quibus vitiorum illecebrae et lenocinia extincta fere, saltem debilitata facilius vinci posse somniabant. Omnia vero peccata in baptismo postea remittenda sperabant*). Graviter admodum Basilius (cit. hom.) in hanc procrastinationis causam invehitur: *o impedimenta prava! o turpem et interminatam occupationem. Quousque tandem voluptates? usquequo deliciae? Viximus multum tempus mundo, reliquum vivamus et nobis ipsis?* In sequentibus pergit: *novi procrastinationem tuam, quanquam eam verbis contegis; clamant res ipsae, tametsi voce taces. Sine, utar corpore ad fruendas turpes libidines, voluter in coeno voluptatum, — — et tunc cum tandem a malis aliquando destitero, suscipiam baptisma?* Quod pravum consilium vehementer vituperat. Praeter alia haec quoque profert: *Caeterum quis tibi vitae limitem praefixit? quis certum senectutis terminum tibi definivit? — — Quid exspectas, ut beneficio febris et munere baptisma accipias, quando neque salutaria verba proferre poteris, neque forte clare audire tibi licebit, morbo caput ipsum occupante etc.*

*) Hac procrastinatione baptismi apud veteres ejusque modo refutata causa utuntur Pontificii, ad evincendam doctrinam de possibilitate abolitionis peccati originalis in hac vita inhaesivae. Ajunt, hanc ob causam baptismum primis post C. n. secc. a multis fuisse procrastinatum, quia ejus subsidio a peccatis omnibus, in primis vero originali universe liberari speravissent. Respondemus vero 1) hanc consuetudinem neque adeo antiquam esse, ut hic traditur, neque aliquid probare, nisi legitimam fuisse praesupponatur, quod et ipsi adversarii negant. 2) Extra omne dubium positum est, adhuc fuisse alias hujus procrastinationis ansas causasque. 3) Denique inverti potest argumentum. Pone enim, olim hanc abolitionem inhaesivam peccati originalis baptismi auxilio impetrandam credidisse, nonne id maturationem baptismi potius quam moram effecisset?

Et ipse, quem primo loco nominare debuissem, Tertullianus, qui initio procrastinationis sive auctor sive defensor fuerat (de poenit. 6.) in hos cessatores sequentibus verbis invehitur: *omne cunctationis et tergiversationis erga poenitentiam vitium, praesumtio intinctionis* (h. e. confidentia clinici baptismi, omne crimen, quod interea praecesserat, certo abolitum) *importat. Certi enim indubitatae veniae delictorum, medium tempus interim furantur et commeatum sibi faciunt delinquendi.* — §. 12. Hos de quibus modo dixi, remorabatur etiam severa et acerrima disciplina ecclesiastica, cui subjiciebantur post baptismum vitiis contaminati, inprimis idololatrae, moechi et homicidae; quibus poenitentibus quatuor, post Tertulliani et Cypriani tempora, stationes et gradus erant, antequam ecclesiae reconciliarentur, fletus nimirum, auditio, prostratio, omnium stationum quas in poenitentiae decursu emetiri jubebantur lapsi, laboriosissima, et consistentia; quorum omnino misera erat conditio. Et profecto furentibus per priora secula dirissimis persecutionibus ecclesiae maxime intererat, si quos criminibus pollutos haberet, severe in eos animadvertere et sanctiorem ubique servare disciplinam. Etenim atroces erant et immanes calumniae, quibus Christianos lacerabant gentiles, et quod unus aut alter sceleratorum pecraret, universo Christianorum nomini in ignominiam cedebat et opprobrium. Hinc jam apostolorum aetate dira imprecatio et fulmen horrendum, quod in peccatores morosos vibrabat ecclesia; ita Paulus incestuosum, qui in Corinthiorum erat ecclesia, sibi constitutum esse ait, tradere Satanae in interitum carnis. 1 Cor. 5, 5; 1 Tim. 1, 20. Has ecclesiae censuras timentes, baptismum juste longius differebant, ut eo liberius vivere liceret. Hanc vero et proxime antecedentem causam observasse, easdem refutasse est. — §. 13. Alii timebant, ne alias sordes post salutare illud lavacrum contraherent, quas remitti non posse credebant. Per peccata enim foedus baptismale penitus solvi nullamque post baptismum relapsis veniae spem esse reliquam poenitentiamque difficiliorem, immo prorsus impossibilem putantes dicebant; quod partim bono animo fecisse videntur, ut baptizatos a peccatis voluntariis deterrerent et securitati perniciosae obviam irent; partim e loco Ebr. 6, 4. sinistre intellecto. Et Novatus ipse cum sua factione hoc olim dicto abusus fuit, ad negandam spem veniae et salutis omnibus post baptismum peccantibus. Simpliciores igitur terrifi Novati doctrina, quam episcopi ipsi non satis expedire valebant, ante vitae exitum baptizari recusabant, ne forte baptismi gratiam peccato rursus effunderent; cfr. Chrysostomi hom. 20. ad Ebr. 10, 26—29. Antiquissimos sacros scriptores baptismum φωτισμόν appellasse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Audiamus Justinum Mart. in narratione de sacris christianorum publicis seculi secundi, de baptismo loquentem: καλεῖται δὲ, inquit, τοῦτο τὸ λούτρον φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διανοίαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. Addo Clementem Alex. (in Paed. 1, 6.) de baptismo: καλεῖται πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο: χάρισμα — — λοῦτρον — — φώτισμα δὲ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς σωτήριον ἐποπτεύεται, τουτ' ἔστιν, δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυωπιοῦμεν. Et quis nescit φωτίζειν veteribus esse baptizare? et baptizatos φωτιζομένους vocatos esse? qui classem alteram Christiano-

rum hac dictorum constituebant, licet et nonnunquam catechumeni sic dicerentur. Ratio hujus denominationis, institutio in elementis doctrinae christianae, qua catechumeni fruebantur quaque mens illorum a natura obtenebrata illuminabatur. Imo per ipsum baptismum haec efficiebatur illuminatio; cujus interpres quasi erat cereus ille baptismalis s. candela accensa, data neophytis in vigiliis festorum, quae primum sec. 4. adhibita. De quibus cereis eorumque inventore, aetate, usu et symbolo prolixe disseruit Joh. Faes in tractatu *de cereis baptismalibus vet. Christ.* Helmst. 1712. 4. Imo ipsa baptisteria seculo quarto e lapide structa, et in areis templorum collocata, φωτιστήρια dicta. Quia igitur baptismus veteribus audiebat φωτισμὸς s. φώτισμα, nec non μυστήριον φωτίσματος, et scriptores apostolorum aetati proximi, hac nomine usi sunt: non defuerunt dicentes l. cit. Ebr. 6, 4. sub locutione, ἅπαξ φωτισθέντας semel baptizatos intelligi. Jam Syrus interpres haec verba sic transtulit: *non possunt illi qui semel ad baptismum descenderunt et gustaverunt etc.* et 10, 32: *memores estote dierum priorum, in quibus accepistis ablutionem s. baptismum.* Cui aethiops accedit et respondet. Et Chrysostomus jam olim appellationem hanc ex Ebr. 6, 4; 10, 32. derivavit: καλεῖται καὶ φώτισμα καὶ τοῦτο Παῦλος αὐτὸ πάλιν ἐκάλεσεν. His accesserunt multi patres et orientalis et occidentalis ecclesiae. Nos paucis observamus, per ἅπαξ φωτισθέντας melius rectiusque doctrinam veritatis coelestis edoctos intelligi Hebr. 10, 26; 2 Cor. 4, 4. Verbum enim φωτίζειν significat docere, instituere, conveniens cum hebraeorum הורה, ut pluribus probavit ex Aquilae versione V. T. aliisque auctor quidam anonymus in observatione ad h. l., P. Keucheni annotatis in quat. evang. et acta apostolorum, adiuncta, p. m. 224. et J. M. Dilherrus disp. acad. tom. 2. p. 47 ss. Sensus igitur loci hujus difficilioris nostra quidem sententia hic est: impossibile prorsus esse, homines doctrinam veritatis coelestis edoctos, et qui tranquillitatem ac animi illam recreationem, ex intuitiva egregii in Jesu Christo ejusque conjunctione et praesentis et futuri boni cognitione perceperunt, hos, inquam homines, ex statu gratiae atque fidei excidentes, et semet ipsos ad conversionem renovare et generatim renovari posse, quamdiu filium Dei sibi crucifigunt et ludibrio exponunt. Multum igitur totaque via errarunt, timore peccatorum futurorum, a baptismo deterriti, quae non solum magna ex parte Dei gratia et virtute baptismo collata omnino vitari potuerunt, verum etiam peracta remitti, si debito et a Deo praescripto modo venia gratiaque postularetur*). Bene Augustinus (tom. 5. opp. Antw. 1700. p. 964.): *Veni ad baptismum, ingredere intrepidus viam per mare rubrum; noli esse de peccato praeterito tanquam de Aegyptio sequente sollicitus. — — Audio vocem pigrorum. Ego, inquit, de praeteritis peccatis non timeo; omnia mihi in aqua sancta per ecclesiae etiam caritatem remitti non dubito, sed timeo futura peccata. — — De futuris quid tibi hostes medi-*

*) Nonnulli existimantes, h. l. Montanistarum et Novatianorum errorem de poenitentia lapsorum impossibili stabiliri, de auctoritate totius epistolae dubitarunt canonica.

teris? Et Hieronymus (tom. 2. opp. l. 2. adv. Jovinianum) eundem errorem de non remittendis peccatis post baptismum peractis refutat. Veteres baptismum primam post naufragium peccati tabulam, poenitentiam vero alteram dicebant, quod nihil aliud indicare debuit, quam reiterationem baptismi in lapsis non esse necessariam, sufficere potius restitutionem communionis cum Deo, conversionis remedio *). — §. 14. Alii denique baptismum differebant, ut eo in extremo vitae tanquam praeclare uti possent remedio utque mundiores tanquam recentes lavati et ab omni culpa et poena purgati, ex hac vita in coelum evolarent, beatam resurrectionem adepturi. Basilius ipse (hom. 13. in s. bapt.) vocat eum ὄχημα πρὸς οὐρανόν. Credimus quidem et argumentis sat validis convicti sumus, baptismum esse remedium exhibitivum salutis in conjunctione cum Deo obtinendae, tam efficiendo regenerationem hominis et applicando satisfactionem Christi, quam conjunctione hominum baptizatorum cum Deo per Christum operata et in ea fundata et praesenti et futura aeterna salute, pacto hac initiatione sancito, ut par est, ad vitae finem videlicet servato. Et hoc respectu concedimus dici posse hoc lavarum ὄχημα πρὸς οὐρανόν, quale et illis est, qui hoc actu primo s. per se efficax remedium, et apud se efficax esse sinunt, ad producendum effectus modo descriptos. Hi in Jesum Christum vere credentes, ad limina mortis constituti, ab omni culpa et poena purgati et liberati, aeternam animae salutem nanciscuntur, teste ipso Servatore optimo. Cum vero sacramenta non ex opere operato hominibus sint salutaria, sed ad hunc effectum plenum producendum fides requiratur in eo, qui fit eorundem particeps, justificatio autem in omnibus qui salutis fiunt compotes: negamus omnino, hos in extremitate vitae baptizatos eoque justificatos munditia superiores esse illis, qui jam olim baptizati vere in Jesum Christum credunt haecque fide ab omnibus peccatis baptismum secutis liberantur. Negamus etiam hos ipsos homines revera puriores esse recentes lavati, quam si jam olim baptizati, eodem tempore a criminibus postea, imo per totam vitam commissis, justificatione absolverentur. Praeterea injusta est ejusmodi baptismi procrastinatio hac de causa facta, quia neutiquam malum quoddam committendum, ut bonum inde enascatur. Et denique cum qui hac causa ad hanc dilationem commoventur, inopinantes a morte possint opprimi et sine baptismo e vita discedere, improbamus jure nostro et damnamus hanc voluntariam, at funestam ac perniciosam ejus ad mortem procrastinationem.

*) Reliqua Novatianorum argumenta, quibus sententiam suam stabilire annisi sunt, nullius momenti sunt ac ponderis. Examinavit illa J. Ulr. Mayerus de Novatianismo etc. (Lips. 1668.) p. 15 ss. qui p. 22 s. quibusdam argumentis adversariis hanc a vero doctrina aberrantem opinionem impugnavit. Jam olim in concilio Carthaginensi I. ao. 249. et epistolis Cypriani, Romano a. 252., Antiocheno et Carthaginensi II. decretum est, lapsis omnibus poenitentibus ignoscendum veniamque dandam esse.

XXXVII.

Car. Guilielmus Wiedenfeld de exorcismi origine, mutatione deque hujus ritus peragendi ratione *).

Inter omnes, quoscunque antiquitas christiana ad baptismum adjunxit, ritus nullus mihi ea, qua exorcismus, obscuritate videtur involutus. Quod cur miremur duplex est causa, quum non modo praeteritis temporibus, universa in ecclesia hic ritus baptismo firmissime fuerit conjunctus, sed nostro quoque aevo extiterint, qui vinculis eum exsolvere aggrediantur **). Omnino itaque operae pretium videtur, clariorem huic rei lucem afferri atque mihi esse in votis, diligentius eam, quam hucusque ab historiae ecclesiasticae scriptoribus factum sit, pertractare haud diffiteor. Arduae quidem viae, quas hanc disquisitionem instituturus percurrere debeat, me minime latent; sed maxime fretus indulgentia, qua benevolo lectori juvenilis aetatis meae specimen arridere percupio, ad hanc disquisitionem me accinxi.

Traditurus igitur *exorcismi originem*, *mutationem ejusque peragendi rationem*, in limine commentationis, quid etymologice exorcismi vox significet quonamque sensu ecclesia Lutherana eam usurpaverit, exponam; tum vero: an ex N. T. scriptis, et quatenus ex Patrum sententiis hic ritus derivari possit, ostendam, necesse est. — §. 1. Vox exorcismi ex graeca lingua petita, ubi ἐξορκισμός derivatur a nomine ὅρκος, idem, quod juramentum significat nominisque divini invocationem et contestationem. Hinc autem verba ὁρκίζειν et ἐξορκίζειν latine *jurejurando vel sacramento adigere* vertimus; neque tamen non alteram significationem admittunt: *Dei nomine et divina auctoritate interposita aliquid cuiquam praecipere et imperare* — ut veteres dicunt, adjurare, vel obsecrare ***).

---

*) Prod. Marb. 1824. 8.

**) Neue Kirchen-Agende für die Hof- u. Domkirche in Berlin. 1821 u. 22. Ueber den Ursprung, den Inhalt u. die allgemeine Einführung derselben. Von einem evangel. Prediger. Magdeb. 1823. S. 39.

***) E. Labrini disputat. de formula verborum, quae baptismo declarationis causa praemitti solent, quam exorcismum vocant. Rost. 1607. §. 35.

Num 5, 19; 1 Reg. 22, 16; 2 Chron. 18, 15; Cant. 2, 7; 3, 5; 5, 8; 8, 14. Marc. 5, 7; Matth. 26, 63.

Quae tandem significatio aliam gignit specialiorem, impuro sc. spiritui vel *diabolo adjuratione mandare, ut ex homine ab se obsesso egrediatur.*

Quum vero Lutherani ante baptismum omnes sub illius potestate constitutos crediderint, sancto lavacro haec adjuratio, quam exorcismum vocant, semper praemittitur. Hic vero aliquid statuunt discriminis, quippe de exorcismo vel minore vel majore loquentes *). Alterum hac formula continent: „Exi ab eo, immunde spiritus et da locum advenienti Spiritui S., da honorem Deo vivo et vero" — alterum ita exprimunt: „Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris et Filii et Spiritus S., ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei N. Amen."

Quibus nunc praemissis ad N. T. scripta primo faciem convertimus, ut ex iis, utrum circa homines omnino an circa baptizandos solummodo Jesu Apostolorumve aetate exorcismus adhibitus fuerit, perspiciamus. — §. 2. Quanquam hominum daemonumque conjunctionem intimam esse, vel antiquissimis temporibus credebant eamque omnes, quos historia profert, populi fidem amplectuntur: maxime tamen inter Aegyptios, Chaldaeos Persasque antiquos **) exculta fuisse videtur. Summo enim opere Chaldaei in id incubuerunt, ut daemonum, diabolorum et angelorum naturam horumque operationes subtilius explorarent; habuerunt vero Persae de Diwis doctrinam istam, ut maximam religionis partem. Ab iisque tandem etiam ad alios, quorum quisque alio quidem vestimento eam induit, populos, fides illa manavit ac mirifice confirmata est. Inter alios etiam, tempore captivitatis Babylonicae, Judaeos Chaldaicam religionem amplectentes, literis parum imbutos, superstitioni vero atque idololatriae addictos, haec persuasio occupavit eosque in patriam inde reversos adduxit, ut innumerabilem illum angelorum diabolorumque exercitum summa diligentia posthac Talmudi insererent.

Quaecunque acciderunt fere omnia, ex daemonum operationibus derivanda esse putabant adjudicabantque iis maximam in hominum corpus, praesertim vero animum, potestatem; quo etiam factum est, ut quodcunque malum, tanquam opus a daemonibus operatum considerarent.

Talis, qualem diximus, opinio in patria Salvatoris nostri, quum illic doctoris susciperet partes, undique erat divulgata. Delirationis, insaniae, epilepsiae, melancholiae — ut paucis absolvam — quaecunque homini contingere possint malorum, originem a daemonibus repetebant. Magnam igitur copiam hisce morbis adfectorum ***) ad maximum generis humani perduxerunt servatorem; qui ex eo, quod infernorum se

*) Gerhard L. L. tom. 4. fol. 342. Rudrauff in summa Theol. thetic. p. 353–54.

**) Origen. contr. Cels. I. p. 342.

***) Quibus nomina in N. T. haec sunt: *πνεύματα* Matth. 8, 16. *ἀκάθαρτον πνεῦμα* Luc. 11, 24. *δαιμόνια* Matth. 12, 24. *δαίμονες* Ibid. 8, 31. *δαιμονιζομένοι* C. 4, 24. *ὃς ἔχει δαιμόνιον* Ib. 7, 20. *σεληνιαζόμενοι* Matth. 4, 24.

praeberet satellitum victorem omnesque ab illis vexatos vi miraculosa sanaret, auctoritatem suam divinam firmissime stabilire non negligebat. Matth. 4, 24; 8, 16. 28. 32; 9, 32; 12, 22. Marc. 1, 25 sqq. a. l. Haec autem dona miraculosa Salvator, subsequentibus temporibus, numero et minori (Marc. 16, 17.) et majori (Luc. 10, 17. 18. 19.) discipulorum suorum impertiit, ut, quod saepe etiam perpetrarunt, religionem promulgandam divino testimonio munirent confirmarentque. Matth. 10, 8. Actor. 5, 15—16; 16, 17—18; 19, 12. Nec vero Jesu discipulos tantum, sed alios et eos quidem homines, qui neque Salvatori, neque apostolis nomina dederant, auctoritate Jesu interposita, daemones illos expulisse, legimus. Marc. 9, 38—40; coll. Luc. 9, 49—50; Matth. 7, 22*).

Quamquam ex his, si bene perpendantur, N. T. locis Jesum et Apostolos ad patriae suae opinionem sapienter descendisse nemo non videat, luce tamen meridiana clarius apparet, daemonum expulsionem sanationemque aegrotorum nec magicis artibus, neque etiam adjurationibus unquam ab iis peractas esse. Hanc, quam exorcismum vocant, adjurationem N. T. scriptores perquam ignorant, quaeras sive de exorcismo circa obsessos, sive circa eos, qui religioni christianae initiandi fuerint; hujus enim loco, quo optimo jure exspectare licuisset, ne ullo quidem verbo mentionem faciunt. Joannes, Messiae prodromus in locc. Matth. 3, 5—7; Luc. 3, 7—14; Joan. 3, 22 ss. nihil memorat de exorcismo, baptismo conjuncto; neque alios Jesu Christi discipulos eundem adhibere videmus. Jo. 4, 2. Porro, nihil horum in formula, qua Salvator ipse discipulos baptizare jubet, invenitur. Matth. 28, 19—20. Licet Petrus apostolus, sacro quidem lavacro tria hominum millia Hierosolymis olim adsperserit, minime tamen exorcismum in ullo exercuit. Actor. 2, 38. 41. Accedit, ut N. T. scriptores, quotquot baptismi actum commemorent, silentio illam et adjurationem et exorcismum transeant. Act. 8, 5—7. 12. 36; 9, 19; 10, 47—48; 16, 15. 33. 1 Cor. 1, 16. — §. 3. Relicto fontis sacri testimonio, libros virorum, qui vel eadem vel aetate apostolorum proxime floruerunt sequente, nunc adeamus. Patrum Apostolicorum scripta, manca et rara nobis tradita, evolvimus, ut ex iis, quid suo tempore de exorcismo, cujus explorare originem instituimus, senserint, perspiciamus.

a) Inter hos autem primus conspectui nostro occurrit Barnabas (flor. a. Chr. 40.), quem ex locc. Act. 13, 2—3. 46; 14, 4. 14. 1 Cor. 9, 4—7. a. l. ut fidum deque evangelii propagatione meritum cognoscere possis apostolum**). Huic adtribuunt epistolam, fabulis et allegorica cabbalisticaque Scripturae expositione oppletam. An ullo jure? nullo omnino. Extitisse enim hunc scripturam s. allegorice interpretandi modum, non ante medium sec. 2., ut planius dicam, Origenis demum aetate, historiae testimonio confirmare possumus; quin et apocryphis Hieronymus, Eusebius vero *νόθοις* ipsis eam adnume-

*) Origen. l. c. p. 325.
**) Clem. Alex. Strom. 2. p. 346. ed. Wirceb.

rat*). Ut vero aliis explorandam hujus epistolae authentiam relinquamus, auctor noster exorcismum plane ignorat, eo ipso in loco, quo de daemonum expulsione agitur**).

b) Excipit eum Hermas (flor. a. Chr. 60.), qui apostolorum discipulus, libri sub titulo Pastoris auctor fuisse fertur. Hic vero scriptor aliis jam occurrit in ep. Pauli ad Rom. 15, 14.; aliis, quod magis suadet***), medio fere seculo secundo; quare clarissime patet, quam parum ille etiam, ratione temporis scopo nostro inserviat. Sed, quod adtingere lubet, exorcismi neque Hermas ullo facit mentionem verbo.

c) Clementem gravioris nostro quidem instituto patrem momenti, Romanorum episcopum, discipulum apostolorumque socium (Phil. 4, 3.) alia atque alia dicunt scripta nobis reliquisse. Quorum tamen, quod docti bene probarunt, solummodo prima ad Corinthios ab eo scripta, quamvis depravata†), recipienda est epistola. In qua vero neque de exorcismo neque de malorum daemonum adjuratione quaedam scripsit. Quisquis vero ex Constitutionibus Apostolorum, quae etiam sub Clementis nomine circumferuntur, exorcismum elicere intendit, incassum laborat. Nam etsi 8, 26. p. 360. hic invenitur locus: „Ἐξορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται· εὐνοίας γὰρ ἐχουσίου τὸ ἔπαθλον καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ, ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος“††) — ex serie tamen orationis illucet, non de exorcismo, quem in baptismo peragere solent, sed de morborum sola curatione sermonem esse. Ne multa verba faciamus — nostro tempore libere confiteri possumus, constitutiones istas esse suppositas, falsas, rationi denique patrum apostolicorum perquam oppositas †††).

Si, quod reliquum est, exorcistam non ordinari Constitutionum auctor jubet, eo fucum nobis facere opusque suum prioribus conditum esse temporibus persuadere voluisse videtur†*), quum exorcistae scilicet, quos alio loco incognitos non praetermittemus, initio quidem omissa ordinatione ad fungendum munere suo initiati sint.

d) Ignatii apostolorum discipuli et episcopi Antiocheni, porro scripta perquam dubiae sunt auctoritatis nec pro fonte historico haberi possunt†**). Quare hunc scriptorem, silentio praetermittendum esse censemus.

---

*) Hieron. de viris illustr. 6. Euseb. hist. eccl. 3, 25; 6, 14. Rössl ers Biblioth. der Kirchenvät. I. p. 1 ss.

**) Clem. Alex. l. c.

***) L. A. Muratori Antiqq. Ital. med. aevi III. diss. 43. p. 853 sq. Rössler l. c. p. 21. Münscher's Handbuch der christl. Dogmengeschichte. I. p. 112.

†) Rössler l. c. p. 45.

††) Quae verba fugisse videntur Suicerum in Thesaur. eccles., ita enim disserit sub v. ἐξορκισμός et ἐξορκιστὴς p. 1150: „Exorcismus ritus est antiquus; etsi ejus non meminerit Dionysius Areop., nec Clemens quidem in Constitutionibus.“

†††) Ittigi de Pseudepigr. Christi, Mar. et apost. 12. J. A. Fabricii Bibl. graec. 5, 1. p. 31 ss. 6, 1. p. 4 ss. Münscher l. c. p. 114.

†*) Krafft's Historie vom Exorcismo. S. 33.

†**) Dallaeus de scriptis, quae sub Dionysii Areopagit. et Ignatii Antioch.

c) In Polycarpi denique, viri ab apostolis, praecertim vero Joanne evang. instituti et Smyrnaeorum episc. ad Philippenses missa epistola*) neque de exorcismo, neque de exorcistarum ordine quidquam legitur.

Hinc autem intelligitur, in Patribus quoque apostolicis ne ullum quidem hujus baptismalis ritus apparere vestigium. — §. 4. Ad Patres igitur ecclesiasticos, illos proxime sequentes, ut qualis eorum de exorcismo fuerit sententia, accuratius intelligamus, nunc transeundum est. Quorum autem sententiam, ut acri perpendamus judicio, in patriam qua nati et educationem, qua priusquam christianam amplecterentur fidem, sunt gavisi, oculos convertamus necesse est. Plurimi enim, quos mox videbimus, Patres profecti erant ex gentilium familiis; nihil igitur certius, quam quod parentum superstitioni, provectiore aetate philosopherum scholas omni diligentia percurrentes, tam tenaciter adhaeserint, ut, licet Christiani facti, ideas, quas olim habuerant, minime celare potuerint. — Sublimiore gaudentes luce, semper eas vitare quidem moliuntur, attamen plane delere frustra conantur. Quam ob causam mirum videri non potest, si Patres modo, quo diximus edocti, in scriptis suis christianis, a N. T. primorumque ecclesiae scriptorum consuetudine sermonis nonnunquam abhorreant. Commemorant autem hi, re vera, illam daemonum ejectionem morborumque sanationem miraculosam hancque tam sub adjurationis, quam exorcismi ipsius nominibus. Verum enimvero non in usu, quod facile intelliges, sed sensu potius, quo verbum usurpamus, rei vertitur momentum. Quod si in legendis Patribus semper cogitas, verbis quidem antecessorum discrepare, sed re concinere eos videbis. Nil enim aliud de adjuratione, ubi legas, vel etiam exorcismo intelligunt, quam illam precibus donisque Dei gratiosis impetratam, homines a daemonibus obsessos morbisque, quibus premebantur, eripiendi ac liberandi potestatem. Recte quidem moneas, cur in his ipsis, quod facile tamen evitare potuissent, donis miraculosis significandis eundem, quo tunc temporis Judaei ethnicique artes magicas suasque praestigias vocarent, usum loquendi retinuerint? Ne vero modum te excedere sinam exprobrantem atque eos reconciliare tibi possim: locos nunc evolvere lubet allegandos, e quibus semper tamen perspicies, tum exorcismi solummodo verbum occurrere, ubi stilo acri maximum exprimere voluerint discrimen inter inefficaces Judaeorum adjurationes et Christianorum efficaces sanationesque valde miraculosas, ita ut, si alias conferre velis aliis, quam maxime eos differre agnoscas.

Justinus Mart. inter scriptores ecclesiasticos primus, qui exorcismum a Christianis peractum fuisse narrat. Seculo incunte 2. ex pa-

---

nomine circumferuntur. Gen. 1665. J. E. C. Schmidt über die doppelte Recens. der Briefe des Ignatius; in Henke Magaz. für Religionsphilosoph. und Kirchengeschichte 3. S. 91. Dessen Bibl. f. Exegese u. Kritik I. S. 463. Rössler l. c. p. 67 ss. Münscher l. c. p. 114.

*) Irenaeus advers. haeres. 3, 3. p. 177. coll. Euseb. hist. eccl. 4, 14. Hieron. Catal. scriptor. eccles. 17.

rentibus ethnicis Flaviae Neapolitanorum*) ortus, singulari in philosophiae studium diligentia incubuit. Ab alia ad alteram transiens secta, primum addictus fuit Peripateticis, tum Pythagoraeis, denique vero Platonicis. Hos quoque relinquens, Christianorum initiatus est mysteriis**), verum et illa philosophiae, quam a Platonicis audierat, semper conjungere graecaque mythologia illustrare studebat. Martyrio sacro Romae exornatus a. 163 ***).

In Apologia minore, quam, ut Christianos defenderet accusatos, composuit†), hic de exorcistis locus occurrit: „*Δαιμονιολήπτους γὰρ πολλοὺς κατὰ πάντα τὸν κόσμον, καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει, πολλοὶ τῶν ἡμετέρων ἀνθρώπων τῶν Χριστιανῶν, ἐξορκίζοντες κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἐξορκιστῶν καὶ φαρμακευτῶν μὴ ἰαθέντας ἰάσαντο, καὶ ἔτι νῦν ἰῶνται, καταργοῦντες καὶ ἐκδιώκοντες τοὺς ἀνθρώπους δαίμονας*“ ††). Sic disserit Justinus; nihil aliud vero sub exorcismo intellexisse eum liquet, quam potestatem miraculosam morbos sanandi, omnibus eo tempore Christianis, minime tamen singulari clericorum ordini †††) concessam, qua quidem falso Judaei †*) cum ethnicis †**) se jactassent. Quo igitur, illam in N. T. allatam daemonum ejectionem alio tantum nomine induit; sed, quod velim perpendas, exorcismum baptismo conjunctum et eo, quo ritus saeculi sui omnes libro denumerat, plane ignorat †***).

Theophilus in ethnicorum quoque erroribus natus ac institutus, Antiochensis vero ecclesiae postea episcopus *†), ita quidem de expulsione daemonum loquitur: „*Εἰ καὶ οἱ δαιμονιῶντες ἐνίοτε καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο ἐξορκίζονται κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ὄντος θεοῦ καὶ ὁμολογεῖ αὐτὰ τὰ πλάνα πνεύματα, εἶναι δαίμονες*“ κτλ. **†). Nil autem apud eum occurrit de adjuratione daemonum nec de ea, qua Judaei, nec qua pagani uti solebant nec de exorcismo circa baptizandos.

Irenaeus, de cujus patria, genere ac natu veteres discertius narrare omittunt, apud Lugdunenses episcopus ***†), quinque contra haereses, praecipue Valentinianorum conscripsit libros †*†). Quorum in

---

*) Apolog. I. p. 44.
**) Rössler l. c. p. 101. Münscher l. c. p. 139 ff.
***) Euseb. hist. eccl. 4, 16. Hieron. de vir. illustr. c. 23. p. 91 sq.
†) Ibid. c. 12.
††) Apol. 2. p. 93.
†††) Bingham Origin. 2. p. 19 sq.
†*) Dialog. c. Tryph. c. 85. p. 182.
†**) Tatian contr. Graecos. c. 18. p. 259.
†***) Apol. maj. p. 79 seq.
*†) Euseb. l. c. 4, 23. Hieron. l. c. 25. Rössler l. c. p. 218 ff. Münscher l. c. p. 141 f.
**†) Ad Autolyc. 2, 8. p. 354.
***†) Euseb. l. c. 5, 5.
†) Hieron. l. c. c. 35. Semler's Gesch. der Glaubensl. B. II. Anm. 128. Ejusd. Programm. acadd. p. 329. C. Fr. W. Walch in comment. nov. Societat. reg. Gotting. tom. 5. (Gotting. 1775. 4.) Rössler l. c. p. 262. Münscher l. c. 143.

libr. I. c. 23. p. 100. haec dicit de Simonis sacerdotibus et mysticis et magicis: „exorcismis et incantationibus utuntur*). A Jesu vero spectatoribus similia perpetrata fuisse, ne iis quidem locis auditur, ubi describit illa ad daemones expellendos dona miraculosa. „Alii, (qui vere illius sunt discipuli) enim — inquit — daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus, et sint in ecclesia. — — Alii autem laborantes aliqua infirmitate**) per manus impositionem curant et sanos restituunt“***). Si vero longius persequi locum tibi placeret, animadverteres etiam, Christianos illam facultatem extraordinariam non magicorum instar, incantationibus, sed solis precibus ad Deum directis sibi parare studuisse; ita ut exorcismum ipsum haereticam, atque religioni christianae directe oppositam habeamus ceremoniam†), quae quidem, si Irenaeum audias, in baptismo nunquam fuit peracta.

Q. S. F. Tertullianus, patre centurione proconsulari natus, primam degens vitam maxime dissolutam, sed fidei posthac addictus christianae, functus est presbyteri apud Carthaginienses munere transiitque tandem ad Montanistas††). Tangit noster in scriptis suis†††) exorcismum ab iisque etiam, qui hunc antiquissimum in baptismo comprobare ritum aiunt, testis adhibetur; quare singulari studio scriptorem hunc perscrutemur necesse est. — Primum ad locum provocant in libr. de spectac. c. 26. p. 83., ubi de muliere christiana, quae theatrum frequentasset, sequentia narrat: „Theatrum adiit et inde cum daemonio rediit; itaque in exorcismo cum onerarentur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi: constanter et justissime quidem (inquit) feci, in meo enim inveni.“ Si porro militem, qui lauream castrensem, quam ceteri in capite, hic vere in manu gestabat, tuetur, inter alia et haec profert: „Quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit, incumbens et requiescens super pilum, quo perfossum est latus Christi“ †*). Quibus ex locis quidem auctorem sub exorcismi voce aliud, quam sanationem intellexisse et morborum corporalium et perturbationum, a Patribusque supra memoratis eum recedere, nullo jure te colligere licet. Nil enim reperias, quod ritui illi baptismali, sive materiam respicias sive formam, ex Tertulliano vindicare queas. Verum enimvero eundem Patrem ita, ut res in dubio adhuc relicta confici possit, alibi diserere

*) Sic etiam isti, artes exercentes Judaei magicas et adjurationes loc. Act. 19, 13. ἐξορκίσται — nominatur. Cf. Suicer. Thesaur. eccles. s. h. v. Krafft l. c. p. 48 ss.

**) Gravissimos nec tamen leviores morbos daemonibus Noster adscripsisse videtur.

***) Contra haeres. 2, 32. p. 166; coll. 31. p. 164.

†) Ibid. 1, 13; 24. p. 102.

††) Euseb. l. c. 2, 2. Hieron. l. c. 53; adv. Helvid. de perpet. virg. 9. Lactant. institt. div. 5, 1. August. de haeres. c. 26.

†††) J. A. Noesselt de vera aetate scriptorum, quae supersunt Q. S. Tertulliani, dissertt. tres. Halae 1757—59.

†*) Lib. de coron. 11. p. 107. coll. lib. de anima 57. p. 305. extr. de idolatr. 11. p. 92. apolog. 23. p. 22. ad Scapul. 2. p. 69. 4. p. 71.

contendent. Narrat enim, haereticorum quosdam mulieribus ipsis munus ecclesiae obeunda mandasse idque his verbis describit: „Ipsae mulieres haereticae, quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere“*). Ex quo autem argumentum pro exorcismo baptismali adferre poteris maxime vacillans, quum Noster l. c. haereticorum quidem depingat, minime tamen christianae ecclesiae morem. Nec mirum, quod inter officia alia, ad feminas nullo modo spectantia, commemoret etiam exorcismum, quem vero nec addit baptismo, sed verbis potius: „curationes repromittere“, definire videtur; rem denique integram, ut apposite „forsitan“ clare designat, an illae revera tinxissent mulieres, relinquit. In libro autem, quem de baptismo edidit, oblata sibi ad fusius rem pertractandam occasione, ne verbo quidem exorcismum adtingit.

Pari modo hunc ritum ignorat Minucius Felix, causidicus quidam Romanus**) in dialogo, quem inscripsit: Octavius p. 32. „Haec omnia sciunt plerique, pars vestrum, ipsos daemonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur.“

Nunc adeamus Origenem***) suae aetatis virum doctissimum ac illustrissimum, Alexandriae A. C. 185. natum, a Leonide patre, martyrii laurea coronato, christiana religione imbutum, de arte S. S. critica meritissimum, doctrinae autem, quae spectat ad fidem, magistrum celeberrimum; quem, ut in re, de qua nostram est disputare, testimonia hauriamus, adire propositum est. Duo ex scriptis ejus numerosis huc praecipue pertinent loca, quorum altero †) hoc modo de daemonum ejectione auditur: „*Τὸ τῶν δαιμόνων γένος, οὗς οὐκ ὀλίγοι χριστιανῶν ἀπελαύνουσι τῶν πασχόντων, σὺν οὐδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος· ὡς ἐπίπολυ γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι*“ κτλ. ††). Altero †††) vero de eadem sic loquitur: „*Προσχῶμεν δὲ καὶ τῷ· τοῦτο τὸ γένος οὐκ πορεύσεται εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ, ἵνα εἴ ποτε δέοι περὶ θεραπείαν ἀσχολεῖσθαι ἡμᾶς τοιοῦτόν τι πεπονθότος τινός, μὴ ὁρκίζωμεν* (non exorcismum adhibeamus), *μηδὲ ἐπερωτῶμεν, μηδὲ λαλῶμεν ὡς ἀκούοντι τῷ ἀκαθάρτῳ πνεύματι, ἀλλὰ σχολάζοντες προσευχῇ, καὶ νηστείᾳ ἐπιτύχωμεν προσευχόμενοι περὶ τοῦ πεπονθότος, καὶ τῇ ἑαυτῶν νηστείᾳ ἀπώσωμεν ἀπ᾽ αὐτοῦ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα.*“ —

*) de praescript. Haereticor. 41. p. 217.

**) Hieron. l. c. 58. epist. ad Magn. Lactant. institt. div. 1, 2, 5, 1.

***) Gregor. Thaumat. panegyr. in Origen. Euseb. hist. eccl. 6, 1—5, 8, 16, 19, 23—25, 27, 30, 32, 36—39. 7, 1. Hieron. de vir. illustr. 54. Epist. 41. Epiphan. haeres. 64. Mosheim Comment. de rebus Christ. ante Constant. M. p. 604 ss. Rössler l. c. p. 76 ss. Münscher l. c. p. 148 ss.

†) Contr. Cels. 7. p. 696.

††) Coll. ibid. 1. p. 382. 7. p. 741 seq.

†††) Commentar. in loc. Matth. 17, 21. oper. tom. 3. p. 579 ss.

Gaudemus quidem, Patrem hunc eruditissimum tam in locis hisce verbotenus exscriptis, quam aliis, ubi daemonum expulsionem narrat, modo citatis, mori N. T. scriptorum ita inveniri congruentem, ut, quum obsessorum a Christianis adhibitam tractat curationem, ne exorcismi quidem voce utatur. Expresse potius illam solis precibus, adjurationibus simplicibus et simplicioribus quidem hominibus, sine ullo inutili magiae aut incantantationis ethnicorum ab iis perfectam esse dicit auxilio. Vetat autem severe Christianos in daemoniacis exorcismum adhibere sanandis, quibus precibus potius ac jejuniis, ut Salvator idem docet discipulos, bonam restituere possint valetudinem. Quod igitur vix monendum crediderim, exorcismum sensu, quo hodie accipitur, ex omnibus hucusque Patribus allatis frustra derivaveris. — §. 5. Decursu temporum novam nunc introimus periodum, qua religio christiana longius propagari ejusque confessorum numerus magis augeri coepit; quare, quod Dei sapientia flagitet, copia etiam miraculorum, ad confirmandam religionem istam adhibita*), pedetentim decrevit. Ecclesiam, quam omnes, nullo excepto, Christiani prius quidem condiderant, tempore, quod ingredimur, nonnulli tantum, ad hunc finem viri electi, amplificare studebant; ponitur itaque maximum inter clericos laicosque discrimen. Quorum etiam primi subsidia fini ipsorum respondentia sibi vindicabant. Ad nostrum vero quod pertinet institutum, potestatem daemones ejiciendi morborumque vi miraculosa curationem — exorcismum a patribus supra laudatis nominatum — sensim evanuisse, clare historia docet. Quamquam Cyprianum**) et Lactantium***) hujus doni extraordinarii mentionem fecisse recte quidem contendas, tamen ex aliis illius locis perspicuum est, non eodem jam sua aetate, quo adhuc, exorcismi vocem sensu fuisse receptam. Quum enim haec in epist. ad Magnum †) legantur: „Quod hodie etiam geritur, ut per exorcistas voce humana et potestate divina flagelletur et uratur et torqueatur diabolus et cum exire se et homines Dei dimittere saepe dicat, *in eo tamen quod dixerit fallat*, et id quod per Pharaonem prius gestum est eodem mendacio obstinationis et fraudis exerceat" ††) — quis non videat, Cyprianum de exorcismo longe alio, ac Justinus M., Tertullianus al. egisse? Sed quem potius ista sub voce vim nec miraculosam nec donum omnibus Christianis, quo morbum qualemcunque curare semper valerent, concessum, eum intellexisse fugit? At cum dono illo miraculoso fidem, qua summam et in animo et in corpore hominum potestatem daemones exercere credebant, non amiserunt, retinebant potius modo, quo saecula eam tradiderant priora. Nec solum corruptio aëris, morbi, plagae et alia id genus omnia iis tribuenda esse censebant, sed eosdem veros Dei inimicos habentes

*) Iren. contr. haeres. 2, 31—32.
**) Epist. 1. ad Donatum.
***) Institt. lib. 2, 15—16; 4, 27.
†) Epist. 76.
††) coll. epist. 75. ad Cypr. „Nam subito apparuit illi (daemoni) unus de exorcistis, vir probatus et circa religiosam disciplinam bene semper conversatus etc."

causam ex iis etiam derivabant idololatriae et peccatorum *). Quam ob causam, si hac quoque aetate mala generis illa humani fugare eorumque tam in animo, quam in corpore operationes irritas facere nitantur, nil est, quod imprudenti evenire possit. Exorcismi, quem supra cognovimus, loco alius, qui, sive ad formam spectes sive ad vim, priori quidem convenit, re ipsa vero ab eo longe est diversus. Duplex, quam tribuebant daemonibus in homines operationum species, causa erat, quod hac periodo duplicem etiam statuebant exorcismum. Quorum alter ex corpore, alter vero ex animo daemones fugare creditur. Haec quidem res ab omnibus adhuc scriptoribus plane praetermissa; quare etiam ritum nostrum ecclesiae veteris, tanta caligine effusum, tanta perturbatum invenimus confusione. Nos autem, quum testes nobis interrogandi mox audiantur, negligere hanc diversitatem nolumus; antequam potius disquisitio nostra procedit, exorcismi constituimus classes duas. Prima quidem exorcismum amplectitur circa energumenos vel corporaliter obsessos, secunda illum, ante baptismum, circa catechumenos peractum. — §. 6. Quum enim seculo excurrente 3. munera ecclesiastica valde multiplicarentur, cura quoque hominum corporaliter a daemone obsessorum **) singulari clericorum tribui, ordini exorcistarum, concredita est. Neque tamen versatur ejusmodi exorcistae munus in sanatione omnium morbi generum miraculosa, sed in curatione hominum, qui melancholia, epilepsia, insania al. erant affecti; in curatione quidem medicamentis peracta, quae adhibenda esse, unumquemque ipsa docet natura. Quibus si quaeras de medelis, hae erant: exorcistae ea mandabant energumenis negotia, quibus concutitur modo saluberrimo corpus, ideas autem perturbantes animum ac fixas fugant delentque ***). Alimenta iis necessaria pro restituenda valetudine suppeditabant †); manibus denique iis impositis preces tempore, quo nemo adhuc in templo erat, fundebant ††) immundoque, ut exiret, spiritui in nomine Jesu, Salvatoris nostri, imperabant. Has vero adjurationes, quod leviter tangere liceat, solas fuisse preces, non tam clare illucescit, quam temere alii †††) id confirmare audent. Res enim semper dubium relinquit nec amplius, quam adju-

*) Justin. Apol. I. p. 59. 78. Tatian. adv. Graec. p. 257. Athenag. leg. p. 305. Tertull. de spect. 16. de Idol. c. 16. Clem. Strom. 2. Origen. de princ. 3, 4. contr. Cels. 8. p. 768. 769. 774. Cyprian. ep. 75. Lactant. l. c. 2, 17. Hilar. tract. in Psalm. 141. Basil. M. Homil. 23. (opp. Tom. II. p. 187. d.) Cyrill. Hieros. catech. 2. p. 23. b.

**) Nomina eorum haec. sunt: Ἐνεργούμενοι, δαιμονιζόμενοι, daemoniaci, κατεργούμενοι, obsessi, χειμαζομένοι, hyemantes. Cf. Suicer. l. c. Origen. de princip. 3. p. 144.

***) Concil. Carthag. 4. can. 91.: „Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.“

†) Ibid. Can. 92.: „Energumenis, in domo Dei assidentibus, victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur.“

††) Concil. Carth. can. 90.: „Omni die exorcistae energumenis manus imponant.“

†††) Bingham. 2. p. 27. Krafft p. 211.

rationem istarum formulas nobis plane ignotas esse *), jure contendere potes. Quidquid sit, ex iis, quae diximus, exorcistae munus vile habitum interque clericorum inferiores ordines ponendum esse **), facile percipias. Quare etiam Martianus, apud Turonenses episcopus, quum, ut altiorem gradum teneret, indignum sese haberet: partes magna ex humilitate suscepit exorcistae ***).

Nihilominus autem concilium Laodicenum per episcopum inaugurari hunc ordinem constituit †). Idem fecit concilium Carthaginiense 4. ††); jam quoque Antiochenum (a. 341.) eandem exorcistarum ordinationem chorepiscopis tribuerat †††). Procurabant illi in majoribus quidem oppidis negotia tantum, modo descripta exstitit que, Eusebium si audire velis †*), non exigua Romae tunc temporis eorum copia; in minoribus autem, ubi energumenorum paucissimos habebant curandos ac non multi erant clerici, aliorum quoque, duorum aut trium munere fungebantur. Sic enim Romanus, Caesariensis ecclesiae diaconus simul et exorcista †**); atque Procopius in ecclesia Scythopolitana tribus simul officiis perfunctus esse traditur †***). Hac in re ponitur munus exorcistae, cujus corporales daemonum obsessiones erat fugare; ab illo vero diversus est ritus, quem, ut ex catechumenis ante baptismum ejicerent daemones, in ecclesia veteres usurpasse legimus Christianos. — §. 7. Aetate jam qua floruit Tertullianus, initiationi christianam in religionem haec praeparatio antecesserit. Institutionem proselyti longiorem subire ac percurrere debuerunt plures scientiae religionis gradus, antequam sanctum baptismi iis impertiebatur lavacrum *†). Quum autem, quod supra disseruimus, totam hominum istorum idololatriam ut diaboli causam haberent: abrenuntiationem et illius et angelorum, quibus imperaret, huic praeparationi conjunctam fuisse videmus **†). Huc tamen addiderunt

---

*) Paulin. Natal. 4. s. Felic. (Bibl. Max. Patr. T. 6. p. 274.)

„— — Primis lector servivit in annis
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adjurare malos et sacris pellere verbis.“

**) Euseb. hist eccl. 6, 43. Concil. Laodic. c. 24. Theodos. in Codic. lib. I. Tit. 3. (tom. 2. ed. Gothofred. 1606.) Ignat. ep. ad Antioch. n. 12. p. 930.

***) Sulpit. Sever. de vit. Martini. p. 446.

†) Can. 26.: „Quod hi, qui non sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint.“

††) Can. 7.: „Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda memoriae et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum.

†††) Can. 10.: „*Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους — ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ — καθιστᾶν δὲ ἀναγνώστας καὶ ὑποδιακόνους καὶ ἐξορκιστὰς καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προαγωγῇ.*“

†*) Hist. eccl. 6, 43.

†**) de Martyr. Palaest. p. 320.

†***) Valesii annotatt. in Euseb. libr. de Martyr. Pal. p. 172 et 174.

*†) Hildebrand. ritual. bapt. p. 19 sqq. Bingham. 4. p. 1 ss.

**†) Formulam hujus renunciationis videsis in Constitt. apost. 7, 41. p. 123 et 24. Tertull. de coron. mil. 3 et 13; de spect. 4. Ambros. de

etiam ardentissimas, quas ad Deum clericus fundebat preces, ut vim ac Satanae in eos potestatem, qui Salvatori nomina dedissent, conterere, omnino denique fontem cujuscunque erroris ac malitiae obstruere velit. Induuntur vero id genus preces a scriptoribus hujus aevi ecclesiastico, nomine exorcismi*). Omnes quoque huic ad baptismum in veteri ecclesia praeparationi haereticos et schismaticos subjiciendos esse, concilium Carth. (a. 256) constituit**); idemque praecepit concil. Constant. I.***). Sed, quod praeterire noluimus, hic ritus ita erat universalis, ut ne haeretici quidem ab eo abstinerent; eo enim respectu Caecilius a Bilta in Concil. modo cit. Carthag.: „Apud haereticos," inquit „ubi spes nulla est et fides falsa, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat daemoniacus."

Nec forsan reprobanda esset ejus sententia, qui crediderit, et Cyprianum in epist. illa ad Magnum id genus exorcismi intellexisse, de quo hic disputare instituimus. Interdum enim evenire meminit, exorcistarum inefficacem fuisse potestatem†) (quod, si animos idololatriae consideres deditos ac perversos, facillime perspicias), opprimi autem diabolum, quum ad aquam salutarem atque ad baptismi sanctificationem adgrederetur††). Recte quidem monuit Krafftius†††), hisce Cypriani verbis non paedobaptismum innui, quum de adultis solum provectisque aetate sermo sit Nostri; neque tamen ei, si hoc loco exorcismum accipit de ejectione daemonum ex corporaliter obsessis, consentiamus. Hoc enim contextui, quo vim baptismi salutemque descriptas tan-

---

initiat. 2. Hieron. in Matth. 25—26. Salvian. de provid. 6. p. 197. Hilar. tract. in Psalm. 14. Cyrill. Catech. Myst. I. p. 306 sqq.

*) Bingham 4. p. 25.

**) „Censeo omnes haereticos et schismaticos, qui ad catholicam ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi exorcizati et baptizati prius fuerint." Concil. Carth. ap. Cypr.

***) C. 7.: „ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοῦς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς μετὰ ἐμφυσᾷν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον καὶ εἰς τὰ ὦτα αὐτῶν· καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν."

†) Cyrill. Catech. 3. n. 12. p. 45.

††) Hic locum, quem inveneram, notatu maxime dignum, in Annotatt. a Balduino, libris Optati Milev. „de schismate Donatistarum" adspersis, edere nolui. „Memini," B. inquit, „Petrum Mart. familiariter aliquando mihi dixisse, quod et postea scripsit in primum librum Regg., sese cum quemdam Cypriani locum diligenter expenderet, singulariter deprehendisse atque observasse *originem minime vulgo notam exorcismi cum baptismo conjungendi.* Cyprianum enim libr. 4. scribere ad Magnum, spiritus immundos quandoque fallere servos Dei, dum adjurati fingunt sese abire nec tamen abeunt. Tum vero Cyprianum adjicere: „Verum cum ad aquam ventum est, ibi Diabolus minime valet subsistere prorsusque discedit." Hinc Petrus M. jactat sese colligere, olim factum esse, *ut arrepticii, qui non poterant curari exorcismis, baptizarentur.* Posteritatem vero generaliter et confuse deinde semper exorcismos conjunxisse cum baptismo. Ac quidem fatetur Optatum, ut et Augustinum valde id probasse. Sed utrumque propterea reprehendit et erroris accusat." Verum enimvero spe teneor fore, ut sententia, huic libello meo inserta, magis arrideat lectori.

†††) l. l. p. 86.

tum invenias, vehementer repugnare videtur. Nusquam vero malis etiam, quibus corpora affici solent, baptismi remedio quemquam evasisse legimus, quin potius exorcismus, ubi baptismo conjunctum eum animadvertas, nil aliud est, quam illae pro catechumenis Deo dictae variisque ceremoniis conjunctae preces*). Cyrillus igitur, quum monet**) illuminandos s. competentes, ut exorcismus quam arctissime catechesibus conjungatur, dicitque sicut ignis auri, ita exorcismum esse purgamentum animi: via profecto contorta de sanatione corporis mediisque ad hunc finem idoneis auctorem disseruisse dictitasses. Hoc si proferre velis, statuendum esset, vel omnes, nondum christiana religione imbutos morbis fuisse correptos; vel etiam catechistam, sermonem suum in eos solummodo, qui malis corporalibus fuerint afflicti, directum habuisse. Quod, quomodo alterutrum in mentem tibi veniat, nescio. Ne autem longius decurramus, totus orationis nexus hujusque ritus tam causa quam effectus clare docent, exorcismos nihil, nisi precationes et ceremonias fuisse, illa cum prolixiore ad baptismum institutione conjunctas.

Tempus, quo hunc ritum peragere solebant in diversis ecclesiis, etiam fuit diversum. Sic enim Hierosolymis ante procatechesin exorcismos suscipiebant auditores, quod constat ex Cyrillo***); praecedebant in eadem ecclesia exorcismi catechesin †). Alius mos in ecclesia erat Antiochena; catechesis exorcismum praecedebat ††).

Crebriores fuisse exorcismos, pluribus ex locis apparet †††); nec id solum, sed valde erant quoque prolixi, quoniam baptizandi alter post alterum exorcizabantur †*). Quare quibusdam haec ceremonia incommodis juncta fuisse videtur. Erat quoque hanc ob causam probatio atque experimentum sincerae accedentium voluntatis †**), quod constanter ut sustinerent, ita exhortantem audis Gregorium Naz. †***): „Ne exorcismi medicinam respuas nec ob illius longitudinem animo concidas. Nam id quoque velut lapis quidam Lydius est, ad quem exploratur, quam sincero quisque pectore ad baptismum accedat.“

---

*) Hinc est, quod nonnulli scriptores exorcismum in baptismo referre plane omittunt; memorant tamen orationem, ad baptizandorum salutem consequendam habitam; cf. Basil. homil. 13. p. 119; Gregor. Nyss. orat. catech. p. 368. Quae formulae harum fuerint precationum, nullibi aperit nec Cyrillus nec alius quidem auctor dicitque solummodo ille, exorcismos divinos esse ex divinis scripturis collectos. Patet insuper, extra preces exorcismos, insufflationes, flammae instar daemones ad comburendos, nec non baptizandorum perunctionem olei continuisse. Catech. 16. n. 19. p. 254; 20, 3. 312.

**) Procatech. n. 9. p. 7.: „Οἱ πόδες σου εἰς τὰς κατηχήσεις σπευδέτωσαν· τοὺς ἐξορκισμοὺς δέχε μετὰ σπουδῆς· κἂν ἐμφυσηθῇς, κἂν ἐξορκισθῇς, σωτηρία σοι τὸ πρᾶγμα“ κτλ.

***) Procat. n. 9. p. 7.

†) Ibid. l. c. et n. 13. p. 9. Catech. I. n. 5. p. 18.

††) Chrysostomus in I. ad illumin. Catech. n. 2. p. 227.

†††) Cyrill. catech. I. n. 5. p. 18. Clementin. hom. 3. n. 73.

†*) Cyrill. procatech. n. 14. p. 10.

†**) Regulas, quas proscribit jam exorcizatis ad suasque sedes, ubi alios exspectare debebant, reversis vid. ap. Cyrill. l. c.

†***) Orat. 40.

Quinam autem ministri hujus ritus fuerunt? Si quid ratiocinationis via hic colligi liceret, facile tibi persuadeam, id genus, tam gravis momenti, exorcismi ab altiori perpetratum fuisse, quam ab exorcistarum, quem supra depinximus, ordine. Huic enim nil inerat cum energumenis suscipiendarum, quas imponebant inferiori clericorum ordini, molestiarum. Nec vero conclusionibus, sed experientia historicus, factis ipsis exhausta lucem, qua egent, rebus narrandis foeneretur. Attamen neque ullum hujus temporis invenies scriptorem ecclesiasticum, qui exorcismos baptismales a singulari clericorum ordine meminerit exercitos. Exstat unicus quidem locus *), quo diaconis id tribuitur officium; sed de exorcismi peragendi ratione loquitur nec aperte nec dicit, peractum ab iisdem semper certisve clericis. Quod igitur, si recte expendas, certam nobis excitat opinionem, a diversis, minime autem distinctis exorcismum baptismalem fuisse paractum ministris. Officia enim, quod constat, quaedam erant in ecclesia primitiva, quae non singularis cujusdam ordinis homines requirebant **). In his quoque exorcismi officium numeramus. Verum enimvero exorcismi quum, ut ex Cyrillo satius perspeximus, baptizandorum institutioni (quae proprie erat cura vel episcopi, vel vicis ejus agentis presbyteri) essent proxime adjuncti, quid verisimilius haberes, quam quod praeparatio ad baptismum et una et altera ab iisdem ipsis hominibus fuerit adhibita? Hos igitur fuisse episcopos et presbyteros, rei docet ipsius natura; verum etiam diaconos casibus in rarioribus exorcizasse, ex concil. mox cit. Constant. percipi potest. Eandem vero exorcistas occasione rariorima eaque extraordinaria potestatem habuisse, nulla est dubitatio. Sicut in casibus enim extraordinariis non inferioribus solum clericis, sed laicis etiam baptisandi erat licentia, ita et evenire potuit, ut peragerent exorcismum. Sed historia, quod praetermittendum non est, nullum hanc ad rem confirmandam offert exemplum. Quae quum ita sint, nec in opinionem Binghami ***), in altero scilicet duorum casuum ritum nostrum per exorcistas peractum fuisse, statuentis: vel primo, si catechumenus etiam energumenus, vel secundo, si exorcista quoque factus esset catechista; nec eorum †), qui volunt, duplex olim fuisse exorcistae officium, et purgare scilicet daemoniacos et catechumenos, ante baptismum exorcismo adjurare, discedere possumus. — §. 8. Tempora ingredimur, quibus de peccato doctrinam uberius tractare coeperunt. Invaluisse aevo jam Tertulliani fidem, qua peccatum cuique, sine ulla exceptione, adhaerere credebant originale, frustra quidem neges; sed Augustini ††) demum studio atque auctoritate in ecclesia Occidentis opinione fusius esse divulgatam, ex scriptis, quae reliquit,

*) Concil. Constant. sub Mena (tom. concil. 2.): „Ἐν τῷ φωτιστηρίῳ ὄντες εἰς κατήχησιν τῶν νεοφωτίστων — ἐπορκιζόντων αὐτοὺς τῶν διακόνων κτλ.“

**) Bingham 3. p. 51—52.

***) Vol. 2. p. 28.

†) Valesius in annotatt. de Mart. Palaest. p. 174. Gothofredus not. in cod. Theod. lib. 16. tit. II. leg. 84.

††) Gennad. de vir. illustr. 38. p. 19.

haud sane difficulter depromes *). Vix igitur dicam necesse est, quam magni baptismum, quo illam abstergi crederent immunditiam naturalem, sed quanti etiam aestumarint exorcismum, quem, ut in regnum Christi a potestate tenebrarum h. e. diaboli et angelorum ejus, baptizandos eruto transferrent, adhibuerunt.

Firmum firmioremque haec aetas stabilit exorcismum. Habuerunt vero, quum non modo gentiles, sed illo et Christianos originali pollutos putarent peccato, pro utrorumque etiam baptismate exorcismi ritum. Quod probant verba Optati Milevitani **): „Neminem fugit, quod omnis homo, qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur et in loca deserta fugatur."

Ut vero Augustinum, maximi hac in re virum momenti audiamus, dogmate, quod de peccato protulit originis, efficaciam novam, maxime quidem terribilem exorcismi ritui attribuit. Contendit enim, non solum idololatras gentilium, sed infantes quoque parentibus natos christianis, non exorcizatos sub imperio esse diaboli ***). Invicem autem ille ex ritu, qui tunc temporis in ecclesia peragi solebat, sententiam suam de originali peccato, huicve omnes Satanae in homines potestate conjunctam, ut veram receptamque comprobare studebat †). „Non inveniunt," inquit, „qui ad hoc respondeant, quod exorcizantur et exsufflantur infantes; hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, et ideo non fallaciter exorcizantur et exsufflantur, per quid dominatur nisi per peccatum princeps utique peccatorum?" Et alio loco ††): „Ipsa sanctae ecclesiae sacramenta satis indicant, parvulos a partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli servitio liberari. Excepto enim quod in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in iis et exsufflatur potestas contraria." Sic etiam, ut ait †††): „Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi parvulorum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat eum renuntiare diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus?"

Describit ceteroquin exorcismum, ut ceremoniam baptismum semper praecedentem, in Africana tum ecclesia ubique et receptam et vetustissimam †*). Nominat eam ignem quoque exorcismi †**) (quia videlicet

*) De peccat. orig. (tom. 10.). De nupt. et concupisc. libr. duo. tom. 10. Münscher l. c. 4. p. 184 ff.
**) De schismat. Donatist. 4. p. 73.
***) De nupt. et concupisc. 2, 51.
†) Epist. ad Sixt. 144. n. 46.
††) De peccat. orig. 45.
†††) De peccat. merit. et remiss. 1, 62.
†*) De nupt. et concupisc. 2, 33. et 50, de pecc. orig. 45.
†**) In ps. 65.

spiritum malum quasi exurat hominisque animam deparget), qua vera pietate homines Dei aëream istam potestatem inimicam atque contrariam ejicerent *).

Modus, quo peracta fuerit, ita legitur eundem apud scriptorem: „Quod in vobis adjurato vestri redemtionis nomine facimus, hoc vestri cordis scrutatione et contribulatione complete. Nos precibus ad Deum et increpationibus inveterati hostis dolis resistimus; vos votis et vestri cordis contritione persistite, ut eruamini de potestate tenebrarum et transferamini in regnum claritatis ejus" **).

Quamvis autem et alii hujus periodi scriptores ***) sermonem habeant de exorcismo ejusque exercendi tempus a concil. Bracar. 2. c. 1. viginti in dies constituitur: sunt tamen formulae, quibus hanc ceremoniam tunc celebrarint, plane nobis ignotae. Balduinus †) formulam etiamnum in ecclesia Romana exorcismi usitatam, apud Optatum M., ubi ††) haec inveniuntur verba: „Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem et dicitis Deo habitanti: „maledicte exi foras," se reperisse judicavit. Sed cui haec dixit Milevitanus? Minime profecto iis, quos gremio in suo catholica exceperat ecclesia, sed istis potius, qui Donatistarum schismate ex eo fuerant abstracti †††). Hos quidem auctor vituperat, quod semel baptizatos rebaptizent, etiam exorcizatis novum imponant exorcismum hincque Deum in animo fidelium habitantem obsecrationibus exire jubeant. Adhibuisse igitur et Catholicos haereticorum verba in exorcismo, vix concludere potes. Fontes si formularum adire velis, has premunt silentio neque verbo eas, quas tempore subsequente constitutas videbis, adtingunt.

A competentium autem baptismo ex gentilibus ad Christianorum quoque parvulos Augustini doctrinam, de peccato praesertim originis, transiisse eaque de causa magnam aetate, quam descripsimus, auctoritatem exorcismi ritum obtinuisse, extra omnem positum est disceptationem †*).

Restat, ut verbum addamus de exorcismo circa corporaliter obsessos. Comprobat etiam Augustinus, exorcismi quondam duas classes exstitisse. „Spiritus," inquit †**) — „immundus, quantum intelligo, duobus modis appellari solet, vel ille, qui extrinsecus invadit animam sensusque conturbat et quemdam hominibus infert furorem, cui excludendo qui praesunt, manum imponere vel exorcizare dicantur, h. e., per divina eum adjurando expellere. Aliter autem dicitur spiritus immundus, omnis omnino anima immunda" etc. Quae igitur descriptio exorcistarum officii datae supra nostrae bene congruit.

---

*) De civitat. Dei 10, 22.
**) Sermon. 216. ad Competent. 6. De symb. ad Catechum. 4, 1.
***) Vid. ap. Bingham Vol. 4, 10, 2. §. 8.
†) Annotatt. in Optati M. libr. de schism. Don. p. 144.
††) De schism. Donatist. 4. p. 74.
†††) Ibid. 1, 2. p. 3. 2, 21. p. 41 sq. 5, 3. p. 82.
†*) Sermon. 216. in die pasch.
†**) De beat. vita, p. 228.

An denique exorcisterium, quod in libr. contr. Cresconium adfert*), ei inservierit vel alteri exorcismi ritui, clare non apparet. Mihi quidem receptaculum corporaliter obsessorum fuisse videtur**).

Sensim autem id genus exorcismi evanescit retinentque tempore nunc percurrendo aliud tantum, praecedens sc. baptismum. — §. 9. Namque omnibus in parvulis ante baptismum ecclesia et Graeca et Romana diabolum insidere credebant. Accedit, quod superstitio imbecillitatem laicorum perquam occuparet iique opinionem prioris aetatis vesano quasi impetu arriperent. Clericis autem, quos si respicias, ad ingenium retusis, ad mores vero perditis, exoptatissimus esse ritus debebat, quo, sicut integumento, suam involvebant inscitiam, nutriebant superbiam altius sese altiusque extollentem. Exorcismus ergo in baptismo omnibus erat in promptu; doctrinam vero hoc de ritu magis invenimus evolutam. magis divulgatam magisque ab origine sua alienam.

Quamvis enim Isidorus Hispalensis***), Theodulphus†) ac Jessaeus††) solas quidem adjurationes in baptizandis commemorent adhibendas: Rituale tamen Romanum, ut nec in eos tantum, sed materia etiam, qua baptizare solebant, ut in aquam, oleum et salem exorcismos adhiberent, constituit†††).

Non praescribit ejusmodi quidem exorcismum ecclesia Graeca, attamen preces mittit ad sanctos, ne Diabolus in aquam descendat hunc que exsufflationibus ea depellere studet.

Clerus autem, ut ritum semper integrum sibi servaret, in formulas eum redegit, uti hodie in Graeca†*) nec non fere easdem in ecclesia audimus Romana. Nocte hac ignorantiae ac superstitionis caliginosa Germania quoque, patria nostra offusa collegitque Rhabanus Maurus, archiepisc. Moguntinus, omnes baptismi ceremonias in unum, quod clericis observandum erat Rituale†**). Huic autem congruae, ubique in ecclesia Romana etiamnum receptae, compositae sunt Agendae, quarum ex una, quae nobis ad manum est†***), instituto nostro respondentia afferre voluimus. Postquam parochus ita interrogavit: „Quo nomine est infans vocandus?“ haec dicat: „Exi ab eo immunde spiritus, et da locum advenienti spiritui sancto, da honorem Deo vio et vero“ *†). Variis ceremoniis atque pro baptizando orationibus peractis **†), sal si benedictum non adsit, hoc modo benedicatur: „Exorcizo te, creatura

*) 4, 57. p. 348.
**) Bingham 2, 3, 4. p. 28.
***) De offic. ecclesiast. 2, 20. p. 609 sq.
†) Tom. 2. opp. lib. de ordin. baptism. p. 682.
††) Epist. de ordin. baptismi ap. Baluz. in nott. ad Rheginont. 1, 69.
†††) Rituale Romanum (Antw. 1744. 8.) p. 239. Rituale Leodicens. p. 235. 233.
†*) J. Goari Euchолog. graec. Paris. 1647.
†**) R. Mauri de clericor. institut. et ceremon. eccles. lib. 3. Colon. 1532. 8.
†***) Agenda ecclesiae Mogunt. auct. Wolfgangi Archiepisc. Mog. 1599.
*†) p. 71 et 73.
**†) p. 72 et 73.

salis, in nomine Dei patris omnipotentis, et in caritate Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Spiritus S. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te ad tutelam humani generis precreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine sanctae Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis, tu Domine sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem, Amen"*). Hinc rursus ceremoniae sequuntur ac precationes, deinde adjurationes diaboli**), denique vero id, quod titulum gerit, „exorcismi," ita auditur: „Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris et Filii et Spiritus S., ut excas et recedas ab hoc famulo Dei N. — Ipse enim imperat tibi, maledicte, damnate et damnande, qui siccis pedibus super mare ambulavit et Petro cum mergeretur dexteram porrexit Jesus Christus Dominus noster; qui cum Patre et Spiritu S. vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen***).

Post colloquium novies deciesque cum diabolo repetitum, quorum quodcunque tam parum ab altero differt, ut exempla mox citata instar omnium esse possint, baptismi facessunt initium †). — §. 10. Sic igitur de exorcismo doctrinam per plura saecula persecuti, tempora adparere videmus Reformationis. Quae quantam fecerit ecclesiae mutationem quantamque toti generi humano, vel catholicis ipsis, attulerit salutem, hic quidem sigillatim describendi non est locus. Sed videamus saltummodo, quid Reformatorum primus inter eosque maximus de ritu senserit, quem fusius narrare coepimus.

Momentum, quod adscribit grave Lutherus baptismi sacramento, levitas autem, qua clerici peragebant habebantque illud laici, praesertim, quum linguae imperiti essent latinae, eum, ut Rituale baptismi Romanum linguae vernaculae redderet, moverunt. Editum est Vitebergae a. 1523. Omnes ceremoniae, supra allatae sine mutatione in eo reperiuntur; exorcismus igitur ut minor, ita et major. Cur autem id fecerit, illo ipso in libro, his verbis exprimit: „Ich habe aber noch nichts sonderlichs wollen verändern im Taufbüchlein, wiewol ich leiden möcht, es wäre besser gerüst, denn es auch unfleissige Meister gehabt, die der Tauf Herrlichkeit nicht genugsam bewogen. Aber die schwachen Gewissen zu scheuen, lass ich fast so bleiben, dass sie nicht klagen, ich wolle eine neue Taufe einsetzen, und die bisher getauft sind, tadeln, als die nicht recht getauft wären." Lutherum ergo tempori sapienter serviisse ob idque Salvatoris atque apostolorum optime secutum esse exemplum, quis non videt? Sed in illum quoque virum fidem in diaboli hominum, hic

*) p. 75 et 76.
**) p. 76 et 77.
***) p. 78 et 79.
†) p. 90.

quidem parvulorum obsessiones (ex qua semper manavit ritus noster), sese insinuasse, tacere iniquum fuisset. Ita enim in eodem libro loquitur: „Du hörest hie in den Worten dieser Gebet, wie kläglich und ernstlich die christliche Kirch das Kindlein herträgt, und mit so bestendigen und ungezweifelten Worten für Gott bekennet es sey vom Teufel besessen und ein Kind der Sünden und Ungnaden.“ Quam ob causam neque laude eum coronare neque in arenam pro eo descendere hodie suscipiamus. Gaudemus tamen virum, jam ante tria saecula viventem, modo audiri tam vero, quam claro haec de baptismi sacramento proferentem verba: „So gedenke nun, dass in dem Taufen diese ensserliche Stücke das Geringste sind, als da ist unter Augen blasen, Creutz anstreichen, Salz in den Mund geben, Speichel und Koth in die Ohren und Nasen thun, mit Oele auf der Brust und Schultern salben, und mit Chresem die Scheitel bestreichen, Westerhemd anziehen, und brennende Kerzen in die Hand geben, und was das mehr ist, das von den Menschen, die Taufe zu zieren, hinzugethan ist, denn auch wohl ohne solches alles die Taufe geschehen mag, und nicht die rechte Griffe sind, die der Teufel scheuet oder fleucht, er verachtet wohl grössere Dinge, es muss ein Ernst seyn. Sondern da siehe auf, dass du im rechten Glauben dastehst, Gottes Wort hörest und ernstlich mitbetest. — — Denn wie gesagt, an den menschlichen Zusätzen nicht so gross liegt, wenn nur die Tauf an ihr selbst mit Gottes Wort, richtigem Glauben und ernstlichen Gebet gehandelt wird. Hiemit Gott befohlen. Amen“ *). Quum primum autem meliori conditione esset externa, Rituale novam in formam redegit, ediditque a. 1525. Ex ceremoniis retinuit crucem in fronte et in corde, exorcismum minorem majoremque, nonnullas vero orationum, quae in baptismo haberi solebant, fecit mutationes. Tantum vero abfuit, hunc ut ritum toti obtrudere vellet ecclesiae evangelicae, ut in praefatione potius in librum: „Deutsche Messe und Ordnung-Gottesdienst“ ita expresse profiteatur: „Doch will ich hiemit nicht begehren, dass diejenigen, so bereit ihre gute Ordnung haben, oder durch Gottes Gnade besser machen können, dieselbige fahren lassen und uns weichen, denn es nicht meine Meinung ist, dass ganz Deutschland so eben müsste unser Wittenbergische Ordnunge annehmen“ **). Minime igitur ipsorum magistro, quum retineant saeculis subsequentibus Lutherani, ecclesiae, per Calvinum reformatae ***), oppositi, ex solo partium studio, pertinacia quadam exorcismum baptismalem, respondent.

Hinc vero patet, id genus exorcismi neque ex N. T., neque scriptis Patrum priorum saeculorum, sed aetate potius inscitiae ac superstitionis esse derivandum.

*) Tom. 2. Jenens. fol. 227—30.
**) Tom. 3. fol. 277.
***) J. Calvin. Institt. christ. relig. 4, 15. n. 19. Krafft l. c. p. 326 sqq.

XXXVIII.

Aeg. Strauch *Κατηχούμενος* historice descriptus *).

Ardua res est, christiana dogmata instillare aliis iisdemque ut Christum profiteantur, persuadere. Quamvis autem *ὑπεροχὴ λόγου ἢ σοφίας* (1 Cor. 1, 22.) per se parum efficiat, (coll. 1 Cor. 2, 1.) danda nihilominus opera est, ut ecclesiae ministri non minus quam alii *διδακτικοί* appareant. Artificium didascalicum exquisitissimum Paulinum illud fuit, de quo ipsemet in citata prius epistola inquit 3, 2: *γάλα ὑμᾶς ἐπότισα καὶ οὐ βρῶμα, οὔπω γὰρ ἠδύνασθε*, quibus verbis indicat apostolus, in paedagogia christiana opus esse prudentia quadam, ne, dum methodus negligitur, institutio ipsa salutari fine careat; quemadmodum is, qui infantili stomacho cibum ingerit robustis debitum, non nutrit sed occidit. Omne Dei verbum cum melle et lacte ob suavitatem suam comparatur, quando mel et lac dicuntur subesse linguae sponsae illius mysticae Cant. 4, 11; quando item ad christianismum conversi monentur a Petro (1, 2, 2.) ut concupiscant *τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα*, de quo mentio facta fuerat 1, 23. Singularis tamen emphasis subest, quando prima christianae institutionis clementa lactis cognomen habent et *στερεαῖς τροφαῖς* opponuntur, uti non tantum ad Corinthios, sed ad Hebraeos quoque (5, 17.) eadem similitudine apostolus usus est. Significatur enim figurata hac loquendi formula, Christianis novitiis, qui infantum instar sunt, in compendio prius summa fidei capita, lactis instar, instillanda esse, quam copiosior institutio, quae elenchum insuper et reliqua theologi officia comprehendit, iisdem proponatur. — §. 2. Observarunt Paulinam methodum Christiani in primitiva ecclesia, dum incipientes s. novitiolos gradatim informarunt, initium facientes a rudiori disciplina, quam catecheticam vocabant, unde ad institutum catechizantium Paulinum dictum Clemens Alex. refert, quando id in Paedagogo (1, 6.) *παραφράζει* his verbis: *Κατήχησα ἡμᾶς ἐν Χριστῷ ἁπλῇ καὶ ἀληθεῖ καὶ αὐτοφυεῖ τροφῇ τῇ πνευματικῇ* et paulo post: *Τὴν γνώσιν ὑμῖν ἐνέχεα, λέγων τὴν ἐκ κατηχήσεως ἀνατρέφουσαν εἰς ζωὴν ἄϊδιον.* Caeterum cum hujus catecheticae informationis apud scriptores antiquos non

*) Prod. Viteb. 1661. 4.

tantum frequentissima fiat mentio, sed apud nos quoque nomen, imo res ipsa, mutatis tantum quibusdam circumstantiis, retineatur, placet in praesenti e primitivae ecclesiae historia, quae veterum Christianorum novitios informandi fuerit methodus, breviter explicare, quod ut eo distinctius fiat, praemissa vocis succincta explicatione *κατηχούμενον, κατηχοῦντας, κατήχησιν* ipsam considerabimus. — §. 3. Ut a vocabulis faciamus initium, *κατηχεῖν καὶ κατηχεῖσθαι* hujusmodi termini sunt, qui latius nonnunquam, alibi vero strictius sumuntur. Prior significatio in S. S. occurrit saepius, quando illi, qui ex alterius relatione didicerunt quicquam *κατηχούμενοι* vocantur. Ita Lucas aliquoties hac voce usus est, ut quando de Theophilo suo inquit (1, 4.) quod sui potissimum gratia evangelii scriptionem in se susceperit, ut cognoscas verborum veritatem *περὶ ὧν κατηχήθης*. Syrus interpres habet simpliciter: in quibus edoctus fuisti; למד enim in lingua originali discere significat, non habito respectu ad accidentalem informationis seu doctrinae methodum, unde Rabbini in: פרקי אבות: הלומד מן הקטנים למה הוא דומה לאוכל ענבים קיהות ושותה יין מגתן והלומד מן חזקנים למה הוא דומה לאוכל ענבים ושותה יין ישן: *Qui discit a junioribus, cui similis est? Ei, qui edit uvas immaturas, et bibit vinum de torculari suo, qui vero discit a Senioribus, cuinam similis est? Ei, qui edit uvas maturas et bibit vinum vetus.* Occurrit eadem vox Act. 18, 25. quando de Judaeo quodam, qui Apollo vocabatur, dicitur, quod fuerit *κατηχουμένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου*, item Act. 21, 21. generaliter de rumore in vulgus sparso usurpatur, quando Pauli fratres ajebant: *κατηχήθησαν περὶ σου ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις* etc. quod repetitur v. 24. Neque apud Lucam tantum, sed Paulum quoque eodem sensu vox *κατηχουμένου* occurrit, quando apostolus Judaeum describit Rom. 2, 17—18. Neque alia, quam generalis vocis acceptio est, quando Gal. 6, 6., apostolus monet, ut *κατηχούμενος τὸν λόγον* communicet *τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς*. Item, quando 1 Cor. 14, 19. inquit, mallem quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua *ἵνα καὶ ἀλλοὺς κατηχήσω*. — §. 4. Utut autem vox catechumeni cum conjugatis in Scriptura S. generalius accipi soleat, in usu tamen ecclesiastico strictiorem ambitum ejusdem significatus habet. *Κατηχούμενος* enim in primitiva ecclesia vocabatur, qui prima elementa fidei Christianae addiscebat, nactus in Latio alia insuper cognomina, vocabatur enim *audiens* ideo, quod auscultaret ad ea, quae catechetae ipsi proponebant, quo sensu Tertullianus (de poenit 6.) inquit: *Audientes optare intinctionem non praesumere oportet. Qui enim optat, honorat, qui praesumit, superbit; in illo verecundia, in isto petulantia apparet, ille satagit, hic negligit, ille mereri cupit, at hic ut debitum sibi repromittit; ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem, nisi timidiorem, et id circo vera poenitentia functum etc.* Nonnunquam vero audientium vox strictius sumitur, ut eos notet, qui ad infimam classem discentium Christianorum pertinebant, quo sensu a cetechumenis audientes distinguntur. Ita enim in Concilio Nic. 1. can. 14. decernitur: *περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι*

μετὰ τῶν κατηχουμένων. Adhaec alius quoque audientium erat ordo, eorum scilicet qui post baptismum lapsi erant, cujus ordinis Basilius M. in epistola canonica ad Amphilochum frequentissimam mentionem facit, quando quatuor fuisse gradus et loca *τῶν ἐπιτιμίων* seu poenarum canonicarum recenset. Primus gradus erat *προσευχλαύσις* s. fletus et adploratio extra portam oratorii, ubi peccatorem stantem oportebat fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Secundus gradus est *ἡ ἀκρόασις* intra portam in porticu, ubi oportebat eum, qui peccaverat stare, usque ad missam catechumenorum, cum quibus exeundum ipsi erat. Tertius est *ἡ ὑπόπτωσις* intra portam quoque, ubi oportebat poenitentem prostratum cum catechumenis orare et cum iisdem exire. Quartus denique vocatur *ἡ σύστασις, ἵνα συνίσταται τοῖς πίστοις καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων*, uti Gregorius Thaumaturgus in epistola canonica loquitur. — §. 5. Sunt et alia nomina, quae catechumenis prisca aetas imposuit. Vocabantur enim *Novitii* et *Novitioli*, ut est apud Tertullianum loc. cit.: *Quicquid ergo mediocritas nostra ad poenitentiam semel capessendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, ut omnes salutis in promerendo Deo petitores, sed praecipue novitiolis istis imminet. Qui cum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiae adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant; et dicunt quidem priscinis renunciare et poenitentiam assumunt, sed includere eam negligunt etc.* Quamvis enim eo in loco per novitiolos novos baptizatos intelligat Carolus Moreau, mentem tamen scriptoris non assequitur. Verum quidem est, ab Augustino recens baptizatos novella germina sanctitatis vocari, quando serm. 157. de tempore inquit: *Ad omnes quidem pertinet sermo: quos cura nostra complectitur, verumtamen hodie terminata sacramentorum solennitate, vos alloquimur, novella germina sanctitatis, generata ex aqua et Spiritu Sancto, germen pium, examen novellum, flos nostri honoris et fructus laboris, gaudium et corona mea, omnes qui statis in Domino etc.* At apud Tertullianum vocem novitioli recens baptizatum in loco citato denotare, contra *συνάφειαν* textus est, cum illi ipsi novitioli petitores vocentur, describantur ab intinctionis desiderio et in toto isto capite de catechumenis agatur. — §. 6. Denique speciali nomine non quidem omnes catechumeni, sed certus eorum ordo tantum *Profitentium* habeat cognomen, item *Petitorum*, *Petentium* et *Competentium*, quo nomine illi tantum veniebant, qui de articulis fidei satis informati, baptismum petebant, de quibus Augustinus (2. de symbolo ad catechumenos) inquit: *Hoc audistis, hoc et vos professi estis, renunciare vos Diaboli pompis et angelis ejus. Videte, dilectissimi, quis hanc professionem vestram, in curiam profertis angelicam: Nomina Professantium excipiuntur in libro vitae, non a quolibet homine, sed a superiore coelitus potestate. Optimi jam tirones Dei, fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam adversus Diabolum indicitis. Dum ejus operibus renunciatis, vehementius in vos ejus furias provocatis. Sed non metuat miles Christi; induemini enim ipsum Christum, ut per eum valeatis superetis adversarium vestrum Diabolum etc.* Apud S. Hieronymum in epist. ad Pammachii ipsi professentes illuminandi dicuntur. — §. 7. Hie-

bat autem baptismi petitio, a qua petentes et competentes dicebantur catechumeni, communiter dominica in ramis palmarum, unde Augustinus eadem dominica sermonem 3. qui in ordine 116. est, ad competentes habuit, eosdemque, ut digne se ad baptismum, quem tunc temporis petebant, praeparent, sedulo admonuit. Ipsa autem baptizatio die vel vigilia paschatos et pentecostes fieri solebat, unde in concilio Gerundensi statutum legimus, ut catechumeni baptizentur die vel vigilia paschae et pentesostes, caeteris solennitatibus tantum infirmi. Extant de hac re aliquot pontificum responsa; nam Siricius papa admodum in quosdam invehitur, qui baptismum alio quam paschali vel pentecostali tempore suscipiebant. *Non ratione autoritatis alicujus*, inquit ad Himerium Tarraconensem, *sed sola temeritate praesumitur, ut passim ac libere natalitiis Christi seu apparitione, nec non et Apostolorum s. Martyrum festivitatibus, innumeras, ut asseris, plebes baptismi mysterium consequantur, cum hoc sibi privilegium et apud nos et apud omnes ecclesias dominicum specialiter pascha defendat cum sua pentecoste.* Et Leo Papa: *Duo tempora*, inquit, *i. e. pascha et pentecoste ad baptizandum a Romano Pontifice legitime sunt praefixa, unde, quia manifestissime patet, baptizandis in ecclesia electis haec duo tempora, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiae misceatis.* Rationem hujus vetustissimi instituti dare annititur et simul ad apostolicam autoritatem Petri provocat. Caeterum quo ritu usi sint veteres in baptizando catechumeno competente alibi dicetur prolixius. Hoc loco sufficiat consuetudinem Syrorum, quam observarunt Justini tempore, ex eodem Patre addiscere, ita autem ille in Apologia ad Antoninum: *Hi, qui sibi persuaserunt vera esse, quae a Christianis docentur, et promiserunt se ita vivere posse, primum docentur, ut jejunantes petant remissionem peccatorum a se commissorum, nobis una ornantibus et jejunantibus. Postea ducuntur a caeteris Christianis eo, ubi aqua est, et ad eum modum regenerantur, quo et nos sumus regenerati.* — §. 8. Descripsimus hactenus catechumenum a suis nominibus, describendus porro est a realibus proprietatibus. Primo quidem catechumenum fidelem jam tum fuisse certum est, vel ad minimum pro fideli habitum. Quamvis enim ii, qui in infima catechumenorum classe erant, de quibus potissimum dubitari posset, omnium articulorum fidei accuratam cognitionem nondum habuerint, unde ab Augustino (de fid. et oper.) dicitur, quod audiant, quae fides et qualis vita debeat esse Christiani, voto tamen jam tum fideles erant. Neque enim mere paedagogica aestimari debet actio, quando quis cum desiderio conversionis ad ecclesiam accedit eidemque se subjicit. Spiritus S. ea operatio est, qua hominem praevenit et ad se allicit. Hinc ista exercitia sunt, quae catechumenis adscribit Augustinus (de fid. et oper. 6.): *an usque adeo dissimulamus a sensibus nostris*, inquit, *ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attenti atque solliciti, quid nobis praeciperent a quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus atque ob hoc competentes etiam vocaremur; vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo studio*

ferveant, qua cura pendeant etc.? Neque fidelium seu Christianorum titulus in primitiva ecclesia iis denegatus est, qui catechumeni suum obierunt diem, ut sanctorum quoque adscripti sint consortio. Ambrosius (in orat. fun. de obitu Valentiniani imp. tom. 3. opp.) scrupulum quendam de hac re, Caesare ἀβαπτίστῳ mortuo, in ecclesia Mediolanensi obortum fuisse, non obscure indicat, eundem insimul eximere conatur: *Audivi vos*, inquit, *dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc verum habuit, ut antequam in Italiam veniret, initiaretur et proxime baptizari se a me velle significavit. Et ideo prae caeteris causis me accipiendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? non habet, quam poposcit? et quia poposcit, accepit.* Idem paulo post inquit: *qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? aut si, quia solenniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet, ergo nec martyres si catechumeni fuerint, coronentur, non enim coronantur, si non initiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit etc.* Atque haec causa illa est, ob quam catechumenos quoque ad vitam Christianis dignam exhortatur Tertullianus, eadem officia injungens novitiis et intinctis, quod ejusdem gratiae participes sint et eundem in coelis parentem habeant. *Nemo sibi adulatur*, inquit, *quia inter auditorum tirocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum simul cognoveris timeas, simul inspexeris reverearis. Caeterum quid te cognoviisse interest, si iisdem incubas quibus retro ignarus? Quid autem te a perfecto Dei servo separat? An alius est intinctis Christus, alius audientibus? Num spes alia, vel merces, alia formido judicii, alia necessitas poenitentiae? Lavacrum illud obsignatio est fidei; quae fides a poenitentiae fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus etc.* Apparet itaque ab hac fidei simplicitate postea tempore Gennadii Mass. presb. multos recessisse. Ita enim ipse Gennadius in lib. de ecclesiasticis dogmatibus 74.: *Baptizatis tantum*, inquit, *iter esse salutis credimus. Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur.* Quam immitem sententiam non tantum e veteribus multi, sed ex recentioribus Pontificiis quoque non pauci defendere satagunt, recedentes adeo a communi casuistarum doctrina, a Francisco Toleto (Instruct. sacerdotali 2, 21.) exposita: illi vero inquit, qui detinentur exspectantes baptismum, si interim obeant absque baptismo, cum contritione et voto baptismi, salvantur. — §. 9. Fidelis autem quamvis catechumenus fuerit, ad sacramenta tamen ecclesiae non admittebatur, quatenus talis. Erant enim Christiani veteres perquam studiosi, ne sanctum projiceretur canibus, unde in mysteriis seu sacramentis exhibendis nimium fere parci et tenaces fuisse perhibentur. De baptismo quidem certum est, quod eundem distulerint quandoque veteres ad extremum usque vitae halitum, cujus rei causa erat — uti quidem id nobis videtur — quod antiqui canones perquam rigorosi essent atque ob eosdem lapsi post baptismum in ecclesiae gremium difficulter reciperentur. Exempla hujusmodi severitatis in ecclesiastica disciplina exhibent Elibertini con-

cifi in Hispania, tempore Sylvestri pontificis, celebrati, canones omnes fere, praeprimis 2, 3, 5 etc. Videntur itaque fideles prisci judicasse satius, baptismum differre, quam eodem suscepto commissoque peccato quodam privari ecclesiastica communione, ad quam non nisi post varia eademque diuturna poenitentiae exercitia et externa documenta patebat aditus. Quicquid vero permoverit veteres, certum est, catechumenos fuisse *ἀβαπτίστους* et diutissime tamen fideles inter catechumenos permansisse, unde factum est, ut quam plurimos mors praevenerit, qui baptismum distulerant hactenus, quo decedentes mundiores essent. Exempla recenset C. Sigonius (de occid. imper. ad ann. 350.): *Constantinus*, inquit, et *Constans* (de exemplorum certitudine, inprimis quod Constantinum attinet, in praesenti disceptare nolumus) *utrumne sacro fonte abluti vita excesserint, parum compertum. Constat enim, homines per hos annos diu inter catechumenos se probasse, nec nisi sero sacramentum baptismatos accepisse. Nam et Constantius Augustus ab Euzoyo et Theodosius maj. ab Acholio episcopis serio initiati sunt et Valentinianus jun., baptismum ab Ambrosio postulans, interfectus est et Martinus inter catechumenos constitutus miracula edidit et Ambrosius nondum tinctus episcopatum inivit etc.* — §. 10. Verum enim vero ut ad baptismum non properarint fideles prisci, eundem tamen simpliciter et absolute nemini denegarunt, quin potius, ut urgente necessitatis gradu tingerentur catechumeni, etiam ante praestitutam temporis metam saepius mandarunt. *Audientibus*, inquit Cyprianus (ep. 13.) *etiam si qui fuerint periculo praeventi et in exitu constituti, vigilantia vestra ne desit.* Clarius Augustinus (de fid. et oper. 6.) inquit: *Fit hoc, ubi quenquam forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat sacramentumque percipiat, ut si ex hac vita migraverit, liberatus exeat a reatu praeteritorum omnium peccatorum.* Exemplum hujusmodi catechumeni ob periculum mortis baptizati citius, quam alias solebant veteres, recenset Nicephorus Callistus (hist. eccl. 14, 12.) quando Judaeum quendam, a multis annis paralyticum atque in lecto veluti pondus jacentem Constantinopoli ab Attico baptizatum atque insimul a morbo liberatum esse scribit. Caeterum qui hoc modo in desperato casu baptizati erant, si quando cessaret periculum, plenius de rebus fidei informabantur et de novo quasi fiebant catechumeni, usque dum de fide orthodoxa plenissime informati et manuum impositione confirmati, ad reliqua quoque Christianorum sacra admissi fuerint. — §. 11. Quemadmodum vero in sacramento baptismi inter catechumenos dispensando serius agebat prisca ecclesia, ita multo magis eosdem ab usu coenae Dominicae arcebant veteres, cum ne permiserint quidem, ut interessent catechumeni, quando sacra haec inter Christianos fiebant. Causam allegat Marcus Antonius de Dominis (de rep. eccl. lib. 7.): *Catechumenis*, inquit, *tametsi ipsi quoque sint fideles et non infideles, hoc tamen mysterium celatur, donec ad baptismum pervenerint, ne scandalisentur, sed paulatim post alias catecheses jam propinqui baptismo etiam in hoc mysterio instruuntur etc.* Sed quacunque de causa hujus sacramenti mysteria catechumenos celarint, certum est, quod eosdem ante consecrationem symbolorum sacramentalium e templis abire

jusserint, ita enim in liturgiis Basilii et Chrysostomi legimus, diaconum clamasse, cum ventum esset ad celebrationem eucharistiae et orationes eo pertinentes: ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε· μὴ τις τῶν κατηχουμένων κτλ. Idem Chrysostomus (hom. 93. de eucharistia) ait: ἔστι θυσία χωρὶς αἵματος, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον. Explicat Cyrillus Alex. in Joh. 12, 1.: *Prohibemus*, inquit, *a sacramentis catechumenos quamvis veritatem jam cognoverint et fidem magna voce confiteantur: quia nondum locupletati Spiritu S. sunt, qui habitat in iis, qui baptismate consummati. Unde cum baptismum receperint, quia Spiritus S. habitare in illis creditur, a tactu et communione salutaris Christi corporis non prohibentur. Idcirco et accedentibus ad benedictionem mysticam ministri mysterii magna voce clamant: Sancta sanctis! solis sanctificatis spiritu tactum et sanctificationem corporis Christi congruere significantes.* — §. 12. Caeterum ab hac consuetudine, dimittendi nempe catechumenos ante eucharistiae distributionem, dubio procul nomen missae originem suam habet, quamvis enim e Pontificiis quidam nomen ebraicum esse velint et idem cum מנחה, unde Caesar Baronius (Annal. tom. I. ad a. Chr. 34. num. 59.): *cum multa sint*, inquit, *hujus sacrificii nomina, illud est antiquissimum et apud Latinos usitatius atque frequentius* Missa, *quod quidem (sicut et christiana fides profitetur) ex ebraica vel chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra vulgata legitur*, spontanea oblatio (Deut. 16, 10.) *hebraice et chaldaice dicitur Missa, quam offerebunt Domino in gratiarum actionem de fructibus terrae, qua et vescebantur in templo cum recordatione praeteritae servitutis et ab eadem liberationis.* Enimvero christiana fides, cujus hic meminit Baronius, non creditur a Roberto Bellarmino, ita enim is (de missa I, 1.): *Non videtur apostolis in usu fuisse hoc vocabulum hebraicum multoque probabilior est eorum sententia, qui docent, vocem esse latinam, et a Latinis primum usurpatam, in celebratione mysterii eucharistiae etc.* Omnino ita est, vocem latinam hanc esse, si originem spectes. Et miraretur quis non immerito, quod librorum helluones isti non legerint clarissimum Augustini locum (serm. 257. de tempore): *Post sermonem*, inquit, *fit missa catechumenis, manebunt fideles.* Indicat ritum primitivae ecclesiae fuisse hunc, quod dimiserint catechumenos, priusquam sacramentalis inciperet actio. Atque is dubio procul sensus est canonis 84. concilii Carth. quarti. Ita enim canon iste apud Laurentium Surium legitur: *Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei sive gentilem, sive haereticum, sive Judaeum, usque ad missam catechumenorum.* Cave tamen missam catechumenorum confundas cum missa reliquorum fidelium, duplicem enim fuisse missam seu dimissionem populi ex antiquis patet scriptoribus. Prior jam descripta est et fiebat ante consecrationem sacramentalem. Posterior autem respiciebat fideles et fiebat post consecrationem et usum s. eucharistiae, clamante diacono: Ite! Missa est. Uti adhuc hodie in liturgia Romana hic ipse dimittendi populum ritus praescribitur. — §. 13. Quamvis autem catechumeni ad communionem eucharistiae admissi non fuerint, accipiebant tamen ἀντίδωρον quoddam, quod locum obtinebat τοῦ δώρου i. e. eucharistiae. Erat ἀντίδωρον istud frustum panis benedicti

quidem, at non in usum eucharistiae, sed in symbolum unitatis fidei et vocabatur etiam *κλάσον*, item *κατάκλασον*. Communiter tamen hujusmodi frusta *εὐλογίας* vocarunt, quae vox, praeter generalem significationem cujusvis consecrationis, specialem item coenae dominicae, particulas istas significat, quae in primitiva ecclesia iis dabantur, qui communicare non fuerant parati (ut est in decreto, quod Pii I. nomine circumfertur) itemque catechumenis. De iisdem enim videtur Augustinus loqui (de pecc. merit 26.): *Non uniusmodi est sanctificatio*, inquit, *nam et catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi et orationem manus impositione puto sanctificari et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Domini, sanctum est tamen, et sanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est.* Nequaquam vero Augustinum per hoc sanctum intelligere vulgarem cibum, ex eo patet, quod in subsequentibus demum de vulgari cibo agat. *Verum et ipsos cibos*, pergit, *quibus ad necessitatem sustentandae hujus vitae alimur, sanctificari idem apostolus dixit, per verbum Dei et orationem, qua oramus, utique nostra corpuscula refecturi etc.* Vid. de eulogiis hisce Is. Casaubonum (exerc. 16. ad Annal. Baron. n. 33. Bellarm. de eucharist. 2, 24.). — §. 14. Caeterum catechumeni utut baptizati ipsi non fuerint ad ecclesiastica officia nihilominus admittebantur. Exemplum ejus rei in Ambrosio habemus, de eodem enim Paulinus episc. in vita Ambrosii prolixe refert, uti catechumenus adhuc et rector Liguriae Aemiliaeque a populo episcopus postulatus et a Valentiniano confirmatus sit, quam dignitatem etiamsi Ambrosius non nisi post baptismum ab alio episcopo acceptum et impleta ecclesiastica officia ad unum omnia susceperit, alios tamen exempli loco hoc Ambrosii factum allegasse ex eo patet, quod Tarasium ex laico ordine ad patriarchatus dignitatem evectum esse in concilio 8. generali diserte referatur atque insimul ad Ambrosii exemplum copiose respondeatur. Beatissimum quoque Ambrosium, dicitur actione secunda, splendidissimam lucernam ecclesiae, qui ex catechumeno divino praesagio ad episcopalem per continuos gradus promotus est dignitatem, cur nobis pro vestro tutamine opponitis? Qui non instinctu hominum, sed divina vocatione per miraculorum prodigia electus est. — §. 15. Agendum porro de catechetis est sive iis, quorum opera novitii christiani in doctrina fidei informabantur. Enimvero erudire alterum et monstrare eidem, quae ad salutem ducit, viam, omnium Christianorum officium et si nesessitas urgeat, fraternae caritatis debitum est; de quo Lutherus (Opp. ed. Jenens. Germ. tom. 2. p. 233.) inquit: Wenn ein Christ ist an den Orth, da keine Christen sind, da darff er keines andern Beruffs, denn dass er ein Christ ist, inwendig von Gott beruffen und gesalbet, da ist er schuldig den irrenden Heyden oder Unchristen zu predigen und zu lehren das Evangelium, aus Pflicht Brüderlicher Liebe, ob ihn schon kein Mensch darzu beruffet. Also thät S. Stephanus Act. 6, 7. dem doch kein Ampt von den Aposteln zu predigen befohlen war, und prediget doch und thät grosse Zeichen im Volck. Item, eben also thät auch Philippus, der Diacon, Stephans Geselle Act. 8. dem auch das Predigampt nicht befohlen war. Item so thät Apollo Act. 18. denn in solchem Fall sihet ein

Christ aus Brüderlicher Liebe die Noth der armen verdorbenen Seelen an, und wartet nicht, ob ihn Befehl oder Brieff von Fürsten oder Bischöffen gegeben werden, denn Noth bricht alle Gesetze, und hält kein Gesetz, so ist die Liebe schuldig zu helffen, wo sonst niemand ist der hilfft oder helffen solt. — Neque desunt laicae catechizationis exempla in primitivae ecclesiae historia. De Iberis, qui prope Pontum Euxinum ex Hispania advenae habitarunt, gente barbara, robusta et bellicosissima, referunt Socrates (hist. eccl. 1, 16.), Theodoretus (hist. eccl. 1, 24.), Sozomenus (h. e. 2, 6.), Nicephorus (h. e. 8, 34.), uti a muliere quadam captiva in orthodoxa fide informati et catechumeni facti sint, ad quae postea Constantinus M. episcopum cum clero miserit. Imo quod majus quid est, Origenes nullo sacro ordine initiatus, Caesareae Palaestinae in praesentia episcoporum catechesin christianam docuit et publice concines habuit, quod factum non immerito mirabatur Demetrius Alex. episc., ad quem pro defensione Origenis literas dederunt Alexander Hieros. episc. et Theoctistus episc. Caesareae, in quibus inter alia, sequentia responderunt, uti in fragmento istius epistolae penes Eusebium (hist. eccl. 6, 13.) legitur: *Quod in literis tuis adjunxeris, nunquam antea auditum neque jam usurpatum, ut laici, praesentibus episcopis disputarent scripturasque exponerent, in eo, nescio quo modo videris perspicue falsa dixisse. Nam ubi idonei et habiles reperiuntur, quo fratribus in verbo Domini adjumento sint, a sanctis episcopis rogantur, ut populum in verbo instituant; sicut Larandis Evelpis a Neone, Iconii Paulinus a Celso et apud Synados Theodorus ab Attico, qui omnes beati et pii fratres erant. Ac verisimile est, quamvis nobis obscurum et minime cognitum sit, illud idem in aliis locis fieri.* — §. 16. Quamvis autem necessitas legem non habeat, attamen extra casum necessitatis Deus, qui autor est ordinis, ut omnem ἀκαταστασίαν evitemus, serio mandavit 1 Cor. 14, 33. praeprimis ob id, quod donum docendi χάρισμα Sp. S. sit, non omnibus concessum, 1 Cor. 12, 28—29. atque ad ordinarium in ecclesia docendi munus peragendum requiratur vocatio Rom. 10, 15. Unde catechetica institutio non aliter, atque divina reliqua, quae publice peraguntur, ministris ecclesiae competit iisdemque ex aequo omnibus. Romanenses quidem, ut penes eosdem summi ecclesiarum antistites officia ecclesiastica rarissime peragunt, ita etiam episcopos hic excipiunt atque hoc catechizandi munus inferioribus ordinibus tribuunt. Certe in synodo dioecesana Augustensi, Othone cardinale et episc. August. praesidente, anno 1558. celebrata (ut est apud Laur. Surium. tom. 3. Concil. p. 869.) nonnisi parochis hoc munus datur, Petri de Soto libros de institutione hominis christiani praelegere et cum rudioribus catecheticam doctrinam repetere. Verum haec cum apostolicae et subsequentis primitivae ecclesiae praxi minime conveniunt. Uti enim Paulus τὸ κατηχεῖν omnibus ecclesiae ministris cujusvis dignitatis commendet, e 1 Cor. 14, 19. satis liquet. Cyrillus Hieros. summae dignitatis episcopus fuit, tempore Constantii imperatoris et nihilominus catecheses scripsit. Clemens Alex., maximae eruditionis theologus, formandi novitios munus in se suscepit. Ita enim de eodem Hieronymus, ecclesiasticos scriptores recensens: *Clemens, in-*

quit, *Alexandriae ecclesiae presbyter, Pantaeni auditor, post ejus mortem Alexandriae ecclesiasticum scholam tenuit et catechesium magister fuit.* Augustinus nihil frequentius instillat quam catecheticam doctrinam, ut aliorum laberes catechetices silentio praeterearn. — §. 17. Caeterum difficillimum est et periculosum perquam, munus informandi alterum de religionis negotio in se suscipere. Agitur enim in hac causa de animarum salute, quae cura tanto acrius postulat studium, quanto caducis perpetua, terrestribus ea, quae coelestia sunt, praestant. Itaque requisita quaedam catechizantis ex ecclesiasticis scriptoribus adducemus, qui testantur, requiri in his 1. solidam scientiam, qui enim alteri mysteria fidei exponere conatur, necesse est, ut ipse in salutari hac disciplina optime instructus sit. Discamus prius quam doceamus, inquit Siracides 18, 19. Neque pronior est ad haeresin via, quam falsa de eruditione propria praesumtio. Paulus Samosatenus conabatur quondam Zenobiam judaizantem informare melius. At seductus et ipse est, quod sacrae theologiae studium tractasset segnius quam par erat et careret ea rerum divinarum scientia, quae in catechete requiritur, uti id ex actis synodi Antiochenae 2. contra Samosatenum habitae apud Eusebium (hist. eccl. 7, 23—24.) satis liquet. Nestorium uti inscitia, comitem habens superbiam, in haeresin praecipitarit, testes sunt, quotquot ejus seculi historiam conscripserunt; *φαίνεται τοίνυν ὁ Νεστόριος ἀγνοήσας τὰς πραγματείας τῶν παλαιῶν*, dicit Socrates hist. eccl. 7, 32. Inde fuit, quod Mariam *Θεοτόκον* dicere noluerit, existimans phrasin insolitam et erroneam esse. Ad haec praeter scientiam requiritur insuper in eo, qui *κατηχήσεως* magister fieri desiderat, 2. singularis prudentia, quamvis enim Deus prudentes hujus mundi parum curet 1 Cor. 1, 26—27. requiritur tamen in iis quoque, qui alios elementa fidei docent, ut circumspecte agant, quod si enim ulli, certe catechetis dictum sit: Estote prudentes sicut serpentes Matth. 10, 16. Consuluerat Deogratias Carthaginiensis diac. Augustinum de methodo catechizandi rudes et breve quidem, sed nervosum omnino praesul responsum dedit: Quicquid narras, inquit, ita narra, ut ille, cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet. *Πρᾶξιν* hujus moniti difficillimam esse, nemo, ut opinor, diffitebitur. Suadere enim, ut persuadeas, non nisi prudentis opus est et personarum, temporis, imo circumstantiarum omnium accuratissimam aestimationem requirit. Docet denuo suam Deogratias Augustinus et informat exemplo proprio, quando (*de catechizandis rudibus* c. 15.) inquit: *De meipso tibi testis sum, aliter atque aliter me moveri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius aetatis aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diversitate motus mei sermo ipse et procedit et proceditur et finitur. Et quia, cum eadem omnibus debeatur caritas, non eadem est omnibus adhibenda medicina. Ipsa item caritas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat aedificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis severa, nulli inimica, omnibus mater.* Commendatur ab hujusmodi theologica prudentia Athanasius, quem Ariani

veteres ob id magiae daemoniacae insimulabant, uti id refert Sozomenus (hist eccl. 4, 9.). Requiritur 3. in catechizante christiana modestia, quam denuo copiose commendat Augustinus. Parum aedificat, qui modestiae limites egreditur, exosus discipulo est, gravis socio videtur. Singulare modestiae et humilitatis exemplum Sisinnius exhibet, si modo vera sunt, quae de Sisinnio Novatianorum episc. refert Socrates 6, 20. Cum enim Johannes Chrysostomus episc. Byzantinus Sisinnium argueret ac diceret, unam civitatem non posse duos episcopos habere, respondisse dicitur Sisinnius: nec habet. Quod responsum cum Johannes aegre ferret (accusatur enim zeli nimii) diceretque: Video igitur, ὅτι μόνος εἶναι βούλει ἐπίσκοπος, tum Sisinnius: Neque hoc dico, inquit, sed quod apud te solum non sum episcopus, qui aliis tamen sum episcopus. Quo responso Johannes commotus dixisse fertur: παύσω προσομιλεῖν, nam haereticus es. Ad quae Sisinnius: Ego vero, inquit, tunc tibi mercedem dabo, si me tanto labore liberaveris. Cui responso Chrysostomus subjunxisse dicitur: Ego vero minime a concionando te reprimam, si te illud munus afficiat molestia. Viden, uti triumphum agat modestia? Neque plures de irregenitis Christianos fecit, quam is, qui blande convertendos allocutus est et cum iisdem sine acerbitate egit. Adhaec requiritur 4. continua diligentia, ne deses fiat catechizans, instare enim debet εὐκαίρως, ἀκαίρως, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, uti Timotheum suum instruit Paulus. Turpe est, si quando ob pastorum negligentiam aliquis cum Gregorio hom. 17. in evangel. conqueri necesse habeat: *Mundus totus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.* Adhortatur porro et 5. Augustinus catechetam suum Deogratias ut *patientem* se praestet neque fastidiat laborem informationis. *Revera multum est*, inquit, *perdurare in loquendo, usque ad terminum praestitutum, cum moveri non videmus audientem; quod sive non audeat religionis timore constrictus voce aut aliquo motu corporis significare approbationem suam, sive humana verecundia reprimatur sive dicta non intelligat sive contemnat, quandoquidem nobis non cernentibus animum ejus incertum est; omnia sermone tentanda sunt, quae ad eum excitandum et tanquam de latebris eruendum possint valere. Nam et timor nimius atque impediens declarationem judicii ejus blanda exhortatione pellendus est et insinuando fraternam societatem verecundia temperanda et interrogatione quaerendum, utrum intelligat et danda fiducia, ut si quid ei contradicendum videtur, libere proferat.* Haec et multa alia veteres ecclesiae doctores catechizantibus dederunt monita, e quibus quodnam eorum officium fuerit, dijudicari facile potest. — §. 18. Restat nunc ut de ipso catechizationis ritu addamus pauca. Et situs quidem tam catechetae quam catechumeni ipsius informationis tempore ἀδιάφορος fuit, quamvis enim alias erectam corporis collocationem s. stationem, ad devotionem et reverentiam declarandam veteres conducere putarint, unde per totum id tempus, quod inter pascha et pentecosten est, stantes orabant, quamobrem precationes illae stationes dictae sunt, in catechesi tamen seu informatione elementari stare et sedere ipsis perinde fuisse certum est,

sessio autem inprimis commendata. Ita Augustinus (de catechizandis rudibus c. 13.) Deogratias informat: *Sine dubitatione* inquit, *melius fit ubi decenter fieri potest, ut a principio sedens audiat. Longeque consultius in quibusdam ecclesiis transmarinis non solum antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subjacent, ne quisquam infirmior stando lassatus, a saluberrima intentione avertatur aut etiam cogatur abscedere.* Et post pauca: *Quis etiam ferat arrogantiam nostrum, cum viros fratres nostros, vel etiam quo majori solicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus et ipsum Dominum nostrum, cui assistunt angeli, sedens mulier audiebat? Sane si aut brevis sermo futurus est aut consessui locus non est aptus, stantes audiunt et non sunt initiandi. Nam cum unus aut duo aut pauci, propterea venerunt, ut Christiani fiant, periculose loquimur stantibus.* — §. 19. Ratione formae externae catechizatio consistebat in orali traditione, quando per quaestiones et responsiones informatur catechumenus. Quamvis enim concedamus, facile nonnunquam continuo sermone, a catechumeno non interrupto, catechetam usum esse, quaestionaria tamen methodus usitatissima erat. Vehementius enim movent crebrae interrogationes, quam simplices assertiones et ex responsis colligimus certi quid de profectu discipuli. Unde quaestionibus agebatur eo inprimis tempore, quo catechumenus baptismum desiderabat: *Sed et ipsa, quae in baptismo sit* — verba sunt Cypriani — *interrogatio testis est veritatis. Eum enim qui examinatur cum interrogamus, vitamne aeternam et peccatorum remissionem accepturum te credis? Nihil aliud, nisi in catholica ecclesia dari hanc posse testamur, cum apud haereticos, ubi ecclesia non est, haberi peccatorum remissio non possit. Ideoque et haereticorum patroni aut mutare interrogationem aut tueri veritatem debent etc.* Et ad hanc ipsam consuetudinem, per quaestiones nempe explorandi baptizandi fidem, putant nonnulli respexisse Petrum quando 1, 3, 21. *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα* nominat. — §. 20. Informatio ipsa s. *κατήχησις* ratione doctrinae consistebat in recensione et frequentiori repetitione omnium articulorum fidei, qui creditu necessarii sunt, non tantum eorum, qui in symbolo apostolico, quod vulgo dicitur, hoc nostro tempore leguntur. Ita enim Augustinus institutionem catecheticam describit (de fide et operibus 6.): *Quid aliud agit*, inquit, *totum tempus, quo catechumenorum locum et nomen tenent, nisi ut audiant, quae fides et qualis vita debeat esse Christiani.* Verum quidem est, in scriptis veterum frequentissimam fieri symboli mentionem, cujus etiam recitatio et facta ad illud stipulatio erat ultimus actus praeparatorius, qui requirebatur a catechumeno, ut ad baptismum admitteretur. De recitatione inquit Augustinus (l. cit. 11.): *baptizandis symbolum tradimus reddendumque reposcimus.* De stipulatione item, a catechumeno facta, Ambrosius (in lib. de iis, qui mysteriis initiantur 2.): *Repete*, inquit, *quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriae ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.* Ex hujusmodi autem innumeris veterum dictis, in quibus symboli fit mentio, colligere velle, symboli apostolici professionem unice requisitam fuisse a catechumeno,

idem nobis videtur ac si quis colligeret: animal est, ergo brutum est, sive ut philosophi loquuntur, argumentetur a genere ad certam et determinatam speciem. — §. 21. Est autem catecheticae doctrinae e primitivae ecclesiae consensu necessarium requisitum hoc, ut desumpta sit e scriptis prophetarum et apostolorum indubitato canonicis. Non quidem eo sensu ac si e verbis scripturae formalibus catechetica elementa constare debuerint; sed quod omnis Christianorum fides e scrutinio scripturae hauriatur Joh. 5, 39. Breviter, ut habeamus exemplum professionis fidei a catechumeno requisitae, placet Epiphanium, Cyprensem episc., de eodem audire. Apparebit enim e luculenta Patris hujus asseveratione, aliud id fuisse symbolum, quod catechumenos docuit primitiva ecclesia ab illo, quod hodie quodlibeticae fidei asseftores unice exigunt: *Tam vos*, inquit, in fine Ancorati sui, *quam nos ipsi et orthodoxi omnes, episcopi* et ut uno *verbo dicam, tota ecclesia catholica adversus prodeuntes identidem haereses, consentaneeque cum exposita paulo ante sanctorum Patrum fide formulari iis, qui baptismo initiandi sunt, praecipit, ut hoc modo profiteantur ac dicant: Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, omnium invisibilium visibiliumque factorem et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum a Deo Patre, unigenitum, h. e., e Patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, tam quae coelis, quam quae terra continentur, visibilia et invisibilia; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, h. e., e Maria semper Virgine de Spiritu S. perfecte genitus; et homo factus est, i. e. perfectum assumpsit hominem, animam, corpus, mentem et quicquid aliud homo est, excepto peccato, non e virili satu, nec ita ut in homine duntaxat inesset, sed in se ipsum effictam illam carnem transtulit et in unam ac sanctam singularitatem conjunxit. Non ad eum modum, quo prophetis aspiravit et in illis locutus est effecitque quidpiam, sed homo perfectus esse voluit; Verbum quippe caro factum est neque aut mutationem ullam est expertum aut divinitatem suam in naturam convertit hominis, sed in unam sanctam perfectionem divinitatemque copulavit. Unus est enim Dominus Jesus, non duo; idem Deus, idem Dominus idemque Rex. Qui passus est in carne et resurrexit et coelum cum eodem corpore conscendit. Et ad dextram Patris gloriose consedit. Et cum eodem corpore venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus et in Spiritum Sanctum, qui locutus est in lege et per prophetas praedicavit, ad Jordanem descendit, in apostolis locutus est et in sanctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus: Spiritum esse sanctum Dei Spiritum, Spiritum perfectum, Spiritum Paracletum, increatum, a Patre procedentem, accipientem a Filio, in quem credimus. Praeterea credimus in unam catholicam et apostolicam ecclesiam et in unum poenitentiae baptismum et in resurrectionem mortuorum ac justum animarum corporumque judicium et in regnum coelorum ac vitam aeternam. Eos vero qui dicunt fuisse aliquando, cum non esset Filius aut Spiritus S., aut e nihilo esse factum, vel ex altera hypostasi aut substantia, quique conversioni aut mutationi obnoxium esse dicunt Dei Filium aut Spiritum S.: hos omnes anathemate damnat catholica et apostolica ecclesia, communis*

nostrum omnium mater. Condemnamus etiam illos, qui mortuorum resurrectionem minime confitentur nec non et haereses omnes, quae huic sanctae fidei minime consentaneae sunt. — §. 22. Atque haec catechizatio veterum Christianorum fuit, impugnata ab haereticis variis, priscae ecclesiae non tantum, sed nostri quòque seculi. De sui seculi sectariis id testantur Tertullianus (de praesc. 41.) et Augustinus (de fide et oper.). De Arminianis idem constat ex actis synodicis Dordracensibus. Quamvis enim neque nos catechesin Heidelbergensem, quam impugnant illi, probemus, generalia tamen *ἐγκλήματα* sunt, quibus utuntur et quae omni catecheticae institutioni derogant; ut alios taceamus, Thomas Gesvinus, in considerationibus suis catechetieis, suggillat orthodoxorum consuetudinem et considerari vult, annon nimia dignitas catechesi tribuatur, quando non minus ea, quam ipsum Dei verbum ordinarie in coetu publico proponitur et explicatur? Item, an circumspecte satis sit dictum, catechesin esse parva biblia, ad cujus capita omnis doctrina atque conciones possunt examinari? Hisce analoga est Js. Friderici consideratio: An catechesin publice pro concione populo, sine textu sacrae scripturae, aperto capite praelegi et proponi deceat et an honor ille soli verbo divino deferendus non sit etc.? Certe alia est orthodoxorum sententia, qui catechesin christianam, non verbis quidem, sed sententiis S. S. constantem, pro maximo ecclesiae christianae thesauro habent et aestimant. Vide Luther. tom. 4. Jenens. German. et tom. 8. ejusdem. Cujus judicium in hoc negotio non immerito sequimur et ita finimus.

XXXIX.

Theoph. Schlegel de agaparum aetate apostolica *).

Animus nobis est, totam de agapis doctrinam, et nunc quidem quaestionem de aetate earum apostolica proponere, ut altera scriptione, si quando nobis ejus occasio nascetur, exponamus interpretum varias de temporibus ac ceremoniis et origine agaparum opiniones atque sententias; et, si res eo deveniat, aliqua forte tertia nostram ipsorum aperiamus. Hoc loco quandam quasi agaparum definitionem praemittemus, ut, summa rei breviter a nobis dicta, in partibus ejus persequendis ordine tum queat disputatio nostra procedere.

Agapae, vocabulum graecum, quod *caritates* proprie denotat, jam inde a primo christianismi tempore coepit usurpari pro conviviis, quae fiebant in conventibus ecclesiae vel in privatorum domibus, ante vel etiam post eucharistiae celebrationem, horis ipsis vespertinis aut nocturnis, quibus instituta est coena dominica, vel antelucanis coetibus, amoris mutui et fraterni argumento atque incitamento, unde ipsa convivia nomine agaparum dicta sunt. Interpretes antiqui et recentiores, excepto uno et altero, omnes eadem ferme sparsim de agapis commemorant et erit operae pretium per singula eundo revocare unumquodque ad historiae certam fidem. Duo igitur, quae nobis hic sufficiant, e libris N. T. loca excitabimus, quae primos Christianos eucharistiae communicasse probent institutis prius epulis, quas, ut dictum est, agapas ipsi quoque nominarint. Ex prima Pauli ad Corinthios epistola discimus, assumtos fuisse cibos, antequam coena dominica praeberetur, et in epistola Judae nomen occurrit agaparum, quod sine dubio de illis epulis intelligendum est. Conferebant et symbolam ad has coenas dabant, quibus erat, unde possent; a qua collatione pauperes ipsa necessitas eximebat. Reprehendit ergo Paulus eo nomine Corinthios, quod, quum una omnes coena vesci deberent, ditiores apud illos, proprium quisque cibum, quem domo lautum attulissent, seorsim a pauperibus comederent, quibus interea, dum ipsi bene ac libenter victitarent, esuriendum esset fortiter. Non modo autem ditiorum istam consuetudinem taxat apostolus, verum

*) Prod. Lips. 1756. 8.

etiam graviter eos vituperat, quod appeti probe Deum congregationibus his colendum ac celebrandum non revererentur et pauperes erubescere fortunae suae cogerent, quasi domos non haberent, ubi saturare honestius desideria naturae possent. Igitur Corinthiorum pravi mores, non agapae ipsae ab apostolo improbantur. Atque ita hunc locum explicat, cujus commentarios in epistolas Pauli perperam nonnulli Ambrosio tribuunt, Hilarius Diaconus, qui disertis verbis ait: *domi licere unicuique suum sumere, non in ecclesia, ubi unitatis et mysterii causa conveniretur, non dissensionis et ventris.* Nam domi recte suum quisque sumere potest; in ecclesia vero, ubi fideles ad eucharistiam in commune participandam conveniunt, allato proprio cibo vesci, dissidere a pauperibus est, quibus inopia velut exprobratur, et explere ventrem, cui donantur omnia, de quibus impertiendum pauperibus erat. In humanis etiam conviviis aequalitas observanda est; quo pertinet illud Plinii: Non ad notam agitentur convivia. Quis in illo divino et omnium augustissimo convivio non vereatur omnino praeterire pauperes et eorum famem acerbare demum satietate sua? Id in tantum culpari debet, in quantum fraternitas ad consortionem et sacramentum coenae ad sobrietatem ac continentiam Christianos devincit. Haec vera est et genuina verborum Pauli sententia, quam J. Lightfootius, ut locum credo faceret somniis suis, inficiando conatus est evertere. Primum negat apostolorum temporibus has agapas in usu fuisse. Cedo, quibus argumentis colligit, non fuisse? Argumento nullo; ceterum nova plane via et inaudita ratione. Quaenam illa est? Agaparum, de quibus Judas loquitur, aliam descriptionem subjecit atque ita putabat lectores continuo sibi credituros esse, temporibus apostolorum agapas eas, de quibus nos hic loquimur, usu nondum receptas fuisse. Nescio, quae hominem ab intellectu veri seposuerit vana persuasio. Concedamus enim, Judam significasse agapas alias, quascunque tandem libitum sit cogitando fingere: propterea non sequitur hoc, quod Lightfootius perquam subtiliter inde concludit, sequentibus demum temporibus institutas fuisse agapas eucharisticas. Est enim res certa, primos Christianos eucharistiam sumturos celebrasse communes fratribus epulas; quae, ut desint hodie scriptores, qui nos doceant, quod illae primitus nomen habuerint, ex eo tamen videri possunt agapae jam tum nominatae fuisse, quod et altero statim post Chr. n. seculo istius nominis frequens usus invaluit neque ostendi potest, aliud pro illo nomen usurpatum ab aetatis apostolicae hominibus fuisse. Nam quod Lightfootius ait, Paulum reprehendere Corinthios ob ipsas illas epulas, non ita multo post, quam id recte dicat, videbimus. Hic nobis commonendus est, epularum fieri mentionem aliis quoque in locis, ubi prorsus missae faciendae sunt ejus istae suaves ingenii justo longius exspatiantis ineptiae. Quaerimus autem de tam solerti viro ipsi acuminis obtusioris planeque tardi, cur, cum Paulus illas epulas vituperet, eas nihilominus tamen ecclesia prisca retinuerit? Hoc ipso enim, quod retinuit, agnoscitur comprobasse. Si comprobavit, utiles judicabat. Si utiles erant, quid in eis Paulus tandem reprehendit? Si dices ipsas epulas, vide, quot nodis te constrictum teneamus. Sin Corinthiorum pravos mores, quibus illas epulas dedecore-

bunt, ecquid frustra tantopere contendis agapas eas non fuisse? Nam ultro tibi de nomine concedemus, in usum illud serius venisse, dummodo virissim nobis hoc, quod veritas exterquet, a te concedatur, agapas fuisse prius etiam quam nomine signarentur. Atque ut intelligas, quam commodi simus, qui tua causa damus, non esse nomen aetatis apostolicae, quod scriptores ei aetati pares utrinque nos destituant, volumus te his, quae jam dicturi sumus, diligenter attendere. Nam quum ex eo, quod scriptor aliquis aetati apostolicae suppar ἀγάπην pro ipsa eucharistia posuit, vere fiat simile, significatum ejus verbi jam antea fuisse hunc, ut epulae denotarentur, quia probabilius est verbum de convivio humano significationem recipere divini, quam de divino capere humani: nonne miraberis facilitatem nostram, qui haec omnia, sed certi bonitatis causa, tibi condonamus? Est autem scriptor is, qui apostolorum tempora proxime, ut discipulus praeceptorum, attigit ideoque apostolicus nominatur, Ignatius, qui ad Smyrnaeos ita scribit: *Οὐκ ἔξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν.* Inde ἀγαπᾶν pro eucharistiae communicare in eadem epistola dicit: *Συνέφορε δὲ αὐτοὺς ἀγαπᾶν, ἵνα καὶ ἀναστῶσιν.* Intelligit eos, qui *εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Perire illos in altercationibus, qui negarent hoc Dei donum, quo eos uti et communicare satius fuisset, ut possent aliquando resurgere. Nam solent Patres colligere mortuorum resurrectionem, tanquam fructum eucharistiae quendam, ex sumtione corporis et sanguinis Christi ob aliquod ipsius *τοῦ σωτῆρος* dictum, quod apud Joannem legitur et notius est, quam ut hic referri debeat. Itaque mos etiam fuit apud Christianos in monumentis his, quae mortuis fiebant — coenotaphiorum nomen illis est — in quibus inerant picturae bene multae, similitudines exprimere imaginis agaparum, ut significarent eos, quorum ibi sepultura esset, ex esu carnis et potu sanguinis Christi, quibus toties in fide communicassent, resurrectionem e mortuis aliquando consecuturos esse. Grotius ad Matthaeum pro poculo mystico ἀγάπην accipit ex his verbis epistolae ad Romanos Ignatii: *καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος καὶ ἀέναος ζωή.* Unde *συνυδρικῶς* pro toto convivio dictum putat esse, quemadmodum et eucharistia *ἐκ τοῦ ἄρτου τοῦ εὐχαριστηθέντος.* Rursus τὸ αἷμα dici *μεταληπτικῶς* pro dilectione mutua his verbis ex ejusdem ad Ephesios epistola colligit: *ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Χριστοῦ.* Sed utraque harum epistolarum ex interpolatis est, quanquam illae antiquae sunt et ipsae, ut quae reperiuntur jam citatae sec. 6. per Stephanum Jobarum in bibliotheca Photii, et Anastasium Antiochenum in epistolis Gregorii papae. Veruntamen de illa Grotii synecdoche quaeri potest amplius. Nostra enim *τῆς ἀγάπης* haec est significatio, ut intelligamus dilectionem tanquam fratrum mutuam fidelium, quae illo convivio magis et magis exciteretur ac confirmetur. Atque haec hominum ἀγάπη non potest augustiore vocabulo exprimi, quam quo illam Dionysius Areopagita *ὁμοτροπίαν ἔνθεον* appellat. In isto autem loco ἄφθαρτος appositum, quod, ut loquitur Gregorius Nyss., *ἁπλῶς καὶ ἀπολύτως* de Deo usurpatur, et est *ἀν-*

δεικτικὸν τῆς θείας μεγαλοσύνης, non obscure indicat ἀγάπην divinum significare, qua θεάνθρωπος hominum salvandorum causa pretiosissimum illum sanguinem profuderit. Quid dico non obscure? quum nihil possit esse planius, quoniam sequitur καὶ ἄφθαρτος ζωή. Nam, ut Damascenus ait, αἷμα ποτὲν ἐστι ζωῆς ἀϊδίου πρόξενον. Quomodo et saepenumero coenam φάρμακον βασιλείας οὐρανῶν πρόξενον vocat Chrysostomus. Jam, si philosophari placet, ἀγάπη ἄφθαρτος est causa, cur se Christus manducandum nobis et bibendum dederit, efficiens, et quidem ὁρεκτική, quodque Theologi addunt, interna, optime hoc quidem sensu, ne tollas illa de Deo, cujus εὐτελούστατος μὲν, ἀπαθὴς δὲ καὶ παράπαν ἀμήχανός τις amor erga nos est, dici videatur impulsio, quae nos homines sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur: sicuti ἄφθαρτος ζωὴ causa est ἀντικειμένη τῇ ὄφθει ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα. Quare nec ipsa dici potest ἄφθαρτος ἀγάπη χαρὴρ ille τῆς μυσταγωγίας, qui potius ἀγάπην erga nos Dei loquitur ac testatur, ut neque ipsa dicitur ἄφθαρτος ζωή, quae potius illo tanquam pignore certissime nobis reservatur. Sed et illam Grotii metalepsin est cur improbemus. Quale istud sit, ne longius provehamur, perspici potest ex his verbis epistolae ad Smyrnaeos, quae vera et germana est Ignatii nostri: ἐδραιωμένους ἐν ἀγάπῃ ἐν τῷ αἵματι Χριστοῦ. Verum ad institutam cum Lightfootio disputationem revertamur. Is tantum abest, ut negotium nobis per omnia facesserat, ut, satis quod sit, nobismetipsi tantisper exhibeamus. Constitutiones Apostolicae dicunt ἀγάπην ἤτοι δοχὴν, ὡς ὁ Κύριος ὠνόμασε. Poterat Lightfootius huc confugere, atque ita dicere: Quodcunque ἄφθαρτον ἢ θεῖον a Christo δοχὴν vocari; si, qui constitutiones illas dedisset, quod vocabulum adhibendum esset, ἀγάπης an δοχῆς, nesciret, effici nomen agaparum et ipsas illas epulas non ita multo ante coepisse. Ut videmur agere causam adversarii? Nunc quod respondeamus paucis hoc est. Ἀγάπην suo nomine Constitutiones appellant atque addunt, ἤτοι δοχὴν voces, ὡς ὁ Κύριος ὠνόμασε. Quasi tu dicas: potest hoc aliter ac vulgo solet atque usus longus retinuit, sic nominari. Ne mihi occurras hic cum epistola ad Smyrnaeos, ad quos incertus auctor ita scribit: οὐκ ἔξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε προσφέρειν οὔτε θυσίαν προσκομίζειν οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν. Quae si scripsit Ignatius, qui jam δοχὴν dixerat, ut istud adeo vocabulum prius in usu fuerit, sequitur in Constitutionibus utrumque ita coniungi, ut alterius quaedam quasi ratio reddatur. Nam videtur hanc ob causam vocabulum δοχῆς non male recipi posse, quod eo loco, quo Christus dixit, ὅταν ποιῇς δοχὴν, idem ille addidit, κάλει πτώχους, ἀναπήρους, χωλοὺς τυφλούς. Atqui tales nos ad Deum sumus omnes, qui ad epulas illas accedimus, neque olim, cum pauperes et egenos invitarent, metuendum erat ditioribus, ne ipsos ἀντικαλέσωσι καὶ γένηται αὐτοῖς ἀνταπόδομα. Vide autem, ne locus ille tibi aliquid apportet damni. Nam προσφέρειν est idem, quod eucharistiam celebrare, praesertim quia βαπτίζειν opponitur. Jam tu nobis explica, quid sit δοχὴν ἐπιτελεῖν. Intelliges, quo angustiarum te redegerimus. Ex his in praesens liberatum te volumus, cui majores et insuperabiles maneat. Hic scito non illud, epistolam esse

interpolatam, etsi hoc quoque, verum, quod indice ac teste Salmasio comperimus atque credimus, hoc totum οὔτε θυσίαν προσκομίζειν οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν, abesse ab autographo Florentino et hominum malitia locum corruptum esse. Nam Florentini codicis lectio est eadem cum verbis, quae superius ex alia quadam genuina Ignatii ad Smyrnaeos epistola retulimus. Et, ut δοχὴν epulum interpretere, quod est ante κοινωνίαν ipsam τῆς προσφορᾶς accumbentibus exhibitum, nescias tamen, cur, cum προσφέρειν antecedat, etiam sequatur οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, quod nihil aliud ac prius notat. Est enim τῆς προσφορᾶς τε καὶ προσκομιδῆς καὶ προσαγωγῆς una eademque significatio. Verum ista quidem hactenus. Jam, quae fuerint illae, quarum Judas meminit, agapae, Lightfootium audiamus. *Eas*, inquit, *arbitramur fuisse, cum exsiperentur peregrini hospitio in singulis ecclesiis, idque sumtibus ecclesiae.* Sat habeo. Nae Lightfootius erravit, si nos putabat Horatianum illud imitaturos esse: *nil ultra quaero plebejus.* Quaerimus enim jure nostro, qui probare illud possit? Arbitrari nihil est, oportet scire. Quid ad rem, quaeso, attinuit ostendere, translatam fuisse hanc consuetudinem a synagogis Judaeorum? Quomodo nos autem ferit, morem hunc tam pium, tam christianum, tam necessarium esse? Quid hospiti totius ecclesiae Gaio faciamus? Nugae sunt hominis eruditi quidem, sed qui praeceptas opiniones ea, qua par erat, felicitate defendit. Nos ut xenodochia negaremus? ut ignoraremus illa necessaria, et pie ac christiane instituta fuisse? Minime vero. Ea, quae narrat Lightfootius, reapse vera sunt, nomine mentiuntur. Nam probare nobis hodieque debet, agapas dictas fuisse illa peregrinorum receptacula. Nullus auctor eo verbo hac significatione usus est. Ξενοδοχεῖα dicebantur et loca erant πρὸς κοινὴν ὑποδοχὴν τῶν ξένων κατεσκευασμένα, quae Basilius etiam vocat καταγώγια τῶν ξένων. Quin hoc quoque nomen ipsa re vel origine xenodochiorum coepit serius. Augustinus: *Xenodochia et monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsae et ante nomina sua erant et religionis veritate firmantur.* Erat hujusmodi κοινὸν οἴκημα, siquidem Chrysostomo credis, ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἀφωρισμένον. Quod eo monemus, quia Christianorum xenodochia repetis ab Judaeorum conclavibus, quae Megil ait contigua synagogae, synagogamque vocata et ipsa fuisse, unde viatores audire consecrationem potuerint. Ne similia omnia Christianis ac Judaeis fuisse credas. Nam plura etiam nunc suppetunt, e quibus illud est, quod in synagogis viatores tantum convivabantur et dormiebant; Christiani liberalius ac munificentius et hospitium et ministeria praebebant καὶ τοῖς κατὰ πάροδον ἐπιφοιτῶσι καὶ τοῖς θεραπείας τινὸς διὰ τὴν ἀσθένειαν δεομένοις. Audiamus porro Lightfootium, si quid habeat, quod propius ad rem sit. *Congruere* ait *hunc sensum*, puta de Xenodochiis, *optime prae omnibus aliis cum loco Judae.* Tandem πρὸς ἔπος aliquid. Sed expectandum tamen est, quibus argumentis. *Nam loqui Judam de apostatis haereticis, seductoribus, bipedum nequissimis, quos esse σπιλάδας ἐν ἀγάπαις. Hos ex eadem ecclesia, ubi sic convivarentur, esse non potuisse, qui, si agapae fuissent, ad eas absque quovis scrupulo admissi non fuissent. Dicere autem Judam*, ἀφόβως ἂν-

τοὺς ποιμαίνοντες. *Quare probabilius esse, hos peregrinos existimare ignotos, sub forma fidelium circumvagantes, atque illic errores suos disseminantes, idque eo audacius, quo ipsimet ignotiores.* In promtu nobis est, quod respondemus. Primum contendi debet cum hoc Judae loco alius Petri, quem et ipse Lightfootius ait loqui altera epistola de istis agapis, verum suppresso earum nomine, quod Judas expresserit. Igitur utroque loco mentionem videmus nullam fieri circumvagantium seductorum, vel apostatarum peregrinantium; sed illo Petri disertis verbis doctorum et pastorum ecclesiae, qui spurii sint, et isto nomine ac munere indigni. Quos ait exorituros esse demum, suisque coloribus, ut agnosci quandoque possent, ita depingit, quasi jam tum praesentes affuerint. Judas Petro scripsit serius, qui, jam παρεισέδυσαν, inquit, ἄνθρωποί τινες, quos ipsis illis, quibus usum videmus esse Petrum, coloribus describit, ut necesse sit eosdem ψευδοδιδασκάλους esse, qui sunt a Petro προγεγραμμένοι. Conferat, qui studiosus est, epistolam Judae a versu 3. ad usque 16. cum altera Petri toto ferme capite secundo, et exclamabit, Judam colores illos a Petro mutuatum videri. Quod hic eo non facimus ipsi, quia nimis ambitiosum foret alieno loco propositis utriusque verbis ea inter se comparare. Nunc ut Lightfootium suis ipsius verbis refellamus, i. e., in eo refellendo suam orationis elegantiam quantum potest imitemur, ille sensus de agapis congruit optime prae omnibus aliis cum loco Judae. Nam ψευδοδιδασκάλους, de quibus Petrus in terminis, et Judas licet non in terminis, ut opinor, causa nulla est, quin Lightfootius absque ullo scrupulo ad agapas admissurus sit, quippe quos ex eadem ecclesia concesserit esse posse. Dicuntur a Petro σπῖλοι καὶ μῶμοι, quos interpretor ego maculas et probra totius ecclesiae. Quod nisi de falsis doctoribus, qui locum in agapis habuerint, equidem non arbitror dici posse. Nam quis ecclesiae opprobret, quod, cum notos ignotosque omnes hospitio liberaliter accipiat, inter eos receperit ad tempus aliquod malos etiam, quos a bonis ipsa distinguere non poterat? Et maculae, quae tandem penitus insident atque inveterant, ubi conceptae sunt, non erunt ecclesiis illi τολμηταί quamvis et αὐθάδεις hospites, qui κατὰ πάροδον ἐπιφοιτῶντες eodem loci non amplius uno et item altero mense restabunt. At falsi doctores, quemadmodum diximus, et maculae sunt, quia perpetuo manent, nisi deleantur, et probra ecclesiae, quae scelus eorum, si attendisset, punire poterat. Sed neque hoc, ut ego arbitror, apte convenienterque in eos dici potest, nisi ex eadem ecclesia, hoc est, unius et certae pastores ecclesiae, fuerint. Et ut intelligas doctores vagabundos illos et erraticos, nihil enim, si quis ita contendat, impedio, tamen his quoque locus est in agapis assignandus. Nam quis inde doctorem excluserit, quo recipitur πᾶς τις τῶν πιστῶν λαϊκός; Non id fecere Christiani, quos Petrus et Judas alloquitur; ne tute feceris, qui speres illis esse prudentior. Nam describuntur ab utroque apostolo οἱ ψευδοδιδάσκαλοι συνευωχούμενοι τοῖς πίστοις. Est enim propius, ut et apud Judam legatur συνευωχούμενοι ὑμῖν, ut optime Stephanorum editiones exhibent. An vero putas omnes ejusdem ecclesiae Christianos in xenodochiis ordinarie coenatos esse, quibuscum illi epulas inire dicun-

tur? Nihil hoc est, quia, si tibi plurimum largimur, a nonnullis factum fuerit, non ab omnibus, non quotidie, sed nonnunquam. Et Christianorum coëpulares dici poterunt hi circumforanei doctores? quos cum peregrinos existimas ignotos, sub forma fidelium circumvagantes, atque communi ecclesiae hospitio receptos, non animadvertis, quid consequatur, eos videlicet, incertos omnium rerum, non uno eodemque loco diu tanquam in domicilio fixo et stabili permansisse. Qui si cito abierunt, et Christiani raro, idque pauci tantum, in xenodochiis coenarunt: quomodo cum Christianis agitare convivia poterant? Illud etiam responde, num quo ullo modo suos errores illic disseminare poterant? Inter Christianos? At illi nec frequentes et raro, nisi forte visendi causa, eo commeabant. Inter aegrotos et hospites reliquos? At Petrus et Judas procul dubio non ad viatores, quibus epistola vix reddi poterat, sed ad omnes omnium ecclesiarum Christianos illa scribunt, quos ego puto tum valuisse recte. Satis igitur apparet, illos ψευδοδιδασκάλους non in xenodochiis coenasse; restat, ut in agapis. Necdum argumenta omnia exhausimus. Pollux εὐωχίαν ait esse δημοσίαν ἑστίασιν. Ea mihi videtur non quae fit ἐκ δημοσίου, *publico sumtu*, sed quae fit ἐν τῷ δημοσίῳ, *publice*, festa illa et quodammodo solennis. Ut δημόσιος ἀγών apud Graecos dicitur, qui sunt publici et solennes ludi. In xenodochiis autem coena praebetur ἐκ δημοσίου. Agapae celebrantur ἐν τῷ δημοσίῳ. Non igitur, qui συνευωχούμενοι dicuntur, in xenodochiis illi, sed in agapis, coëpulantur, ut Augustini verbo utar, quo non inscite Graecum illud interpretatus est. Nam Latinis epulum δημοθοινίαν significat ideoque non sum veritus paulo ante coëpulares pro convivis dicere, cum epulares quidem Varro nominarit qui nocte epularentur. Diximus autem primos Christianos horis vespertinis aut nocturnis eucharistiae communicasse, quod alio die planum faciemus datis in eam rem firmis et gravibus auctorum testimoniis. Porro doctores illi σπιλάδες ab apostolo Juda vocantur. Quod habet elegantem rationem, si conjunctim legas, οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, ut recte ab Stephano legitur, non, ut Erasmus paene dicam frigidiuscule, οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, et post comma demum, σπιλάδες, quod ipse poterat animadvertere discindi sic orationem et quandam nasci tautologiam, cum sequantur statim συνευωχούμενοι. Sed ille deceptus est eo nimirum, quod, cum συνευωχούμενοι tantum legeret, non ὑμῖν etiam, prius illud reddi posse credidit: *inter se convivantes*. Itaque sic hunc totum locum circumscripsit in paraphrasi sua: *Illi sunt qui vobis pure casteque viventibus et evangelicam amplectentibus caritatem, veluti maculae sunt, dehonestantes gregem vestrum, ac vobis jejunantibus, luxuriosis commessationibus inter sese indulgentes.* Nos miramur primum, quid sit, quod ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν ita verterit: *amplectentibus vobis evangelicam caritatem.* Deinde quod inconstanter adeo σπιλάδας nunc conjungat cum praecedentibus. Tum quod velut de proprio: *jejunantibus vobis* addat. Postremo quod interpretetur συνευωχοῦσθαι luxuriosis inter se commessationibus indulgere. Scio, verba illa βαθυμῶν καὶ εὐωχούμενος, quae de Nabuchodonosore leguntur in libro Judith, a plerisque omnibus ita verti,

riosa convivia agitans. Verum illa patiuntur, imo desiderant interpretationem eam, quam superiora nostra subjiciunt. Qui domum redit e militia et gravi Martis opere vacat, non ille propterea luxuriari, sed otio frui dicendus est. Nabuchodonosor, Arphaxade devicto, domum ἀνέστρεψε καὶ πᾶς ὁ σύμμικτος αὐτοῦ· καὶ ἦν ἐκεῖ ῥαθυμῶν: otio fruebatur et belli molestias quiete compensabat: καὶ εὐωχούμενος αὐτὸς καὶ ἡ δύναμις αὐτοῦ: dicitur quomodo illud otium et illam quietem traduxerit, instituens epula nempe solenniora et militibus praebens, quorum corpora refici et animos recreari volebat. Quae res habet nullam speciem luxuriae praesertim cum Nabuchodonosor interea res magnas animo versaret ac meditaretur. Nam finitis centum viginti diebus — quam breve τῆς ῥαθυμίας καὶ τῶν εὐωχίων tempus, cum ne longissimum quidem luxuriae satis sit — concilium statim convocans ἔθετο μετ' αὐτῶν τὸ μυστήριον τῆς βουλῆς αὐτοῦ. Quodsi συνευωχούμενοι ὑμῖν apud Judam legas, ut est in libris non malis, et suadet locus Petri παράλληλος, quia nihil est, quo confugere cum illo ὑμῖν Erasmus possit, res ipsa clamat, intelligenda esse convivia honesta illa et publica, et, quod proprium eorum nomen est, caritativa; non luxuriosa et turpia et similia plane commissationibus, utpote quas inituri nunquam Christiani fuissent. Erasmus enim quandam quasi latebram quaerit eo, quod apud Petrum in latina versione, contra quam et ipse distinguit in textu graeco, et orationis admittit sententia, refert ὑμῖν ad ἐντρυφῶντες, et συνευωχούμενοι ad ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, ita reddens: *qui convivantes in erroribus suis insultant vobis.* Non intellexissem, quid esset, *in erroribus convivari*, nisi Erasmus in paraphrasi semetipse interpretatus esset hoc modo: *qui in foedis illis commessationibus, in quibus miserabili errore ponunt summam felicitatis, vobis insultant velut insanis, qui praesentis vitae commodis non fruamini.* Quod potest esse verum; sed quaeritur, an illud sit in erroribus convivari, et praeprimis, an ὑμῖν referri possit ad ἐντρυφῶντες hoc plurium verborum intervallo, cum statim sequatur post συνευωχούμενοι, quod rationabilius est conjungere cum ὑμῖν, quam, eo pronomine sine causa et vi quadam turbato possessione sua, invitis gratiis interpretari sic, quasi scriptor ἀλλήλοις voluerit subintellegi, quem, si voluisset ὑμῖν ad ἐντρυφῶντες referri, credibile est, ut hominem prudentem, nedum instinctu divino afflatuque prospicientem omnia longissime, illud ei nullo verborum interjectu, qui orationi ambiguitatem pareret, additurum fuisse; quo nobis hanc ipsam disputationem, quam nunc Erasmo justa et magna de causa movemus, omnem omnino praecideret. Est autem planum ac perspicuum, ἐντρυφῶντες ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν esse conjungendum et significare, qui suis erroribus tanquam deliciis oblectant sese, qui magnam ex erroribus suis voluptatem capiunt, qui fovent illos et eis quodammodo luxuriantur. Hebraica constructio, cum Graeci dicunt ἐντρυφᾶν τινι, contra Hebraei התענג על רנת. Sic illud Esaiae על־מי תתענגו LXX reddiderunt ἐν τίνι ἐνετρυφήσατε; qui locus vehementer facit ad interpretationem verborum Petri. Et Erasmus videtur mihi non dico ignorasse hunc Hebraismum, sed in memoria non habuisse, cum illa scriberet, hanc phrasin hebraizantem LXX; alioqui non

tam violenter quasi retraxisset ὑμῖν ad ἐντρυφῶντες, quod exigere patebat casum rei vel personae dantem sine praepositione. Non enim verisimile mihi fit in ea illum haeresi fuisse, ut existimaret divinos libros, qui graece scripti essent, attica elegantia scriptos esse. Quae opinio hominum litteris graecis, quas Erasmus impense doctus erat, acutive viaticatorum vel hoc exemplo refelli potest. Sed Erasmum poterat aliud revocare. Nam ἐντρυφῶντες ὑμῖν est, quemadmodum interpretatus est ipse, qui vobis insultant; quod ipsum puto jam dixerat Petrus, cum illos τολμητὰς et αὐθάδους appellaret. Deinde quia de σπίλοις καὶ μώμοις ἐντρυφᾶν dicitur, macularum non est insultare nec ausint facere, quod nequeant, probra hominum. At impuri contra sordibus gaudent et scelesti quodam furore impio bacchantur. Hoc est ἐντρυφᾶν ἐν ταῖς ἀπάταις. Errores enim sunt verissimae sordes animi, quique in eis perseverat ipsisque titillatur, verum scelus est. Quo abiit oratio nostra? Sed illa statim redibit, modo nobis liceat Gussetium praetereundo paucis convenire. Frustra est, quod putat עג *delicias notare tantum licitas*, ne recedam ab ipsis ejus verbis. *Esaiae locum* eum, quem ante produximus, ait *videri male sonare*. Scilicet is ei adversatur. Quo modo? *Solet sumi de ludibrio, quo improbi vel justum defunctum vel Deum vel prophetam sugillant; quae deliciae sunt malignae vitiosaeque.* Nihil hoc est, quia nunquam ludibrio habemus eum, quo delectamur atque gaudemus. Ἐντρυφᾶν autem τινὶ vel ἔν τινι significat isto loco voluptatem ex aliquo percipere. Nam ἀνοίγειν τὸ στόμα καὶ χαλᾶν τὴν γλῶσσαν ἐπί τινα, non est hominis magnifice se circumspicientis et reprehensoris malevoli, qui os effert atque spectandum praebet, et linguam divertit ad alterius mores et nomen ac vitam; sed hominis admirantis et laudibus aliquem praedicantis, qui os ad illum convertit hians, et exerta lingua, quasi verba captare volens, et exclamanti similis: Euge, Euge, πάλιν, facile palmam habes. Is autem, ἐφ' ὃν ἀνοίγουσι τὸ στόμα καὶ χαλῶσι τὴν γλῶσσαν, erit forte, quem Latini dicunt esse in desiderio civitatis, in ore, in sermone omnium. In libro primo Samuelis non me latet על-אויבי paulo aliter explicandum esse. Nam hostibus non delectamur. Sed eis non insultant etiam, qui pietatem colunt, ut Anna. Quare nihil aliud est, quam os aperire dicendo refutandisque ac commonendis hostibus. Itaque LXX verterunt ἐπλατύνθη ἐπ' ἐχθρούς μου τὸ στόμα μου. Nam πλατύνεσθαι proprie dilatari est. Quod latescit autem, laxum sit oportet. Jam laxum esse ac liberum perinde usurpatur. Paulus ad Corinthios altera epistola, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς· μὴ γίνεσθε (viden, quid opponat?) ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. Cor, quod habere recessus dicitur, apte dicas πλατύνεσθαι. Idem ille paucis ante versibus, τὸ στόμα ἡμῶν, inquit, ἀνέῳγε πρὸς ὑμᾶς· ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται. Sic apud Samuelem τὸ στόμα τῆς Ἄννας ἀνέῳγε πρὸς ἐχθροὺς αὐτῆς· ἡ καρδία ἐστερεώθη ἐν Κυρίῳ καὶ ἐπλατύνθη ἐπ' ἐχθροὺς αὐτῆς. Erat prius timida nec adversariis audebat contradicere, quod animi pendebat et curis premebatur. Nunc animo confirmato et excessis ex corde curis non veretur adversarios alloqui et refutare ac monere. Nam quae sunt ejus verba? ὅτι οὐκ ἔστιν ἅγιος ὡς Κύριος et, μὴ καυχᾶσθε καὶ μὴ

λαλεῖτε ὑψηλά. Quae verba non sunt insultantis alteri et alterum ludificantis. Igitur cum quaerat Esaias, in quonam vobis tantopere placetis et exultatis et triumphatis? non quaerit etiam, cui insultent et quem ludibrio habeant? Nisi si tu credas eundem illum pariter ludibrio atque in deliciis haberi posse. Videamus tamen, quid respondeat noster. Cum nihil adversetur illa, quam retulit, interpretatio, fortasse ita respondebit, ut sibimetipse verius adversetur. *Prima interrogatio forte melius referetur ad objectum, quod sibi posuerunt felicitatis suae fundamentum, de quo versibus sequentibus agitur, nempe idola et exteros idololatras: et est idem motus ac hominis justi circa Deum.* Prius audio. Sed idem quoque de duabus reliquis interrogationibus valet. Quid autem *forte melius* est? Nonne prorsus ita? Quomodo non rectissime, cum alterum sit nihil? Posterius ajo falsissimum esse. Nam impiorum cassa est vanae felicitatis opinatio; piorum certa beatitudinis verae persuasio. Utrique laetantur bono quisque suo et ejus auctore superbiunt; an impiorum animi affectio, quam lumine mentis carentem proprie nominarunt amentiam, comparanda est ullo modo ad vim et naturam ejus affectionis, qua pii et fideles in Deo gloriantur? Atqui Gussetius non comparat tantum, sed eandem plane utrorumque dicit esse. Non illud contendam notionem verbi ab objecto legitimo ad non legitimam translati mutare in tantum, quantum falli Gussetium in eo, quod impiorum distortam et pravam animi affectionem ab illa piorum non distinguat. Sit illa, quam in idolis quaerunt, voluptas impiorum tam delicata et mollis, quam est piorum, qui fruuntur amore Dei; hoc nunc quaerimus, an, cum dixerit ענג delicias tantum licitas notare, impios autem dici concesserit התענג על חרפים, hae illorum deliciae sint licitae? an probaverit esse licitas et laudem reportare? annon sibimetipse adversetur? Colligit se tandem, et rixam advertit orationis suae; nam ita concludit: *Imo etsi minus hac vice verbum sibi constaret, proprietas tamen ejus notanda esset ex aliis omnibus exemplis elucescens.* Potuisset existimationi suae, de qua tot aliis locis plurimum perdit, hoc loco consulere atque illam disputationem lucrifacere, inspecta versione graeca, quae, ut jam dictum est, habet, ἐντρυφᾷν ἔν τινι, cum alibi locorum, ubi התענג על־יהוה dicitur, habeat vel πεποιθέναι ἐπὶ Κύριον, vel κατατρυφᾷν τοῦ Κυρίου, ut et in psalmis התענג על־רב שלום κατατρυφᾷν ἐπὶ πλήθει εἰρήνης. Verum Gussetius non excitavit hunc locum, ut nec alios duos Jobi, apud quem semel atque iterum התענג על־שדי. quod in oratione aliqua Eliphatii LXX vertunt παῤῥησιάζεσθαι ἐναντίον Κυρίου, et in alia Jobi παῤῥησίαν ἔχειν ἔναντι Θεοῦ. Quo posteriore loco LXX tota interpretatio aliam sententiam habet ac Jobi putamus esse, qui Schultensium vehementer auctorem sequimur. Is in אם־על־שדי יתענג nullam neque interrogationem neque conditionem agnoscit, sed ex mente Jobi, quam copiosissime declarat, illa verba sic interpretatur: *Profecto in Omnipotente deliciabitur.* Et verbum התענג ait *singulari emphasi et gratia pollere, inferens delicatum et superbum quasi gaudium, quale sit amatoris amatam suam possidentis. Hinc pulcherrime transferri ad delicias animae fidelis in Deo exultantis. Nihil impedire interim, quo minus ad gloriationem et superbiam spiritualem*

hypocritarum, serie illuc ferente, applicetur. Vera eruditissimi hominis oratio, prae qua nihil est, quod ait Gussetius, עמ *exprimi posse ubique per Gallicum* aise, *quod non solum motum animi affectumve, sed etiam statum ex illo resultantem complecti.* Deinde locum affert ex Proverbiis, לא־נאוה לכסיל תענוג, quo interpretando nobis haudquaquam satisfacit. Sed nimis quidem divagamur. Neque vero lectores irasci nobis debent, quod a cursu deflexerimus, qui non eramus nescii praeternavigaturos nos esse σπιλάδας, quas voluimus aliquantisper evitare. Σπιλάδες enim sunt, Suida interprete, αἱ ἐν ὕδασι κοῖλαι πέτραι. Jam nobis haec admodum videtur esse verborum Judae sententia: qui falsi doctores, ut navigantibus improvisa quaedam saxa, coëpularibus imprudentibus ex inopinato perniciem creant. Ita veteres hunc locum intellexisse discimus ex Oecumenio, qui ad eum ipsum σπιλάδας ait esse τοῖς πλέουσιν ὀλεθρίους, ἀπροσδοκήτως ἐπιγινομένας. Quod in doctores falsos bene convenit, utpote a quibus, cum non praesumerentur esse mali, nunquam quidquam fraudis ac periculi timuissent in isto caritatis epulo Christiani. Si dicas ignotos fuisse, qui per omnes ecclesias incerti vagarentur: ut ab obscuritate sumserint audaciam, non inde tamen sumere poterant hoc, ut essent in existimatione atque in auctoritate, qua fallerent imprudentes animas tutius, quae nullas insidias fieri saluti suae aut intelligerent aut etiam suspicarentur. Ideo Judas ait, συνευωχούμενοι ὑμῖν ἀφόβως, qui nullo cujusquam metu securi scelerum suorum, nemine de ipsis hac dignitate viris quidquam secus expectante, vobiscum sacras illas coenas ineunt. Ἀφόβως enim potius ad συνευωχούμενοι retulerim, quam ad ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, hanc maxime ob causam, quod, cum jam dictum sit, eos in agapis esse atque adeo coëpulari cum fratribus, ex hoc solitario συνευωχούμενοι quoddam tautologiae vitium emersurum esset, nisi cum ἀφόβως conjungatur; quo addito sententia vim nonnullam concipit et priorem vehementer illustrat. Nam ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες interpretari licet sine illo adverbio, quod, quia sententiam non adjuvat, commodius abesse potest. Hoc enim Judas ait: Qui, cum pastores ecclesiae sint, pascunt illi quidem semet ipsos; animas autem fideles, quas proprie pascere debebant, venenoso pabulo interficiunt. Quid igitur, cum ita planum fecerimus, ut nulla dubitatio relicta sit, agapas a Juda nominari: quid, inquam, restat amplius ad te convincendum et ad rei veritatem demonstrandam, nisi ut illa duntaxat levi negotio removeamus, quae tu pro antecapta opinione aetatis agaparum apostolica posterioris haud sane majori quam vaniori molimine struis ad tollendam veram orationis Pauli sententiam. Superius a nobis ostensum est, Corinthios a Paulo reprehendi, quod, cum ad agapas convenirent, illi tantum coenarent, qui domo secum cibos attulissent, pauperibus, qui non potuissent, famem patientibus, cum illos quidem cibos in medio poni oporteret, ut omnes inde sumere possent communiter. Haec tota velut acie pugnant et adversantur Lightfootio, qui, ne opinionem tam novam et singularem necesse habeat seponere, pro illa nihil non audet opponere. *Judaicam ecclesiae partem*, et cetera, quae primario loco sumit, sumit precario, ut videamur eum refutasse, cum silemus. Ἴδιον δεῖ-

πνον interpretatur esse *coenam, quae comedenda domi, si quis adeo famelicus ante eucharistiam, ut non potuerit abstinere; coena, quae in ecclesiam importata, eam dehonestavit.* Nobis *ἴδιον δεῖπνον* aliud nihil est, quam propria coena, h. e., quam quisque vel ipsemet coxit vel paravit aut aliquo attulit. Hoc loco dicendus erit attulisse. Neque sumus tam perspicaces, quam fuit Lightfootius, ut ex illis duobus verbis animadvertere possimus, quid a Paulo improbetur. Plane considerandum est, quod additur, unusquisque coenam suam *προλαμβάνει.* Vituperat ergo, quod propriam quisque coenam anticiparet atque occuparet. Non igitur, quod ederet, verum quod praeripiendo et solus comedendo participes ejus non faceret, qui nullum *ἴδιον δεῖπνον* haberent. Ac subest nonnihil acuminis, quo pungit ipsos; propriam vero coenam esse, quam fraternitatis obliti nescirent esse communem. Sed haec supra jam declaravimus neque dum Lightfootius quidquam dixit, quo nostra defendenda forent. Iterum Judaeis et paschatizatione adversus nos pugnat, eventu nullo, quippe quae nihil ad rem pertingunt. Si quid extra causam nostram videatur moneri debere, illud est, quod Judaeis errores tribuit hujusmodi, qui negent eos ullo modo Christianos fuisse. Nam ritus Mosaicos nonnullos retinere poterant ob amorem patrii moris nihil obfuturos illos necessariis Christianismi partibus; at eucharistiam si crediderunt in eandem commemorationem cum paschate institutam fuisse, nae graviter impacti sunt in errores maximos circa praecipuum christianae doctrinae caput absolute ac simpliciter non secus interpretandum credendumque. Sed propius jam noster aggreditur. *Non est, quod novimus, qui ὃς μὲν πεινᾷ non ad pauperes adplicet, et ὃς δὲ μεθύει ad divites, at videntur potius ad variam gentem adplicanda. Μεθύει ad Judaeos in procoeniis suis paschatizantes ante eucharistiam et πεινᾷ ad gentiles non tam ex paupertate et necessitate inediam istam patientes, quam quod coenam talem praecedaneam nollent amplecti.* Falsum; nam Paulus diserte interrogat: *ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ καταφρονεῖτε καὶ κατασχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας;* Neque enim si nolo edere, cum possem, videor mihi pudefieri eo, quod alter edit; sed tum, cum volo edere nec unde possim habeo, pudorem alter injiciet mihi, qui, cum invitare me non tantum pro humanitate, sed pro quodam quasi officio suo deberet, carnis portionem largam cum comminutis ossibus in se solus transvorat. Et hunc quidem excusarit ad me tam dira fames; illos nihil poterat, qui finito tempore ac loco ejus ipsius unitatis ac communionis causa, non ad stomachum replendum et exsaturandum, convenerant. Ceterum nescio cujus gratia dixerit *mollius interpretari licere vocem μεθύει, quam ut ad extremam ebrietatem extendatur.* Nisi forsitan eo, quia credebat nos credere hunc ebrietatis illum abusum esse, quem reprehenderet apostolus. Nam subjungit: *Videtur apostolus in ipsas coenas potius quam abusum invehi; quia, si coenarum istarum crapula illud fuisset, quod praecipue criminatur, in rem istam nervos redarguitionis suae intendisset fortius.* Nos *μεθύειν* ad extremam ebrietatem non extendimus hoc loco. Abusum, quem reprehendat apostolus, omnino credimus esse hunc, quod exclusis pauperibus, ditiores occupabant cibum suum, qui cum illis fraterna caritate

communicandus erat. Quae res famem velut arguit praesumentis, et ab apostolo satis notatur: *μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε*; repetita versus finem sententia. Quin ego *nervos redarguitionis*, quae tam fortiter in ipsas coenas intendantur, nullos prorsus video. *Et hanc*, inquit, *esse veram causam enormitatis, quam corrigit apostolus versu* 33, *nempe quod nollent alius alium expectare; pars gentilitia non expectare usque dum judaica tempus suum, quantumcumque foret, coenando insumsisset.* Bene, quod *enormitatis* ejus, quam Paulus Corinthiis exprobat, *causam* repetit ex versu 33, quo nempe illud ipsum enorme corrigitur. Nam quibus verbis corrigit? *ἀλλήλους ἐκδέχεσθε*. Quod interpretatur non ex vero, et contra semetipsum Lightfootius. Statim enim subjicitur: *εἴ δέ τις πεινᾷ, ἐν οἴκῳ ἐσθιέτω*. Quod nullam causam habet, cur Paulus dixerit, ac potius adversatur. Erat enim causa nulla, cur Judaeos admoneret, ut explerent famem domi, si quis esuriret; quoniam gentiles, cum prius admoniti sint, expectabant, usque dum Judaeorum coenula comesta fuerit. Et adversatur, quia, si alterum est, alterum tollitur. Neque Lightfootius animadvertit, quantopere secum ipse pugnet ac dissideat. Quid enim? si nobis ultro dat, gentiles admoneri, ut, dum Judaei coenam absolverint, expectent: nonne illud etiam necessario concedendum est, coenas ipsas non esse, quas reprehendat apostolus, qui nunc adeo gentilibus, ut eas maneant, injungit ac praecipit. Igitur *ἀλλήλους ἐκδέχεσθε* nihil h. l. est aliud, quam convivio alter alterum excipite; unde supra *δοχὴν* apud Lucam habuimus. Jam nulla pravitas orationis est, *εἴ δέ τις πεινᾷ, ἐν οἴκῳ ἐσθιέτω*. Nam ditiores illi, qui, quos domo secum cibos attulerunt, ipsi soli comedebant, non adeo leges humanitatis ac caritatis demum christianae, quam nondum penitus exuerant, migrasse putandi sunt, ut omnia comederent eo, quasi modicam portiunculam pauperibus inviderent, sed quod ipsos ita fames appellabat, ut viderentur intrantem stomachum non bene leniturі, si quid de demenso suo pauperibus praebendum foret. Igitur Paulus eos commonefacit, ut in posterum cibos in commune participandos omnibus proponant adeoque mensa pauperes excipiant. Nam si quis ditiorum ita esuriret, ut, nisi pauperibus exclusis, allato cibo satiari non posset, eum nihil prohibere atque impedire, quo minus edat domi, quod et quantum et quibuscum vellet, immo solus etiam, si sic potius duceret; ut ne quae perperam fierent in his conventibus divinam poenam accerserent. Ecquis enim paulo ditiorum valdius esuriat, quam pauperculi? Numnam fame continuo laborabit, si pauperes in partem vocet? Annon edere domi potest amplius, *εἴ τις δοκεῖ πεινῆσειν*. Ita namque vehementer placet accipere illud *εἴ τις πεινᾷ*, postquam intellexi, *J. A. Eraestium* sic esse interpretatum.

XL.

J. G. Mörlin de origine agaparum veterum Christianorum *).

§. 1. *Ἀγάπαι* ab amore nomen ducunt, solenne caritatis convivium primis olim Christianis dari solitum denotantes, *δεῖπνον ἢ ὡς συστατικὸν ἀγάπης, ἢ δι' ἀγάπην γινόμενον* ut inquit Theodorus Balsamon ap Beveregium in pand. can. I. p. 243. Quo sensu etiam Pindarus *φίλον τράπεζαν*, i. e. *φιλοποιὸν* vocat, ut explicat Scholiastes teste Lorino. Quare etiam Tertullianus (apolog. 39.): *Coena nostra de nomine rationem sui ostendit, id vocatur, quod dilectio penes Graecos.* — §. 2. Agaparum in S. S., si rem ipsam requiras, saepenumero, si nomen, bis mentio injicitur. Apud scriptores ecclesiasticos utroque numero et *ἀγάπην* deprehendimus et *ἀγάπας*. Peculiarem significationem in foedissimis Gnosticorum et Carpocratianorum ritibus *ἀγάπη* habet apud Epiphanium (haeres. 26.) et apud Tertullianum (de jej. 17.) de sacris Psychicorum.

Nominantur *ἀγάπαι* II Petr. 2, 13. et Jud. 12. Orta quidem est in nonnullis codd. confusio *ἀγάπης* et *ἀπάτης*. Sed quod ad priorem locum attinet, praecipue codicis. Alexandrini autoritate commoveor, ut probabiliter admodum ducam legendum esse non *ἐν ἀπάταις*, sed *ἐν ἀγάπαις*. Hoc etiam ad confirmandam lectionem *ἐν ἀγάπαις* accedere videtur, quod phrases *ἐντρυφῶντες* et *συνευωχούμενοι ὑμῖν* de conviviis proprie, quorsum etiam *ἀγάπαι* referendae erant, sunt accipiendae. Calculum etiam Grotius huic lectioni suum adjicit eamque silentio arabicae versionis defendit et confirmat. Sed quoniam pronomen *αὐτῶν* sibi putat contrariari, longius, quam fas est, progreditur illudque proprio ausu e textu eradere annititur. Ratio, quae Grotium permovit, haec fuit, quod credidit, *de haereticis dici non posse ἐν ἀγάπαις αὐτῶν, quum agapae publica ecclesiae autoritate fuerint institutae.* Sed non sufficiunt haec. Nemo enim ignorat, etiam haereticos agaparum nomen usurpasse unde Agapeti. Quod ad posteriorem locum ep. Judae attinet, equidem non nego, Alexandrinum codicem habere *ἐν ἀπάταις*, sed per omnia tantae autori-

*) Prod. Lips. 1730. 4. Solet haec commentatio simpliciter: de agapis veterum Christianorum inscribi; sed pro rei in ea tractatae ratione et uti ab auctore ipso in inscriptionibus singularum plagularum factum est, ei, uti factum est, inscribendum esse putavi. Not. edit.

tatis eum non esse, quin gravissimis causis urgentibus ab eo recedere liceat. Non enim modo phrases συνευωχούμενοι et ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες iterum hic loci occurrunt; sed Clemens etiam Alex. (Strom. 3. p. 431.) pro hac legendi ratione militat, qui postquam de agape Carpocratea egerat, ita pergit: Ἐπὶ τούτων καὶ τῶν ὁμοίων οἶμαι προφητικῶς Ἰούδαν ἐν τῇ ἐπιστολῇ ἐρηκέναι· Ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι, οὐ γὰρ ὕπερ τῆ ἀληθείᾳ ἐπιβάλλουσιν, ἕως, καὶ τὸ στόμα αὐτῶν λέγει ὑπέρογκα: Accedit et hoc, quod Augustinus (de fide et operibus 28.) hunc locum citans et dilectiones nominans ἐν ἀγάπαις potius, quam ἐν ἀπάταις legendum esse suadeat.

§. 3. Quae autem de ipsa agaparum origine proferri a plerisque solent, adeo in diversas partes abeunt, ut incertum prope lectorem reddant. Const. L'Empereur (in Middoth. C. H. sect. 6. p. 81.) ex moribus Judaeorum variisque illorum in exedris templi conviviis fluxisse eas autumat. Quae sententia, quum ad Judaeos omnem agaparum originem referat, quousque valeat, deinceps videbimus. Ex conviviis Essenorum deducit eas Boulducius (de eccles. post legem 12. §. 3. p. 89.) confidenterque, quod Baronius facere dubitaverat, agapas ex convivio Essenorum derivandas esse affirmat. — §. 4. Witsius (in comment. ad ep. Jud. v. 12. in Meletematib. Leid.) ex parte eas fluxisse judicat vel ex ista Judaeorum consuetudine, qua decimam quamque partem obtulerunt cum ad sustentandos Levitas, tum ad pauperes juvandos, quas oblationes πτωχοδεκάδας fuisse nominatas ex Hieronymo observat Dav. Chytraeus (enarrat. in pentat. p. 333.) vel ex familiarum conviviis de carnibus sacrificii eucharistici dari solitis, de quibus Deus ipse disposuerat, (conf. Chytraeum), quibus etiam exinde nomen συνδείπνων impositum fuisse ex Josepho et Philone Grotius (ad Matth. 26, 26.) observavit. — §. 5. Lightfootus (in comment. ad 1 Cor. 11, 21.) quemadmodum peculiarem de agapis sententiam fovet, hospitalitati, qua peregrini in singulis ecclesiis communi ecclesiarum sumtu excipiebantur, agaparum nomen impositum fuisse putans: ita etiam quantum ad originem pertinet, easdem e synagogis Judaeorum ad Christianos translatas statuit, confirmaturusque sententiam suam, dicta quaedam Talmudica adducit, quibus conficere satagit, propinquum vel contiguum omnino synagogae xenodochium quoddam fuisse, quo communibus synagogae sumtibus excepti fuerint peregrini et viatores, atque hinc agapas Christianorum ortas esse, quam tamen ejus opinionem, quamvis doctissime propositam, argumentis ex scripturae veterisque historiae silentio depromptis solide refutat l. l. Witsius. — §. 6. Alios ex Hebraeorum vocabulo מסה (Deut. 16, 10.) Christianorum missam conjunctamque cum ea agaparum celebrationem arcessere testis est Chytraeus his verbis: *Extat in ebraeo textu vocabulum* מסה, *unde appellationem totius ritus dominici tot jam seculis usurpatum primum manasse quidam existimant*; accedunt huic sententiae Claudius de Sainctes et Jacobus Pamelius. *Fuit enim* — ita pergit Chytraeus — *apostolorum aetate et multis postea seculis in ecclesia christiana usitatum, ut populus ad coenam Domini accessurus ad mensam Domini in usum pauperum et ministrorum ecclesiae panem, vinum, frumentum, uvas, oleum et alia ad victum pertinentia, singuli pro modo facultatum suarum offerrent,*

sicut in V. T. Israelitae ad templum Domini accedentes non apparere vacui in conspectu Domini Dei sui, sed offerre unusquisque secundum quod habet juxta benedictionem Domini Dei sui, jubentur. Et paucis interjectis: *multis in locis*, pergit, *etiam usitatum fuit, convivia, quibus pauperes reficerentur, a ditioribus institui, quae ἀγάπας nominabant.* — §. 7. Et, ut ingenue rem ipsam loquar, mihi certe non videntur agapae ex solis Judaeorum ritibus repetendae. Non Judaei tantum ad christianam religionem transierunt suaque simul solennia transtulerunt, sed gentiles etiam et horum quidem, si numerum inire volueris, longe Judaeis plures, id, quod vel ex multitudine eorum patet, qui pentecostali tempore concioni sacrae intererant et sacro quodam horrore perfusi dicebant: *Οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι κτλ.* Act. 2, 7 ss. quibus certe, ut reliqui etiam eo facilius perducerentur, de suis etiam ceremoniis aliquid permittendum erat. Hanc enim indulgentiam ut prudentia suadebat, ita necessitas exigebat. Paulus certe in lucro ponens, si quos religionis christianae partibus adjungere posset, illud innuit, ἀπρόσκοποι, dicens, *γίνεσθε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ· Καθὼς κἀγὼ πάντα πᾶσιν ἀρέσκω μὴ ζητῶν τὸ ἐμαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν ἵνα σωθῶσι* (1 Cor. 10, 32—33). Quam apostoli sententiam si cum illa moderatione atque aequitate composueris, quam patres synodi Hierosolymitanae adhibuerunt, facile adsertionis hujus veritatem confirmari posse credo. Illustre aliquod exemplum afferam. Gregorius M. Anglis ad fidem christianam conversis, censuerat, omnia religionis gentilium vestigia delenda esse, quod opus ut eo efficacius aggrederetur eoque felicius perficeret, Edilberto regi scripserat, in consilium vocaverat Augustinum omnique opera in tollendis et abrogandis gentilium, tolerabilibus etiam natura sua ritibus elaboraverat, memoriam adeo fusae per gentes hominum superstitionis deleturus. Quum autem intellexisset, se longius progrediendo alienasse potius quam conciliasse animos societati Christianorum adscribendorum, mitius sentire incipiebat, stylum vertebat et sequentia Mellito scribebat: *Quum vos Deus omnipotens ad reverendissimum Pirum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei, quid diu mecum de causa Anglorum cogitans, tractavi, videlicet, quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa quae in iis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis adspergatur, altaria construantur, reliquiae ponantur, quia, si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu daemonum in obsequium veri Dei debeant commutari; ut, dum gens ipsa eadem fana non videt destrui, de corde errorem deponat et Deum verum cognoscens ac adorans ad loca, quae consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari, ut die dedicationis vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiae ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant et religiosis conviviis solennitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei, in esum suum animalia occidant et donatori omnium de satietate sua gratias referant; ut, dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire*

facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscidere velle, impossibile esse, dubium non est; quia is, qui locum summum adscendere nititur, necesse est, ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur. (Ep. 11, 77.) — §. 8. A gentilibus ergo jam agapas venisse qui statuant, audiamus. Agmen ducant ex veteribus Eucherius Lugdunensis (in quaest. in N. T.) Sedulius Scotus (in collect. ad 1 Cor. 11.) quorum hic: *mos iste*, inquit, *ut referunt, de gentili adhuc superstitione veniebat.* Idem fere statuit ex recentioribus Mart. Schoockius (exercitatt. var. p. 250.): *Haec mea sententia, agaparum agitationem non manasse ab instituto ipsorum apostolorum, sed a Corinthiis aliisque a gentilismo ad christianismum conversis.* Et certe non desunt bene multa apud gentiles convivia, quae propterea, quod egregie cum agapis conveniunt, ipsis etiam originem dedisse forte credi possint. Apud Spartanos φειδίτια excellunt, quae Eustathius vocat συσσίτιον Λακωνικὸν, περιώνυμον μὲν, οὐ πολυτελὲς δὲ. Dicebantur autem φειδίτια, quae et φειδίτεια et φιδίτια, a frugalitate et parsimonia, pro quibus etiam φιλίτια συνωνύμως dici ex Porphyrio (de abstin. 4.) adparet: Διὸ καὶ φιδίτια προσηγόρευον ταῦτα· ἔιτε ὡς φιλίας καὶ φιλοφροσύνης ὑπάρχοντα αἴτια, ἀντὶ τοῦ λαμβδα τὸ δέλτα λαμβάνοντες· ἔιτε ὡς πρὸς εὐτέλειαν καὶ φειδὼ συνεπίζοντα. Apud Cretenses Ἄνδρια Minos instituit, quae fere eadem fuerunt cum nominatis Lacedaemoniorum Phiditiis. Nec enim Spartani ab initio φειδιτίων, sed ἀνδρίων nomen conviviis illis publicis imposuerunt, cujus rei testem habemus Aristotelem (Polit. 2, 8.), qui καὶ τόγε ἀρχαῖον inquit, ἐκάλουν οἱ Λάκωνες τὰ συσσίτια οὐ φειδίτια, ἀλλὰ ἄνδρια καθάπερ οἱ Κρῆτες. (Cfr. Meursius misc. Lacon. 1, 9.) Nec male haec ad agapas referri posse crediderim, vel ideo, quod agapae non minus, quam allata Graecorum convivia de symbolis convivantium datae fuerunt, de quibus plura nosse cupienti evolvendus est Nic. Cragius de republ. Laced. 1, 9. — §. 9. Jure sue etiam agapae nostrae comparari possunt cum aliis Graecorum conviviis, quorum hic mentionem facere juvat. Sunt illa ἔρανος et ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, de quibus Athenaeus (deipnosoph. 8.), Caelius Rhodiginus (Lect. ant. 14, 57.), Jos. Laurentius (de praedio vett. 9.), Fulvius Ursinus (ad Ciacconium de triclinio p. 174.), conferri merentur. Redeo etiam hoc loco in memoriam παιδαισίας, cujus nomine intelligitur convivium apud veteres, ad quod, ubi vescerentur publice, commeantes passim domo portionem quisque ferrent, in medium tamen quod attulissent, collaturi, ut inquit Caelius Rhodiginus (l. l. 5, 31.) cui adde, si plura hac de re nosse fert animus, Stuckium (antiquitt. conv. 1, 6.) et Witsium in Meletematibus Leidensibus ad ep. Judae 12. — §. 10. Φυλετικὰ etiam, δημοτικὰ, quae et πρυτανεῖα vocabantur et φρατρικὰ, περὶ τῆς φρατρίας, ut est apud Grotium (ad 1 Cor. 10, 17.) et alia ejus generis δεῖπνα notatu digna antiquitatum Graecarum studiosi non ignorant, de quibus Athenaeus (deipnos. 5, 1.): Τῶν δὲ νῦν δείπνων προνοοῦντες οἱ νομοθέται, τὰ δὲ φυλετικὰ δεῖπνα καὶ τὰ δημοτικὰ προσέταξαν· Ἔτι δὲ τοὺς θιάσους καὶ τὰ φρατρικὰ, πάλιν Ὀργεωνικὰ λεγόμενα. Quae omnia Graecorum convivia, si conjungere ritusque, an in agapas convenient et quatenus,

examinare si volueris, dubium non est, quin multa agapis cum Graecorum conviviis communia sis deprehensurus. — §. 11. A Graecis jam ad Romanos transeunti continuo occurrunt Charistia a. d. IIX Kal. Martias celebrari solita, quorum indolem ita expressit Ovidius (Fast. 2.):

Proxima cognati dixere Charistia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis et qui periere, propinquis
Protinus ad vivos ora referre juvat.
Postque tot amissos, quicquid de sanguine restat
Adspicere et generis dinumerare gradus.
Innocui veniant. Procul hinc, procul impius esto
Frater et in partus mater acerba suos;
Cui pater est vivax, qui matris digerit annos,
Quae premit invisum socrus iniqua nurum:
Tantalidae fratres absint et Jasonis uxor,
Et, quae ruricolis semina tosta dedit,
Et soror et Progne, Tereusque duabus iniquus
Et quicunque suas per scelus auget opes.
Disgeneris date thura boni. Concordia fertur
Illo praecipue mitis adesse die:
Et libate dapes, ut grati pignus honoris
Nutriat incinctos missa patella Lares.
Jamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos
Parca precaturae sumite vina manus:
Et: bene nos, Patriae bene, Te, Pater optime, Caesar,
Dicite, suffuso sint rata verba mero.

Qua vero intentione sua haec Charistia celebraverint Romani, declaratum nobis reliquit Valerius Maximus (de dict. I, 1, 8.) de matrimoniorum ritu et necessitudinum officiis agens: *Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque Charistia appellarunt, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur, ut, si qua inter necessarios querela esset orta apud sacra mensae et hilaritatem animorum, fautoribus concordiae adhibitis, tolleretur.* Ex quibus cognitu facillimum est, quam in multis agapae Charistiis responderint, tum, quod ad nomen finemque attinet, tum inprimis, quod ad delectum personarum convivio adhibendarum spectat. Quod enim Charistia ab amore dicta, quod amoris et concordiae causa frequentata, quod innocui venire impii vero abesse jussi, quod salutem principum diis commendaverunt Romani: idem in agapis usu venisse, vel jam dedi vel deinceps demonstratum dabo. Quare etiam F. Chr. Lupus (ad can. 74 conc. Trull.) rejecta Ambrosii sententia: *videntur*, inquit, *agapae similiores fuisse sacro Romanorum convivio dicto Charistia.* Quaenam autem fuerit illa Ambrosii sententia ex Augustino discimus, ubi relatum legimus, eum duabus de causis agapas fieri prohibuisse, primo, *ne ulla occasio daretur se ingurgitandi ebriosis*, secundo, *quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima.* Qua in re non omnino temere ab Ambrosio Lupus dissensisse censendus est. Difficilem enim et coactam a parentalibus agaparum derivationem esse, ex ipsa agaparum natura apparet. Quippe vocabant Romani parentalia tam universa officia feralia, quam speciatim convivia, quae in parentum aut propinquorum mortibus fieri consueverant. Agapas vero, latiori sultu

sensu acceptas a parentalibus descendere quis affirmaverit? Solas martyrum agapas ad tumulos confessorum fidei exhiberi solitas cum quadam probabilitate ex iis deduxeris. Quanquam etiam ad περίδειπνα Judaeorum post funus aliquod habita respiciendum censeo.

Quod dixerim, a. d. VIII. Kal. Mart. charistia Romanorum celebrata fuisse, contra Rosini aliorumque pervulgatas opiniones, temeritatis notam haud vereor ne incurram. Nonnulli d. XIII. Kal. Martii huic solenni assignant. Vetus Kalendarium quod plerumque in antiquis Ovidii pariter et recentioribus codicibus Fastis adiectum est. a. d. XI Kal. Mart. Charistia indicat. Sibr. Siccama VII. Kal. Martias habita tradit, quocum multos consentientes videre est apud Graevium, quibus idem VII. Kal. Mart. dies placet. Causa erroris, si quid conjiciendo assequi valeo, dubio procul haec fuit, quod locum quendam Ovidii non curate satis et cogitate expendentes calculum minus recte posuerunt. Ordo, quo intercalarii mensis festa se excipiebant, hic erat: Feralia. Charistia. Terminalia. Regifugium; ita enim Ovidius digessit. Regifugium autem in V Kal. incidisse persuasum habent, propterea, quod Fugalia descripturus poëta cecinit:

Nunc dicenda mihi Regis fuga. Traxit ab illa
Quintus ab extremo nomina mense dies.

Sed reputare debuissent extremum cujusque mensis diem computatione Romanorum secundum fuisse a Kalendis. Unde ordine retrogrado, quintus ab extremo idem est cum VI. Kalendarum Martii. Quum igitur Regifugii memoria die, quem dixi, VI. nimirum Kalendarum recolenda fuerit, quem Terminalia antecesserunt, sequitur, ut Charistia quae die proxime praecedente Terminalia celebrata fuerunt, IIX Kal. fuerint acta. Quod etiam ex Kalendario Dionysii Petavii clarum est, in quo etiamsi Charistiorum nomen non occurrat; ex serie tamen reliquorum solennium dierum, quae talis est: IX Feralia — VII Terminalia — dies Charistiorum elucet. Expressit hunc diem Kalendarium Romanum sub imperatore Constantio, Constantini M. filio, circa annum 354 compositum hunc in modum:

IX Feralia.
IIX Charistia.
VII Terminalia.

§. 12. Faustus Manes, ut haberet, quo Christianis eisque nominis sui detraheret, ut sunt mores eorum, qui a veritate in errorum avia delapsi cum fidei forma divortium fecerunt, ex agapis etiam ansam crimini, quod Christianis objiceret quaerens, originem earum ad sacrificia paganorum referebat Christianosque paganorum sacrificia in agapas demutasse calumniabatur. Sed amolitus est hoc istius objectum Augustinus (adv. Manich. 20, 20.) his verbis: *Sacrificia paganorum non vertimus in agapas, sed sacrificium illud intelleximus: Misericordiam volo quam sacrificium. Agapae enim nostrae pauperes pascunt sive frugibus sive carnibus, quas vos Manichaei ut tenebrarum principis opus damnatis.* — §. 13. Ex paschali coena, qua corporis sui et sanguinis mysterium instituit Christus, deducit eas Salmasius (in apparatu ad libros de primatu papae.) cui quodammodo etiam consentit Pareus (in comment. ad 1 Cor. 11, 21.): *Probabile est*, dicens, *Christianos ad exemplum Christi respexisse, qui eucharistiam inter coenandum instituit.* Nec deesse, quae sententiae huic insignem verisimilitudinem concilient, ex sequentibus patescet. Amorem declarabant agapae. Quaenam major amoris significatio existere posset

illa, qua saluti hominum consulturus mortisque cruciatus subiturus Christus corpus suum comedendum, sanguinem bibendum sanxit suique erga mortales animi pignus obtulit pretiosissimum. Aqua lavandis pedibus adhibita est a Christo; quis ignorat aquae manualis inter agapas porrectae a Tertulliano fieri mentionem (apolog. 39.)? Carmen Christo Deo dixerunt Christiani, ut ait Plinius (epp. X, 97.). Idem in convivio paschali a Christo et apostolis factum esse Matthaeus (26, 30.) fidem facit. Quanquam, si Ciacconium (de tricl. p. 97 ss.) audiamus, eo progressum, ut religioni non duxerit adfirmare, in iis etiam conviviis, quae Dominus et Redemtor noster inter homines versatus vel frequentaverit vel habuerit, omnia more Romano administrata fuisse, parum forte abfuerit, quin persuaderi nobis patiamur, quum a gentilibus ipsos adeo coenae paschalis ritus derivaverit, agapas etiam inde descendisse. Quam Ciacconii sententiam refutat et jure quidem, Andr. Baccius (de convi. 2, 4.).

Disputatum est eruditos inter, quinam fuerit hymnus ille, quem Christus cum suis decantaverit? Equidem litem hanc meam non facio, id quod etiam instituti ratio non permittit; non possum tamen, quin illud commemorem, quod in concilii Nicaeni sec. actis et apud Augustinum de fragmentis quibusdam illius hymni legitur, quem cantator Christus funeris ipse sui dixisse a Priscillianistis fingebatur, eo ritu et ordine, ut per orbem dispositi discipuli alter alterius manus comprehendissent, Christus autem in medio collocatus brevem hymni sententiam vel versum unum et item alterum recitasset, singulis vicibus a discipulis succinentibus uno ore exceptus voce Amen. Id, quod ex actis concil. Nicaeni sec. deinceps apparebit. Extat integra de hac re epistola Augustini ad Ceretium (ep. 237.), quam, licet Fabricius in Apocryphis suis N. T. exhibuerit, hic tamen apposuisse juvabit, ut eo melius latinum illud apud Augustinum occurrens fragmentum cum graeco concilii Nicaeni conferri queat. Ita autem Augustinus: *Hymnus sane, quem dicunt esse Domini nostri Jesu Christi, qui maxime permovit venerationem tuam, in scripturis solet apocryphis inveniri, quae non proprie Priscillanistarum sunt, sed alii quoque haeretici eis, nonnullarum sectarum impietate vanitatis utuntur, inter se quidem diversa sentientes, unde suas quisque varias haereses sunt secuti. Sed scripturas istas habent in sua diversitate communes, easque illi praecipue frequentare assolent, qui legem veterem et prophetas canonicos non accipiunt. — — — Qui etiam in scripturis canonicis T. N. h. e. in veris evangelicis et apostolicis litteris non accipiunt omnia, sed quod volunt et libros eligunt, quos accipiant, aliis improbatis — Priscillianistae vero accipiunt omnia et canonica et apocrypha simul. Sed quaecunque contra eos sunt, in suae perversitatis sensus, aliquando callida et astuta, aliquando ridicula et hebeti expositione pervertunt. — — Habes verba eorum in illo posita codice:* Hymnus Domini quem dixit secrete sanctis Apostolis discipulis, quia scriptum est in evangelio: Hymno dicto adscendit in montem — et qui in canone non est positus, propter eos, qui secundum se sentiunt et non secundum spiritum et veritatem Dei, eo, quod scriptum est: sacramentum regis bonum est abscondere, opera autem Dei revelare honorificum est. *Illa est magna eorum ratio, cur iste hymnus non sit in canone. — — Ergo scripturae canonicae non pertinent ad sacramentum regis. — — Deinde quid causae est, ut eundem hymnum isti secundum scripturas canonicas conentur exponere? Si enim verbi gratia propterea in isto hymno cantatur et dicitur:*

Solvere volo et solvi volo,
Salvare volo et salvari volo,
Generari volo et generare volo,
Cantare volo et cantari volo,

Ornare volo et ornari volo,
Lucerna sum tibi ille qui me vides,
Janua sum tibi quicunque me pulsas,
Qui vides quod ago tace opera mea etc.

cur iste hymnus non esse in canone propterea dicitur, ut sacramentum regis abscondatur carnalibus, quum ea, quae in isto hymno exponuntur, etiam in canone legantur? — — nisi quia — — in verbis illius hymni, quem exponere se simulant, hoc sapiunt, quod alienis exponere timeant. Hactenus Augustinus de illo hymno, quem tamen non integrum hic exhibitum esse, ipsa Augustini verba docent, quando dicit: „Si enim verbi gratia propterea in isto hymno cantatur.“ Plenius est fragmentum illud graecum, cujus notitiam fecit L. Siberus. Continetur illud in concilio Nicaeno sec. (Collect. Hard. tom. 4. p. 298.), in quo Epiphanius diac., quum vicarius muneri Thomae episc. Sardiniae successisset *ἐκ τῶν ψευδεπιγράφων περιόδων τῶν ἁγίων ἀποστόλων* hymnum hunc cum admixtis fabulis quibusdam de rebus in coena paschali gestis recitat. Verba ita fluunt: *Πρὶν δὲ συλληφθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀνόμων καὶ ὑπὸ ἀνόμου ὄφεως νομοθετουμένων Ἰουδαίων συναγαγὼν πάντας ἡμᾶς ἔφη· Πρίν με ἐκείνοις παραδοθῆναι ὑμνήσομεν τὸν πατέρα καὶ οὕτως ἐξέλθωμεν ἐπὶ τὸ προκείμενον. Κελεύσας οὖν ἡμῖν γῦρον ποιῆσαι ἀποκρατοῦντων τὰς ἀλλήλων χεῖρας, ἐν μέσῳ δὲ αὐτὸς γενόμενος ἔλεγε τὸ Ἀμὴν, ἐπακούετέ μου. Ἤρξατο οὖν ὑμνεῖν καὶ λέγειν·*

Δόξα σοι, Πάτερ
καὶ ἡμεῖς κυκλεύοντες ἐπηκούομεν αὐτῷ τὸ, Ἀμήν.
Δόξα σοι, Λόγε
Δόξα σοι, χάρις· Ἀμήν.
Δόξα σοι, τὸ Πνεῦμα· Ἀμήν.
Δόξα σοι ἅγιε
Δόξα σου τῇ δόξῃ· Ἀμήν·
Αἰνοῦμέν σε, Πάτερ
Εὐχαριστοῦμέν σοι, φῶς,
Ἐν ᾧ σκότος οὐκ οἰκεῖ· Ἀμήν.
Ἐφ' ᾧ δὲ εὐχαριστοῦμεν, λέγω
Σωθῆναι θέλω καὶ σῶσαι θέλω· Ἀμήν.
Λυθῆναι θέλω καὶ λῦσαι θέλω· Ἀμήν.
Τρωθῆναι θέλω καὶ τρῶσαι θέλω· Ἀμήν.
Φάγειν θέλω καὶ βρωθῆναι θέλω· Ἀμήν·
Ἀκούειν θέλω καὶ ἀκούεσθαι θέλω· Ἀμήν·
Νοηθῆναι θέλω, νοῦς ὢν ὅλος· Ἀμήν·
Λούσασθαι θέλω καὶ λούειν θέλω· Ἀμήν.
Ἡ χάρις χορεύει
Αὐλῆσαι θέλω ὀργήσασθε πάντες· Ἀμήν·
Θρηνῆσαι θέλω κόψασθε πάντες· Ἀμήν·

καὶ μεθ' ἕτερα· Ταῦτα, ἀγαπητοὶ, χορεύσας μεθ' ἡμῶν ὁ Κύριος, ἐξῆλθε, καὶ ἡμεῖς ὥσπερ πλανηθέντες, ἢ καὶ ἀποκοιμηθέντες ἄλλος ἄλλαχόσε πεφεύγαμεν.

§. 14. Ad mandatum Christi, quod his verbis legitur apud Lucam (14, 13—14): *ὅταν ποιεῖς δοχὴν, κάλει πτωχοὺς, ἀναπήρους, χωλοὺς, τυφλούς· Καὶ μακάριος ἔσῃ· ὅτι οὐκ ἔχουσιν ἀνταποδοῦναί σοι· Ἀνταποδοθήσεται γάρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων*, respexisse Christianos putat Grotius, quando, *ex hoc Christi monito*, inquit, *natae sunt agapae, quibus divites Christiani Christianos pauperes fraterne excipiebant*, quod ante Grotium auctor Constitutionum Apostolicarum (2, 25.) jam fecerat. — §. 15. Communes mensas, quarum Lucas (Act. 2, 46 et alibi) meminit, ansam agapis ordinandis dedisse ex veteribus innuit

Chrysostomus (hom. 27 ad 1 Cor.), cujus inprimis memoratu digna sunt haec verba: *Καθάπερ ἐπὶ τῶν τρισχιλίων τῶν ἐξ ἀρχῆς πιστευσάντων κοινῇ πάντες εἱστιῶντο καὶ κοινὰ πάντα ἐκέκτηντο, οὕτω καὶ τότε ὅτε ταῦτα ἔγραψεν ὁ ἀπόστολος ἐγίνετο οὐχ οὕτω μὲν μετὰ ἀκριβείας. Ὥσπερ δὲ τις ἀπόῤῥοια τῆς κοινωνίας ἐκείνης ἐναπομήτασα, καὶ εἰς τοὺς μετὰ ταῦτα κατέβη.* Ex recentioribus eandem sententiam proponit Hornbeckius (Misc. 20. p. 589.) verbis: Originem et occasionem inde peto, tum, quod Christiani istorum temporum magis quasi *ἐν ἑταιρίαις* vivebant secum, atque ex primorum Christianorum in ecclesia Hierosolymitana *συμβιώσει*, qua *ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά, προσκαρτεροῦντες καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου*, uti haec habentur Act. 2, 43—46. *Κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει* ejusque *κοινωνίας ἀπόῤῥοιαν* vocat Chrysostomus: agapas Corinthiacas. — §. 16. Peculiaris plane est sententia, quam Philippus Joannes Tilemannus dictus Schenck (in dissert. de agapis 4. §. 41. p. 41.) proponit: priorem ad Corinthios epistolam huic instituto ecclesiastico dedisse occasionem; sed falso fundamento superstruit sententiam suam. „Ante ista correctionis tempora, quum Paulus taxaret Corinthios, agapas stricte sic dictas, re pariter ac nomine fuisse in ecclesia ignotas." Sed non procedit haec sententia. Certe enim vel ideo, quia Paulus abusus quosdam ejusmodi conviviorum, quae cum agapis arctissime conveniunt, taxavit, sequitur, agapas, quantum ad rem ipsam, cognitas fuisse. Quod ad nomen attinet, fateor, illud in S. S., nisi duobus antea commemoratis locis, non occurrere; sed ex hoc nihil sequitur, quum a silentio Scripturae nomen ante scriptam ad Corinthios epistolam non exprimentis ad negationem rei hoc loco non valet consequentia. — §. 17. Restat ultima eorum sententia, qui ea, quae adhuc recensui, conjungunt omnia atque non minus ex Judaeorum quam ex gentilium conviviis, paschali coena, mandato Christi de vocandis egenis et conviviis denique primorum Christianorum, de quibus in Actis apostolorum mentio fit, agapas ortas esse affirmant, quibuscum ego etiam consentio, ita tamen ut circa *νεοφύτων* convivia a Luca designata aliquid dubii mihi restet, id, quod non ita multo post expromam. Causam quare non modo a Judaeis ortae credi possint agapae, supra jam attuli, metuendum quippe gentilium dissensum. A solis gentilibus ortas aeque non persuasum habeo, propter dissensum pariter et invidiam Judaeorum, qui quemadmodum semper, more dicam an praejudicata quadam opinione plerisque omnibus populis solenni, ceremoniarum a majoribus traditarum tenacissimi erant, ita etiam vix temperabant sibi, quo minus odio, quo in gentiles ducebantur interdum indulgerent, cujus rei exemplum in Actis apostolorum (11, 1—3.) videre est, unde etiam vix probabile videtur, eos in solennia a solis gentilibus petita consensuros fuisse. Ex sola coena paschali aut solo Christi de vocandis egenis mandato agapas ortum traxisse ideo non affirmaverim, quod agapae de symbolis convivantium dabantur. Quis ergo dixerit, secutos esse Christianos in constituendis illis exemplar paschalis coenae, quae symbolas convivantium nullas commemorat. Mandatum Christi privata singulorum intra priva-

tes parietes exhibita convivia correxit; agapae fuerunt convivia publica in locis Christianorum concionibus dicatis concelebrata; hymni post cibum canendi, lectionis scripturae s. ab anagnoste aliquo inter comedendum instituendae mentionem nullam fecit Christus, quae in agapis observata fuisse omnia certo certius constat. Convivia Christianorum, qui e Judaeis et proselytis pentecostali tempore christianam religionem professi, προκαρτερῆσαι dicuntur τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, κλῶντες κατ' οἶκον ἄρτον, μεταλαμβάνοντες τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας, αἰνοῦντες τὸν Θεὸν καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν, non pro occasione aliqua accipere malim, unde agapae postea ortae fuerint, quum diaconorum statim constitueretur officium omniaque sic disponerentur, ut illa convivia et agapas nihil interfuisse videatur, quam pro ipsis agaparum initiis. Quare etiam Scaliger ad illa verba, quibus septem diaconi διακονεῖν τραπέζαις jussi leguntur Act. 6, 2., per τραπέζας intelligit „coenas, quas agapas vocabant, quarum nomine diaconi instituti, ne apostoli, si ministeriis ἀγαπῶν danda illis esset opera, a ministerio verbi Dei avocarentur". Quod ipsum etiam Grotius indicat eundem locum accipiens de frugalibus conviviis quae eucharistiae sumptione claudebantur. — §. 18. Unde sic conjicio: Judaeis et gentilibus aliqua circa convivandum solennia indulgenda erant, etiamsi non propter eos tantopere, qui Christianis se jam adjunxerant, tamen eorum gratia qui adhuc alliciendi restabant, eamque ob causam agapas fieri curabant rationemque coenas dandi Judaeis pariter et paganis in more positam non omnino rejiciebant, sed ad exemplum coenae paschalis, ad mandatum Christi de vocandis egenis, corrigebant, quibus cura ecclesiae amplificandae a Christo fuerat commissa. Et sic accipienda puto Lupi (in Decretor etc. p. 1005.) verba: „agapas istas omnino apostoli ordinarunt. Constat enim, Christianos gentilium et Judaeorum consuetudines, quantum potuerunt, similitudine aliqua secutos esse, qua de re Theodoreti sermo octavus ad Graecos sub finem, et epistolae multae Gregorii legi possunt." — §. 19. Hactenus unde originem habuerint agapae, investigavi; superest, quonam tempore celebrari coeptae fuerint, disquirere. „Ab ipsis religionis christianae primordiis celebrata fuisse religiosa convivia nullus ignorat. Hinc post coenam dominicam convivia illa ἀγάπαι dicta, quod christianae caritatis essent symbola" verba sunt Petri Gussanuillaei (ad Greg. M. ep. 76.). Annum tamen ortus, nemo, quod ego quidem sciam, definivit. Jam vero si hoc ponamus, mensas illas communes coenasque, quarum Act. 2. memoriam nobis prodidit Lucas, de primis Christianorum agapis accipiendas esse, anno post Chr. n. 33., quem cum accuratissimis chronologis designat Simsonius (in Mantissa Chronici cathol. 6, 22.), invaluisse eas crediderim et quidem quinquagesima post resurrectionem Jesu Christi, post adscensionem Domini vero decima die, seu quod idem est, Idibus Majis, ut videre est apud Franciscum Mariam Florentinium (in Observatt. ad Martyrol. eccl. occid. p. 406.), qui a. d. XXVII. Martii ex Scaligero excerptum autoris vetustissimi ex Eusebio et Africano sequens affert: „Surrexit Dominus noster Jesus Christus sab

consulatu Rubellionis VI kal. Aprilis; adscendit autem Dominus noster III nonas Maias; missus est autem Spiritus S. idus Maias, cujus calculi veritas ex consensu plurimorum kalendariorum martyrologiorumque ab autore commemoratorum patet, in quibus omnibus VI kal. April. dies resurrectionis Domini designatur pronaque ad fidem faciendam consequentia ad idus Majas effusionis Spiritus S. ortusque agaparum tempus refertur. — §. 20. Tilemannus d. Schenck pro assertione sua non potuit, quin longe serius ortas agapas statuerit, nimirum post scriptam priorem ad Corinthios epistolam, circa annum nimirum a Christo nato quinquagesimum et secundum: *Deinde vix tria lustra effluxisse, quum agapas non modo Judas, sed et Petrus epistolis suis praedicent, imo vitium iam contraxisse perhibeant*, quae tamen sententia ipsa autoris dubitandi ratione in dubium non modo vocari, sed refelli etiam omnino potest, quod scriptura s. nihil certi de eadem commemoret, sed contrarium adeo innutat. — §. 21. Investigata jam origine, quem ad finem veteres agaparum exhibendarum consilium direxerint, declarare aggrediar. Duo illis proposita fuisse, Cotelerius (in notis ad Const. Apost. 28, 2.) putat: *Agapas introduxit christianae religionis prima antiquitas, cum propter communionem et amicitiam, tum propter alimoniam clericorum et pauperum, unde agapes nomen eleemosynae donatum saepe reperitur.* Triplicem ob causam invaluisse eas Witsius (ad Jud. 12.) et Spanhemius (Introd. ad chronol. p. 209.) tradunt. Primo quidem, ut agapae, qua in re scriptores in universum omnes consentiunt, essent symbolum fraterni amoris et caritatis, imo vero non symbolum tantum sed incitamentum etiam existere debuisse putaverim, quorsum illud Bulengeri (de conviv. 1, 6. p. 20.) refero: *Veterum Christianorum ἀγάπαι post sacram synaxin ad amicitiam validae erant.* Iterum, *ut pauperes reficerentur*, cujus rei testem cito Tertullianum (adv. gent. 39.): *inopes isto refrigerio juvamus.* Tertio, *ut in iis fieret commemoratio mortis Christi et frangeretur panis eucharisticus.* Contradicit quidem Albaspinaeus (de vet. eccl. ritib. I. Obs. 18.), negatque sacram coenam unquam cum agapis celebratam fuisse, ita, ut nec praecesserit agapas eucharistia nec secuta fuerit, sed scripturae s. testimonio patrumque primae ecclesiae, Justini, Chrysostomi, Hieronymi autoritate facillimo negotio confici potest, eucharistiae celebrationem cum agapis, etiamsi non semper, conjunctam fuisse, id, quod insecutura disputatione, ubi de tempore et loco agapis adsignato agendi erit occasio, fusius persequar et uberius. — §. 22. His a Witsio et Spanhemio enumeratis quarto etiam loco illud adjicere liceat, celebratas fuisse agapas, ut mutuis adhortationibus semet ad bonas et honestas actiones suscipiendas invicem provocarent Christiani. Ita enim Plinius (ep. 10, 97.), cui causarum cognitio ab imperatore demandata fuerat, nuntiabat: adfirmasse Christianos, se sacramento non in scelus aliquod se obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent. Vestigia hujus rei sec. 6. adhuc deprehenduntur. Quum enim eatenus non contigisset, ut ii, qui christiano nomine indigna admisissent, ad agapas accederent, qua de re infra pluribus disserendi locus erit, Gregorius M. qua erat humanitate

et indulgentia faciliorem se gerebat Bonifacioque, qui quaesiverat, de episcopis et presbyteris quid faciendum censeret, quorum mores ordini suo et dignitati sacrae immaniter dissentirent, rescribebat: *Uti gravissimis quidem objurgationibus castigaret istos sacri sui ordinis contaminatores, congressu tamen et mensa iis nequaquam interdiceret. Usu enim venire non raro, ut, qui increpationibus non frangantur, molliantur suavitate et lenocinio humanitatis, qua convivia condirentur*, teste Thomassino (in Veteri et Nova Disciplina Ecclesiastica. III, 3, 47.).

EX OFFICINA CAROL. GUST. NAUMANNI.

THESAURUS

COMMENTATIONUM SELECTARUM

ET

ANTIQUIORUM ET RECENTIORUM

ILLUSTRANDIS ANTIQUITATIBUS CHRISTIANIS INSERVIENTIUM.

RECUDI CURAVIT, PRAEFATUS EST ET INDICES

ADJECIT

M. J. E. VOLBEDING.

TOMI SECUNDI PARS POSTERIOR.

LIPSIAE,
IN BIBLIOPOLIO DYKIANO
MDCCCXLIX.

Index commentationum partis posterioris.

XLI. J. Th. Fr. Drescher de veterum Christianorum agapis . . . 197
XLII. S. F. Bucher de coena Domini 219
XLIII. Christoph. Beyer de magno veteris ecclesiae circa poenitentes rigore 239
XLIV. A. Frikius de Traditoribus 302
XLV. Onuphr. Panvinius de ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos et eorundem coemeteriis 330
XLVI. R. Rothe de disciplinae arcani, quae dicitur, in ecclesia christiana origine 357

Praefatio.

Paucis tantum, Lector benevole, volo Te, quippe certiorem jam factum de hujus thesauri et consilio, quod non paucis probatum esse a bibliopola sum edoctus, et inita ratione in adornandis singulis ejus partibus. De hisce nimirum dissertationibus, quas singulae hujus tomi paginae in unum cogunt corpus, idem valere, quod ante biennium, cum primus operis hujus tomus prodiret, monitum est, res ipsa loquitur; repetere id nimis longum esset et injuriam lectori facere mihi viderer. Suam ipsae causam agant commentationes simul hic oblatae easque, unde commendentur, habere persuasum mihi est, freto vel solis clarissimorum virorum nominibus, quorum sub auspiciis scriptionum hic collectarum agmen et ducitur et clauditur. Duo monuisse sufficiat, nempe in Beyeri commentario „de rigore veteris ecclesiae circa poenitentiam“ nonnulla, quae ad rem necessario non facerent, maxime e literario genere, hic illic esse omissa, ne justo longius spatium occuparet, et Onuphrii Panvinii libellum eo etiam consilio hic esse adhibitum, ut lectoribus e pontificiorum familia quodammodo satisfieret, licet negandum non sit, in hac scriptione eam desiderari ἀκριβείαν, quam et aemulantur plerumque et assequuntur non raro nostrae familiae scriptores.

Anno proximo, si res ita ferent, absolvetur hicce thesaurus edendo tertio ejus tomo, commentationes de hominibus, locis et rebus sacris oblaturo totumque opus viris doctis, in hoc literarum genere versantibus, fore acceptum spero et confido.

Scribebam Lipsiae, Calendis Octobribus, MDCCCXLIX.

M. J. E. Volbeding.

Index commentationum.

XXVIII. H. Th. Tzschirner de sacris publicis ab ecclesia vetere studiose cultis 1
XXIX. J. G. Walch de hymnis ecclesiae apostolicae 21
XXX. J. Z. Hilliger de psalmorum, hymnorum atque odarum sacrarum discrimine 43
XXXI. J. A. Schmid de primitivae ecclesiae lectionibus et praecipuis circa easdem ritibus 62
XXXII. J. G. Zentgrav de ritibus baptismalibus seculi secundi . . 74
XXXIII. J. J. Clauder de ritibus baptismalibus 98
XXXIV. A. Schuler de susceptoribus 106
XXXV. C. V. Weidling de baptisteriis veterum Christianorum . . . 114
XXXVI. A. F. Büsching de procrastinatione baptismi apud veteres ejusque causis 121
XXXVII. C. W. Wiedenfeld de exercismi origine, mutatione deque hujus ritus peragendi ratione 137
XXXIII. Aeg. Strauch *Κατηχούμενος* historice descriptus 156
XXXIX. Teoph. Schlegel de agaparum aetate apostolica 170
XL. J. G. Mörlin de origine agaparum vett. Christianorum 183
XLI. J. Th. Fr. Drescher de veterum Christianorum agapis . . . 197
XLII. S. F. Bucher de coena Domini 219
XLIII. Christoph. Beyer de magno veteris ecclesiae cura poenitentes rigore 239
XLIV. A. Frikius de Traditoribus 302
XLV. Onuphr. Panvinius de ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos et eorundem coemeteriis 330
XLVI. R. Rothe de disciplinae arcani, quae dicitur, in ecclesia christiana origine 357

XLI.

Jo. Theoph. Frid. Drescher de veterum Christianorum agapis *).

Praefatio. Quamvis de re, quam denuo tractandam mihi elegi, permulti viri docti non sine ingenii doctrinaeque laude vel dedita opera **) vel obiter ***) egerint, studium tamen meum non male collocatum iri existimavi, si quaestionem de agapis veterum Christianorum, quam diligentissime possem, retractarem. Quid vero propositum mihi fuerit, paucis exponam. Consilium meum inprimis hoc fuit, ut adhibitis virorum illorum commentationibus, nihil, quod ad rem pertineret, praetermitterem, ubique vero cum illis patres et scriptores historiae ecclesiasticae veteres compararem, utpote ex quibus solis recta et accurata hujus rei cognitio hauriri potest. Quare omissis omnibus, quae satis

*) Prod. Giessae 1824. 8.

**) *Balthas. Stolberg* de veterum Christianorum agapis. Viteb. 1693. *Conr. Sam. Schurzfleisch* de veteri agaparum ritu. Lips. 1699. *Just. Henning. Boehmer* de coitionibus Christianorum ad capiendum cibum, in Diss. jur. eccl. ant. Lips. 1711. Praeterea de agapis ex instituto scripserunt Moerlinus, Oldekoppius, Tilemannus, Quistorpius, Hilpertus et Resenius.

***) *Joh. Andr. Schmidius* in Lexic. sub voc. ἀγάπη. *Suicerus* in Thesaur. Ecclesiastic. s. v. ἀγάπη et κλάσις. *Wolfius* in curis ad epist. Jud. v. 12. *Hugo Grotius* ad 2 Petr. 2, 13. *Baronius* in Annal. ad ann. 57. Tom. I. n. 131. *Casaubonus* in Exercitatt. in Baron. 16, 31. p. 513. *Freinshemius* in Histor. Eccl. Christ. sec. II. col. 620. 628. sec. III. col. 724. sec. V. col. 978. *Luc. Paleotinus* in Antiquitatt. sive origin. eccles. summa. Venet. 1766. p. 138—40. *Jul. Laur. Selvaggius* in Antiquitatt. Christ. Institutt. p. 87—90. *Josephus Binghamus* in Origin. sive Antiquitatt. eccl. vol. VI. p. 504—24. *Stuckius* in Antiquitatt. convival. Lib. I. c. 31. p. 119. seq. *Schroekhius* in christl. Kirchengesch. P. III. p. 338 seq. *Joh. Ern. Christ. Schmidtius* in Handbuch der christl. Kirchengesch. P. I. §. 94. p. 363 seq. *Joh. Christ. Guil. Augusti* in Denkwürdigkeiten aus der christl. Archaeologie I. p. 124 seq. Multos alios scriptores antiquiores enumerat *Fabricius* in Bibliographia antiq. XI. §. 25. p. 564. Nomen prae se fert, nec vero rem nostram tangit recens et notissimus liber *Augusti Kestneri:* Die Agape oder der geheime Weltbund der Christen von Clemens in Rom unter Domitians Regierung gestiftet; dargestellt von Dr. August Kestner. Jen. 1819. Insigne quidem hic liber eruditionis et acuminis hujus viri monumentum, tamen propter novas et inauditas opiniones, quibus scatet, caute et provide adhibendus. Quare etiam paucissimis se probavit.

probari haud possunt, ea tantummodo recipienda putavi, quae patrum auctoritate niterentur; eoque consilio omnes consulere studui, quorum in scriptis de agapis hic illic sermo est. Inde factum est, ut haud raro opiniones, quas ut dubias et incertas viri docti protulerant, patrum locis, quos plane neglexerant, confirmare possem. Omnino haec mihi prima fuit lex, ut nihil dicerem, quod non argumentis firmis et gravibus demonstrari posset. Haec habui, quae praefarer, nihilque restat optandum, quam ut viris doctis peritisque harum rerum arbitris non plane displiceant hi juvenilis aetatis conatus. — §. 1. De origine et significatione vocis ἀγάπη. Priusquam ipsum agaparum institutum illustrandum aggrediar, de derivatione et significatione vocis ἀγάπη pauca praemittenda esse mihi videntur. Descendit haec vox satis nota a verbo ἄγαπᾶν, quod Grammatici haud pauci ortum esse volunt ἀπὸ τοῦ ἄγειν πᾶν, quia amor omnia consociet atque conjungat, sicuti odium dirimat omnia et dissipet. Alii invita Minerva derivant ab ἄγαν et σπάω, nec rectius alii ex παύομαι compositum esse volunt, quia interdum ἀγαπᾶν acquiescere significat cum dativo junctum. Ejusmodi tamen hariolationibus si indulgere velis, semiticis quoque, quas vocant, linguis vocabula ἀγαπάω et ἀγάπη tribui possunt. Est enim verbum Hebraeum אָהַב, quod amare significat, praecipue autem de amore inhonesto adhibetur, v. c. Ezech. 23, 5 s. Sed his commentis omissis, potius varias vocis significationes breviter exponamus. Significat vocabulum ἀγάπη et primitivum ἀγαπᾶν apud Graecos non tantum amoris et benevolentiae sensum, sed et hujus sensus declarationem quamcunque, plane ut idem fere significans φιλεῖν*), nisi quod ἀγαπᾶν majorem amoris gradum indicare videtur. Communis est utraque vocis significatio scriptoribus graecis et sacris et profanis; et contextus ubique facile docet, utrum de amore ipso an de re aliqua amorem significante, v. c. de amica et benigna aliorum exceptione et tractatione, de liberalitate etc. adhibeatur. Sed in ecclesia christiana obtinuit inde a primo p. C. n. sec. alia vocis ἀγάπη et in singulari**) et in plurali numero significatio, quae solis Christi adseclis peculiaris fuit. Circumscribebatur enim ab iis vox generalior augustioribus terminis, ita ut convivia Christianorum sacra, tanquam insignia mutui amoris documenta***) hoc nomine proprio appellarentur. Accidit igitur huic vocabulo idem, quod multis aliis ecclesiasticis, quo ἐλεομοσύνη, γράμματα, γραφή, βάπτισμα et permulta hujus generis pertinent, ut specialiori significationi generalior cederet.

---

*) Aristotel. Rhetor. 10, 11: Τὸ φιλεῖσθαι, ἀγαπᾶσθαι ἐστὶν αὐτον δι' αὐτὸν.

**) Clement. Alexandr. Paedagog. 2, 1. p. 142. Ἐν οὐρανοῖς ἔστιν ἡ αὕτη ἡ ἐπουράνιος εὐωχία. ἡ δὲ ἐπίγειος δεῖπνον κέκληται. δι' ἀγάπην μὲν γινόμενον τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐκ ἀγάπη τὸ δεῖπνον, δεῖγμα δὲ εὐνόιας κοινωνικῆς καὶ εὐμεταδότου. Balsamon. ad canon. 74. Concil. in Trullo. p. 451: ἀγάπη μὲν καλεῖται ἡ ἀδελφοσύνη, καὶ τὰ διὰ ταύτης συμπόσια.

***) Clem. Alexandr. l. l. 2, 7. Tertullian. Apologetic. cap. 39. p. 32: Coena nostra de nomine rationem sui ostendit; id vocatur, quod dilectio penes Graecos.

Nomen ipsum ἀγάπαι, haud dubie in paucis tantum ecclesiis apostolorum aetate usitatum, nonnisi semel in N. T. ep. Jud. v. 12. occurrit (nam in alio loco II Petr. 2, 13. lectio est dubia), sed eadem res aliis vocabulis magis vulgaribus designatur. Ita Actor. 6, 2. τράπεζαι, et 2, 46. τροφὴ de Christianorum sacris epulis adhibentur. Nec a scriptoribus ecclesiasticis semper vocabula ἀγάπη vel ἀγάπαι usurpata sunt, sed pro iis saepissime vocabula, rem clarius indicantia, ut συμπόσια *), κοιναὶ τράπεζαι, κοιναὶ ἑστιάσεις, κοινὰ συμπόσια **), δεῖπνα κοινὰ ***), συσσίτια †); εὐωχία ††) substituta inveniuntur. Fuisse vero agapas sacra convivia, inprimis docent patres, qui in locum 1 Cor. 11, v. 16—34. commentati sunt. Nec praetereundus est Tertullianus.

Ceterum ἀγάπην ποιεῖν non solum de his conviviis adhibetur. Significat etiam rarius sacram coenam celebrare. Colligitur hoc ex Ignatii epist. ad Smyrn. 9. Quod inde factum esse videtur, quia tunc solebat in ejusmodi conviviis, quae ἀγάπαι dicebantur, a coenantibus una sumi et adhiberi eucharistia. — §. 2. De origine agaparum. De agaparum christianarum origine non omnes consentiunt contrariisque scriptorum studiis disceptatur. Quare hanc rem paulo altius et accuratius persecutari liceat. Ritum hunc antiquissimum esse, nemo dubitare potest. Jam in apostolorum scriptis mentionem fieri harum coitionum ad capiendum cibum, satis ostendunt loci epist. Jud. v. 12. Actor. 2, 46; 6, 2. 1 Cor. 11, 16—34. Unde autem translatus fuerit hic mos ad Christianos, utrum a Judaeis an a gentilibus, dubitant et certant viri docti.

Haud pauci existimarunt, haecce convivia communia a paganis ad Christianos translata fuisse. Laudant hanc in rem ea, quae dixit Faustus Manichaeus apud Augustinum †††): „Christianos sacrificia paganorum vertisse in agapas.“ Eandem sententiam tuentur Sedul. Scotus in collectan. ad 1 Cor. 11; Erasmus in Schol. epist. Hieronymi ad Eustochium; Justellus ad canon. 11. concil. Gangrens. Convivia, quae cum agapis comparari possunt, re vera apud paganos obtinuerunt. Apud multos scilicet antiquitatis populos convivia parabantur communia, quae non solum ad homines exhilarandos, ut plerumque, fiebant, sed etiam persaepe rei publicae causa aut deorum in honorem instituebantur. Athenaeus ipse (deipnosophist. lib. 5. init.) asserit, gentiles existimasse, omnes ad convivia congressus deorum causa h. e. in deorum honorem fieri. Quam ad rem probandam nominat Persas, Arcades, Naucratitas.

---

*) Balsamon. ad canon. 27. concil. Laodicen: Ἀγάπαι καλοῦνται τὰ παρα φιλοχριστῶν γινόμενα συμπόσια.

**) Chrysostom. homil. 22. p. 280: Καὶ κοινὰς ἐποιοῦντο τραπέζας, κοινὰς ἑστιάσεις, κοινὰ συμπόσια ἐν αὐτῇ τῇ ἐκκλησίᾳ.

***) Oecumen. in 1 Cor. 11. (Tom. I. p. 529.)

†) Zonaras in canon. concil. Gangrens: Κατὰ τοῦτο τὸ ἔθος ἐποίουν οἱ πιστοὶ καὶ τότε συσσίτια, καὶ συμπόσια, ἃ καὶ ἀγάπας ἐκάλουν, ὡς δὶ ἀγάπην ἐκ πίστεως γινόμενα.

††) *Chrysostom.* homil. 27. in 1 Cor. 11. p. 289. ed. Francof. *Theodoret.* in epist. 1 Cor. 11, 16. Tom. III. p. 173.

†††) Augustin. contr. Faust. Manich. 20, 4. 20.

Frequens etiam in veterum scriptis *τῶν συσσιτίων* Lacedaemoniorum mentio fit, quorum institutum a Cretensibus petitum esse Aristoteles Polit. 2, 9—10. et Strabo 10, 484. a. tradunt. Haec vero non soli Lacedaemonii cum Cretensibus habebant communia, sed Athenienses quoque, quorum *δεῖπνα φυλετικά*, *δημοτικά*, *φρατρικὰ* et *ὀργεωνικὰ* huc referenda esse, auctor est Athenaeus l. l. 5, 2. Nec vero Graecis tantummodo haec usitata fuerunt. Habebant enim et Carthaginienses *συσσίτια τῶν ἑταιριῶν παραπλήσια τοῖς φιδιτίοις*, ut docet Aristoteles l. l. 2, 11. Apud Romanos quoque talia convivia obtinuerunt, qui collegia sodalitia habebant, quae in libris *βασιλικῶν* vocantur *ἑταιρικὰ συστήματα* et propter epulas instituebantur; nec fere collegia fuerunt, quae non haberent *συμπόσια* et commessationes. Huc collimat ipse Cicero*). Plura de his congessit Guil. Stuckius in Antiquitatt. Convival. 1, 31. Nec tamen a gentilibus haecce convivia arcessenda sunt, cum hic mos primum Hierosolymis obtinuerit apud Christianos primitivos, Actor. 2, 46. qui omni animi intentione aversabantur gentilium ritus et festivitates.

Majorem veri speciem eorum opinio habet, qui ex moribus Judaeorum hasce coitiones ad capiendum cibum derivandas esse contendunt. Obtinuisse apud Judaeos convivia agapis affinia, e pluribus legis Mosaicae locis colligi potest. Mos fuit apud Hebraeos, ut sacerdotes sacrificiis epulas adjungerent hancque consuetudinem omnes sequerentur, qui munera Deo offerent, ad quae amicos vicinosque invitarent pauperumque inprimis et pupillorum rationem haberent. Quod quidem apparet luculenter ex locis Levit. 4, 26; 7; coll Deuteron. 12, 14, 16. Jam vero ante disciplinam Mosaici cultus talia convivia recepta fuisse, discimus ex Genes. 31, 54. coll. Exod. 18, 12; 22, 6.

Alii monent in synagogis xenodochia fuisse, in quibus synagogae sumtibus viatores et peregrinantes hospitio excipiebantur indeque derivatas fuisse agapas existimant. Veteres enim, dicunt, Christiani multis in rebus laudabiles synagogarum mores imitati sunt nec probabile est, ab illis praetermissum esse morem non modo pium sed et necessarium. Cum enim apostoli et discipuli evangelizantes pauperes satis essent horumque multi cum ex temporum iniquitate tum ex ipso Christi praecepto, insuper ob professionem evangelii sedibus suis exularent, flagitabat honos evangelii, necessitas rei et pietas caritasque christiana, ut istiusmodi hospites tali subsidio aliquo sublevarentur.

Concedendum quidem est, Christianos novitios singularem habuisse curam alendorum et sustentandorum pauperum iisque *φιλοξενίαν* admodum commendatam fuisse, quod multi Paulinarum epistolarum loci docent. Admitti etiam potest, e synagogis apud Christianos receptum

*) De Senect. 13. Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice; sed erat quidam fervor aetatis; qua progrediente, omnia fient in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt.

fuisse morem, ut, sicuti synagogae praepositi singularem curam pauperum et pupillorum haberent, ita quoque praepositis in ecclesiis christianis idem officium injunctum fuerit, quod clarissimis verbis fatetur Justinus Martyr.*). Verum an agaparum origo inde recte deducatur, vehementer dubitamus.

Primum agapae veterum Christianorum convivia fuerunt sancta, in communi accumbentium coetu haberi solita, quibus interesse omnibus licebat, qui fidem in Christum profitebantur, non solum pauperibus, sed divitibus etiam, ut ex 1 Cor. 11, 19 ss. luculenter apparet; at in distributione alimentorum, quae pauperibus praebebantur, et in epulis, quae hospitum et peregrinantium causa instituebantur, indigentes, inopes et egeni duntaxat admittebantur, qui aliunde victum sibi parare non poterant. Qui ut soli vocarentur, sedulo cavebat ecclesia. Cfr. Prudentii hymn. 2. de pass. Laurent. v. 158 ss.

Deinde haec subsidia ad sustentandos et sublevandos pauperes quotidie praebebantur, quia quotidie iis opus erat, semperque aderant, quibus subvenire debebat ecclesia. Sed nullo modo demonstrari potest, Christianos ad capiendum cibum promiscuum et innoxium quotidie coivisse, praesertim cum Plinius in notissima illa ad Trajanum epistola (10, 97.) affirmet, stato die haec convivia adornata fuisse.

Tum etiam agaparum celebratio aliter comparata erat, quam hospitum et viatorum apud Judaeos receptio. Judaeorum enim ad pauperes sublevandos epulae communes fuerunt et vulgares minimeque sacrae; at longe diversum erat agaparum institutum apud Christianos. Sacrum erat et ab usu profano abhorrebat; receptum ad amorem mutuum inter Christianos commovendum et confirmandum. Praeterea agapae praesertim in memoriam passionis et resurrectionis Jesu Christi instituebantur et sequebatur, tanquam mensa secunda, eucharistia.

Agapis denique celebrandis interesse non cuivis viatori et peregrinanti permissum erat. Admittebatur enim nemo, nisi, qui se ipsum probare poterat. Pauperibus autem, viduis et peregrinantibus peculiariter subveniebat ecclesia. 1 Timoth. 5, 16. Plane igitur diversae erant hae Judaeorum ad sustentandos pauperes epulae ab illis, de quibus Plinius agit. Qua de re omnino conferantur Cypriani ep. 2. p. 4. Chrysostomi homil. 27. in 1 Cor. 11. — Quae cum ita sint, alia quaerenda est via apertior et rectior, qua a Judaeis, quorum instituta plurima Christiani veteres imitati sunt, agapae in ecclesiam immigrasse probabilius dicantur. Hanc viam monstrasse nobis videtur Hugo Grotius**), qui ita: „Mos erat Hebraeis, qui et nunc manet festis diebus, quos bonos vocant, vocare ad coenam propinquos, vicinos aut amicos supra decem, infra viginti, quae erat justa sodalitas sive φρατριά, exponente Josepho. Coe-

*) Apolog. 2. p. 99. ed. Colon. Καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς δὲ καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται.

**) De coenae administrat. ubi pastores non sunt. p. 22.

nae fine panis melior ac frangi facilis adferebatur, de eo particulas convivator dividebat convivis; adferebatur et calix, qui et ipse a convivatore libatus, ibat in orbem: addebantur verba Deo gratias agentia, quod creasset panem ex terra et fructum vitis." Nec tamen diebus festis solis haec convivia a Judaeis celebrabantur, sed quovis sabbati die, quippe qui etiam illis festus erat. Constat enim, Christum die sabbati ad convivium vocatum fuisse. Luc. 14, 1, 7. Spencer de legg. hebr. ritual. I, 4. p. 112 s. Maxime autem solennia erant Judaeorum convivia in sacrificiis parari solita; 1 Sam. 9, 12—22 seq.; Exod. 22, 6; 18, 12. Erant haec non profana aut ludicra, sed a vulgari usu abhorrentia et sacra coramque Deo ipso et in honorem ejus adornata. Spencer. l. l. 3, 8, 1. Guil. Stuck Antiquitatt. convival. 1, 33. Principem locum obtinuit celeberrimum illud convivium paschale, cujus egregiam habes descriptionem Exod. 12. Quod etiam Christus cum discipulis suis celebravit, et more judaico praemisit, quove peracto coenam sacram secundum disciplinam Judaeorum in pane et vino celebrandam addidit. — Nec tales epulas Jesus unquam abrogavit, sed suo exemplo potius confirmavit et probavit 1 Cor. 11, 24. Praeterea etiam εὐλογίας, hymnos et consuetas preces addidit, qui mos etiam apud Judaeos invaluit. Cfr. Stuckii Antiquit. convival. 2, 34. Samuel. Basnagii Annal. ad ann. 33. §. 54. Quae omnia si accurate consideramus, facile invenimus, agapas apud veteres Christianos nihil aliud fuisse, quam convivia sacra Judaeorum more celebrata. In agapis enim, sicuti in conviviis Judaeorum sacris, ritus, hymnos, preces, εὐλογίας deprehendimus nullaque causa subest, quin dubitemus, agapas esse judaicae originis. Judaicam enim consuetudinem Christiani novitii reservarunt et transtulerunt. Multum hic valet comparatio loci Actor. 2, 46. ubi prima et elegantissima horum conviviorum descriptio exstat. Vero igitur propiorem sententiam sine dubio tuentur ii, qui Grotio duce apud Judaeos primordia agaparum quaerenda esse censent; nec est, quod hac sententia offendantur ii, qui agaparum originem repetere malint ab exemplo Christi, qui sumta cum discipulis suprema coena paschali, amorem iis et caritatem praecipue commendavit, praesertim cum haec ipsa coena ad Judaeorum morem, quem diximus, pertineat. — §. 3. Utrum agapae ante, an post sacram coenam celebratae fuerint? Summa est hac de re apud eruditos opinionum varietas. Quidam existimant, agapas ab eucharistia separatas fuisse, alii conjungunt quidem has epulas cum coena sacra, tamen contendunt, hanc illis praecessisse, alii illas praemissas esse credunt. Agaparum celebrationem apostolorum tempore cum ipsa coena dominica conjunctam fuisse, ex pluribus N. T. locis colligitur Actor. 2, 46; 1 Cor. 11, 20—21. Sed aliis quoque argumentis haec sententia confirmari posse videtur. Primum enim considerandum est, agapas ideo in crimen tractas fuisse, quod crederent gentiles infanticidia committi et panem cruentatum convivis offerri, quae calumnia ex eucharistiae celebratione sine dubio orta est. Deinde hoc etiam indicat agaparum origo, cum Christus more judaico convivium paschale cum discipulis suis celebraverit et coenam s. addiderit. Quem ad morem an-

tiquum in paschali coena se conformasse Christum, evangelistae docent. Lucas 22, 20. testatur, poculum eum sumsisse, postquam coenasset (*μετὰ τὸ δειπνῆσαι.*). Idem Paulus fatetur 1 Cor. 11, 25; nec obstat Matth. 26, 26. et Marc. 16, 22. *ἐσθίοντων αὐτῶν.* Tum etiam Plinius, qui accurate in instituta Christianorum inquisiverat, unius tantummodo convivii stato die haberi soliti mentionem facit. — Aberraverunt igitur, qui ex Tertulliani Apolog. 34. evincere studebant, in agapis eucharistiae nullum usum fuisse, quod Tertullianus in hoc loco plane de s. coena taceat. Sed nihil exinde sequitur. Valde autem cavendum est, ne originem ex consuetudine deducamus, quae tempore demum procedente invaluit. Accidisse hoc videtur Justello, qui agaparum varium usum minime respiciens, in notis ad Cod. canon. univers. eccles. ad canon. 11. concil. Gangrens. nimis audacter affirmat: Prima erat: *ἄρτου κλάσις;* secunda pars *ποτήριον τὴν εὐλογίας;* tertia pars *ἀγάπη* h. e. sobrium convivium a Christianis in ecclesia celebrari solitum. Caeterum agapae modo ante, modo post eucharistiam celebrabantur. Quod eo dilucidius apparebit, si scriptorum ecclesiasticorum locus in utramque partem adscripserimus. Eucharistiam post agapas fuisse celebratam primis ecclesiae temporibus, ex locis supra e novo foedere allatis manifestum est. Cfr. inprimis 1 Cor. 11, 21. ubi apostolus *κυριακὸν δεῖπνον* eorum vocat, qui conveniebant ad commune convivium in ecclesia parandum. In quo id potissimum reprehendit, quod unusquisque propriam prius coenam sumebat, adeo ut alii esurirent, alii vero essent luxuriosi. Dicit enim: *Ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν.* Unde apparet, eos prius coenasse, tumque s. coenam in his conviviis sumsisse. Apud Corinthios enim prava consuetudo invaluit, ut ante coenam dominicam ecclesiam conviviis turbarent et dehonestarent. Voluit autem Paulus, ut omnes in commune vescerentur, ut divites sua ex abundantia pauperes inopesque recrearent. Probatur haec sententia, agapas s. coenam praecivisse, nonnullis etiam scriptorum ecclesiasticorum locis classicis Sozomeni*) et Socratis**), qui tanquam rem singularem notat, quod in ecclesiis Aegypti et Thebaidis diebus sabbati sub vesperam, postquam epulati sint et variis cibis saturati, oblatione facta eucharistiam celebrent. Quod etiam concil. Trullan. can. 29. prohibetur, ipsa quinta feria hebdomadis paschalis non excepta. — Temporibus serioribus, ordine immutato, post eucharistiam agapae instituebantur. Quando hoc fieri coeperit, ex concilio Carthaginiensi, Aurelii tempore celebrato, colligi posse videtur, quod sanxit, ut sacramenta altaris non-

*) Hist. eccl. 7, 19: *Παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις ἐν πολλαῖς πόλεσι καὶ κώμαις παρὰ τὸ κοινῇ πᾶσι νενομισμένον πρὸς ἑσπέραν τῷ σαββάτῳ συνιόντες, ἡρι-στηκότες ἤδη, μυστηρίων μετέχουσι.*

**) Hist. eccl. 5, 22. (p. 286. ed. Vales.): *Αἰγύπτιοι δὲ γείτονες ὄντες Ἀλεξανδρέων, καὶ οἱ τὴν Θηβαΐδα οἰκοῦντες, ἐν σαββάτῳ μὲν ποιοῦνται συνάξεις, οὐχ ὡς ἔθος δὲ χριστιανοῖς τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι. Μετὰ γαρ τὸ εὐωχηθῆναι, καὶ παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι, περὶ ἑσπέραν προσφέροντες τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι.*

nisi a jejunis hominibus celebrarentur*). Idem canon excipi vult diem anniversarium, quo coena dominica celebratur. Eo quippe die a coenatis sumebatur secundum institutionem Christi**). Huc etiam pertinet, quae Augustinus ad Ianuarium scribit***). — Agapas procedente tempore post eucharistiam celebratas esse, Chrysostomus pluribus locis testatur †). Quem pro more imitatus est Theophylactus ††). Idem affirmat Theodoretus †††). Nec refragatur Oecumenius †*), quibus etiam adjungi potest Zonaras †**).

Priorem ordinem postea immutatum esse, ipse fatetur Augustinus †***), cujus sententia haec est: primis temporibus sacram coenam post cibos sumtam, postea vero hanc consuetudinem per universam ecclesiam immutatam auctoremque mutationis Paulum apostolum fuisse.

---

*) Canon 41: *ὁ τῶν ἐν Καρθαγένῃ διαγορεύει κανών, ὡστε τὸ τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου εἰ μὴ ὑπὸ νηστικῶν ἀνθρώπων μὴ ἐπιτελεῖσθαι, ἐξηρημένης μιᾶς ἐπησίας ἡμέρας ἐν ᾗ τὸ κυριακὸν δεῖπνον ἐπιτελεῖται.*

**) Concil. in Trullo. can. 29.

***) Epist. 54: Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam coenam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri et accipi liceat corpus et sanguinem Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, post refectionem, quae hora nona fit, ad oblationem possit accurrere. Quapropter nemini cogimus ante dominicam illam coenam prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.

†) Homil. 27. in 1 Cor. 11. p. 289: *Κοινὰς δὲ ἐποιοῦντο τὰς τραπέζας ἐν ἡμέραις νενομισμέναις, ὡς εἰκὸς, καὶ τῆς συνάξεως ἀπαρτισθείσης μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν ἐπὶ κοινὴν πάντες ἦεσαν εὐωχίαν.* Add. homil. 22. Tom. V. p. 280.

††) In 1 Cor. 11. p. 255: *ἐν Κορίνθῳ κατὰ τινὰς ῥητὰς ἡμέρας, ἑορτίους ἴσως, κοινῇ εὐωχοῦντο μετὰ τὸ μεταλαβεῖν τῶν μυστηρίων.*

†††) In epist. 1 Cor. 11, 16: *εἰώθασιν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, μετὰ τὴν μυστικὴν λειτουργίαν, ἐστιᾶσθαι κοινῇ πλουσίοι τε καὶ πένητες.*

†*) In 1 Cor. 11. Tom. I. p. 529: *Κατὰ φανερὰς ἡμέρας ἤγουν ἑορτασίμους μετὰ τὴν τῶν ἁγίων μυστηρίων μετάληψιν, ἐγίνετο δεῖπνα κοινὰ τῶν πλουτούντων παρασκευαζόντων, καὶ τοὺς πένητας συγκαλουμένων.*

†**) Ad canon. 11. concil. Gangrens. *Εἰθίστο ἐξ ἔθους ἀρχαίου τοῖς πίστοις, μετὰ τὴν τῶν ἁγιασμάτων μετάληψιν, συνέρχεσθαι καὶ συνεσθίειν.*

†***) Ad Januar. ep. 118: „Et liquide apparet quando primum acceperant discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universae ecclesiae, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui S., ut in honorem tanti sacramenti in eos Christiani prius dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim, quia *post cibos* dedit Dominus, propterea pransi aut coenati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicuti faciebant, quos apostolus arguit et emendat, mensis suis ista miscere. — Et ideo non praecipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper sumeretur, credo, quod eum morem nemo variasset; cum vero ait apostolus de hoc sacramento loquens, propter quod fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate, si quis esurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis, statim subtexuit, cetera autem cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat ecclesia, ab ipso ordinatam esse, quod nulla morum diversitate variatur.“

Nos vero neutiquam hac in re consentimus cum Augustino, cum demonstrari nullo modo possit, Paulum vel immutasse totam rem vel immutare voluisse. Constat potius ex ipsius apostoli verbis (1 Cor. 11, 16—22.) antiquum morem reservatum idque minime ab eo reprehensum esse. Praeterea ex locis quibusdam Tertulliani apparet, mutationem illam per meram consuetudinem nec vero per apostolicum quoddam decretum factam esse. Repugnat insuper haec Augustini opinio historicae veritati, nam loci ex Sozomeno et Socrate supra a nobis allati manifeste contrarium evincunt. Testimoniorum autem, quae pro una alterave opinione afferri possunt, enumeratio, an ullius momenti sit dubitamus. Utrumque enim admitti debet, cum ante, tum post sacram coenam valuisse hunc morem celebrandi agapas. Primis ecclesiae temporibus, duobus certe prioribus seculis, sacram coenam praecesserunt, quamvis id neget Baronius*), Chrysostomi auctoritate fretus, cujus mentem non assecutus est. Aliud sane documenta paulo ante allata indicant et manifeste evincunt. Quando vero et quo temporis spatio agapae ante coenam dominicam agi desierint, non facile expedire licet, nisi ad hanc litem dirimendam auctoritate utamur concilii Carthaginiensis can. 41., quod decrevit, ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrarentur, excepto die anniversario (viridium scilicet nomine appellato), quo coena s. celebratur. Qua in consuetudine recentiori umbra remansit pristini moris, e qua colligi potest, olim post agapas sacram coenam sumtam esse. Quo enim alio consilio dies viridium exceptus est, quam illo, ut pristini moris memoria retineretur? Silentio hic praeterire non possumus, viros quosdam doctos, interque hos ex recentioribus Augustium**) dubitasse, num agapae semper cum eucharistia conjunctae fuerint nec ne. Antiquissimis temporibus agapas simul cum s. coena celebratas fuisse, supra a nobis ostensum est. Morem etiam hunc procedente tempore plerumque reservatum esse, Patrum loci evincunt. Cum vero agaparum ritus ob insigne ecclesiarum incrementum non ubique et quovis tempore frequentari posset, circa medium fere sec. 2. eucharistia etiam sine agapis celebrata est. Quod quidem ex Justini Mart. apologia 2. p. 97. constat, qui, etsi Romanae tantummodo ecclesiae mores describat, tamen ostendit, illo tempore etiam sine agapis adornatam fuisse s. coenam. Dicit enim: *καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν.* Nec refragatur Tertullianus, qui (de coron. mil. 3. p. 102.) ait: „Eucharistiae sacramentum et in tempore victus et omnibus mandatum est a Domino, etiam anteculannis coetibus.“ Ex quibus sole meridiano clarius apparet, plane arbitrarium fuisse, utrum tempore victus h. e. ubi agapae instituebantur, et ita ex more pristino post agapas, an vero extra eas, anteculanis coetibus, ubi haec convivia minime adornata sunt, eucharistia sumeretur. Cypriani temporibus jam in legem abiisse videtur, ut sine agapis eucha-

*) Annal. Tom. I. ad ann. 57. num. 131 s.

**) Denkwürdigkeiten I. p. 124 ss.

ristia sumeretur*). — §. 4. De tempore horum conviviorum. Ex praecedentibus intelligere possumus, temporibus crescentis ecclesiae agapas cum s. coena conjunctas fuisse. Quod ex Plinii ipsius verbis colligi potest. Ait enim in notissima illa epistola ad Trajanum: „Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque coëundi ad capiendum cibum.“ Quod quamvis tempus coitionum non satis accurate determinet, illud tamen ex ejus verbis sequitur, Christianos hasce epulas non anteculanis in coetibus parasse, sed earum causa coivisse stato die et quidem advesperascente coelo. Christus ipse vespertino tempore s. coenam instituit, quem imitabantur veteres Christiani. Sub vesperam adornatas fuisse hasce epulas, ex Tertulliani verbis intelligitur, tradentis**): „Ita esurantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.“ De eorum autem, qui his conviviis interfuerunt, discessu ait: „ut qui non tam coenam coenaverint quam disciplinam.“ Multum confert ad hoc perspiciendum loci Socratis (hist. eccl. 5, 22.) comparatio, ubi disertis verbis affirmatur, agapas semper institutas fuisse sub vesperam. Ex loco Actor. 20, 7—11. discimus, Paulum in Troade jam idem observasse, qui congregatis ad frangendum panem discipulis, docebat sermonemque ad mediam usque noctem producebat. Procedente autem tempore et circa medium fere sec. 2., forsitan propter persecutiones, quibus premebantur Christiani a gentilibus, eucharistiam saepe antelucanis horis agebant***), nec conveniens videbatur, tunc agapas sequi. Christianos revera ob metum persecutionis nocturno tempore coivisse idque jam apostolico aevo factum esse, legimus Actor. 12, 12. Mox nova totius rei immutatio videtur subsecuta. Quod saltem Justinus Mart.†) et Tertullianus††) affirmant. Quonam vero hebdomadis die haec convivia parata fuerint, facilius expedire licet. Stato die ad capiendum cibum promiscuum et innoxium coivisse Christianos, testis est Plinius nec dubitare possumus, quin aut sabbatum aut solis dies intelligi debeat. Judaeos die sabbati convivia adornasse, supra ostendimus. Apud Christianos autem, maxime apud eos, qui ex gentilibus religionem christianam profitebantur, diem solis festum fuisse et solennem, laetitiae et hilaritati destinatum, constat. Nullus etiam hebdomadis dies magis conveniens fuit, quam is, qui a sole nomen traxit. Usitatas hoc die fuisse Christianorum epulas, comprobant Justinus Mart.†††), Oecumenius et Theophylactus. Dies solis ideo praesertim electus esse videtur, quia veteres Christiani in resurrectionis Jesu Christi memoriam, sacrum et solennem hunc esse voluerunt. Gravissimus hac de re testis est

*) Ep. 63. p. 156.

**) Apolog. 39. p. 32.

***) Tertullian. de coron. 3. ad Uxor. 4. De fuga in persecut. 14. Caecilius Natalis apud Minuc. Fel. in Bibliothec. Patr. Tom. III. p. 244. Lit. C. Socrat. hist. eccl. 5, 22.

†) Apolog. 2. p. 97 s.

††) De coron. 3. p. 102.

†††) Apolog. 2. p. 99: *Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται.*

Justinus M. *). Ex Judaeis vero Christiani sabbati etiam diem his epulis destinabant. Utroque itaque die Christianos haec convivia adornasse credere licet. Judaeo-Christiani sabbatum reservabant, ii vero, qui ex gentilibus Christiani facti sunt, diem solis retinebant. Audiamus Tertullianum **), qui ait: „Aeque, si die solis laetitiae indulgemus, alia longe ratione, quam religione solis, secundo loco ab iis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi ab judaico more, quem ignorant.“ Tertulliani sententia haec est: Christianos die solis laetitiae indulsisse, Judaeos vero sabbatum retinuisse huncque morem etiam gentiles observasse. Clarius haec omnia exposuit in libro ad Nationes ***). Cum igitur dies solis ex nova Christianorum disciplina, is autem, qui a Saturno nomen traxit, more judaico solennis haberetur, omnia illis diebus jejunia interdicta sunt †).

Caeterum jure possumus suspicari, etiam aliis hebdomadis diebus Christianos his epulis vacasse, praesertim in persecutionibus. Colligi hoc posse videtur ex Cypriano ††). — §. 5. De loco horum conviviorum. Alia adhuc restat difficultas in definiendo loco horum conviviorum et eo cautius consideratiusque agendum est in hac re, ne nascentis et adultae jam ecclesiae tempora confundamus. Apud Judaeos sacra convivia sive in conclavibus templo adjacentibus sive in privatis aedibus parata fuisse constat. Illuc convivia in sacrificiis usitata pertinebant †††), huc vero eae epulae, quae in memoriam beneficiorum divinorum a patribus familias instituebantur. Christiani primitivi, qui hunc morem a conviviis judaicis transferebant et reservabant, agapas suas celebrarunt in domiciliis privatis (*κατ' οἶκον*. Act. 2, 46.). Ecclesiarum privatarum frequenter mentio fit in epistolis Pauli. Salutat enim passim personas v. c. Nympham, Appiam, Archippum *καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν* (Rom. 16, 5; 1 Cor. 16, 19; Col. 4, 15.). Sequitur exinde, in aedibus illorum loca fuisse sacris peculiariter destinata, in quibus conveniebant Christiani. Facere hoc debebant, quia numerus eorum, qui fidem in Christum profitebantur succresceret et locus in uno domicilio non sufficeret. Templis enim, basilicis locisque ab aliis usibus

*) Apolog. 2. p. 99: *Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν, κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα· ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε. Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.*

**) Apolog. 16. p. 16.

***) Cap. 13. p. 50: „Alii plane inhumanius solem christianum Deum aestimant, quod innotuerit, ad orientis partem facere nos precationem, vel die solis laetitiam curare. Quid vos minus facitis? — Vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, et ex diebus ipsum praelegistis, quo die lavacrum subtrahatis aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis, quod quidem facitis exorbitantes et ipsi a vestris ad alienas religiones. Judaei enim festi, sabbata, et coena pura, et Judaici ritus lucernarum, et jejunia cum azymis et orationes literales, quae utique alienа sunt a diis vestris.

†) Constitut. Apostolic. 5, 20; 7, 24; 8, 33. Tertullian. de jej. 14.

††) De orat. dominic. p. 147: „Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus.“

†††) Philo de plant. Noae. p. 237.

separatis et unice sacris peragendis destinatis et consecratis caruerunt Christiani novitii. Constat enim eos prohibitos fuisse, publicos plena luce agere conventus. Fieri igitur non potuit, ut templum vel alium locum stabilem rei divinae circumscriptum et proprium adornarent, ubi stato tempore convenirent remotique a strepitu et profanis negotiis sacra sua obirent, cum in persecutionibus, quibus premebantur, abdita quaerendi locaque saepe mutandi necessitas ipsis imposita fuerit. Si enim templa habuissent Christiani primaevi, Plinius certe mentionem quandam eorum fecisset nec obiter scripsisset, eos ante lucem convenire solitos fuisse. In Troade conveniebant in coenaculo, eodem modo coibant Corinthii. Suasit hoc non solum templorum penuria, sed etiam amor caritasque Christianorum primaevorum, animorum intima conjunctio et admirandus quidam fraternitatis sensus, ut potius omnes *κατ' οἶκον* conjunctim has epulas pararent, quam singulis patribus familias more Judaico concederent instituendas. Procedente autem tempore, cum ecclesia christiana adolesceret opibusque aucta et locupletata esset, templa aedificabantur agapaeque in publico dabantur, ita ut in aedibus sacris convenire possent majorque esset horum conviviorum tum auctoritas tum sanctitas. Referri huc debet concil. Laodicen. can. 28. et 57. ubi cautum est: „Ut, quoniam ecclesiae suppetant jam aedes sacrae, sacra quoque in iisdem rite tractarentur, quae vero a vetere pietatis lege ad profanum usum deflexerint, contra penitus ejicerentur."

Nec vero hic mos perpetuus remansit. Uti enim haec convivia in publicis conventibus ab initio habebantur, sic postea per decreta conciliorum a templis propter varios abusus et corruptelas *) fuerunt remota, et tantum usque ad tempora concilii Laodicen. ann. 346. habiti duraverunt, quod lege singulari prohibuit, ne agapae in ecclesiis instituerentur **). Concilium in Trullo canon. 74. decretum illud retinens, pauca tantum addidit ***). — §. 6. De iis, qui interfuerunt his conviviis, vel dirigentes vel accumbentes. Quod attinet ad eos, qui haec convivia dirigebant, eorum etiam officia et negotia a Judaeorum ritibus religiosis arcessenda sunt idque eo majore fide dici potest, cum agapae, ut supra demonstratum est, judaicae sint originis. Apud Judaeos praesidis officium implevit paterfamilias, qui non solum coenam ipsam parabat et cibos consecrabat, sed suetas etiam preces faciebat. Quam consuetudinem usu sancitam Christus ipse retinuit. Ita etiam post ejus discessum apostoli in ecclesia Hierosolymitana fecerunt, nec vero ut sacerdotes adfuerunt. Eo tempore patres familias adhuc coenas parabant et dirigebant; cumque Actor. 2, 46. legamus *κατ'*

*) De quibus vid. Tertullian. adv. Psych. 17. Clement. Alex. Paedagog. 2, 1.

**) Canon. 28: *Οὐ δεῖ ἐν τοῖς κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθίειν καὶ ἀκκούβιτα στρωννύειν.*

***) *Οἱ δὲ τοῦτο ποιεῖν τολμῶντες, ἢ παυσάσθωσαν ἢ ἀφοριζέσθωσαν.* Quem in locum commentatus est Balsamon haec verba faciens: *Διορίζεται ὁ κανὼν, μὴ συμποσιάζειν τινὰς ἐν ἐκκλησίαις.*

οἶκον epulas illas instructas fuisse, eo certius affirmare possumus, etiam Christianos primaevos ad hunc morem se accommodasse. Quam saltem sententiam tuetur Erasmus *). Illud certe dubitari nequit, negotium hoc viris gravibus et auctoritate pollentibus datum fuisse. Ubi autem agapae cum coena dominica in locis sacris celebrabantur et edebantur instar mensae secundae, non omnes patres familias seorsim coenas suas parare poterant, sed episcopi et presbyteri ordinabant. Qua in re peccasse Corinthios Paulus conquestus est. Primo intuitu videtur, apud Corinthios tales personas dirigentes non fuisse. Sed certe fuerunt. Apostolus enim 1 Cor. 12. et 14. longum catalogum ordinum affert, et quae cuique facienda essent, exponit (1 Cor. 12, 28 s.). In aliis quoque ecclesiis sine dubio fuerunt, qui haec convivia ordinarent. Id saltem de Christianis, qui Romae versabantur, testatur Justinus Mart. Dicit enim: τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται **). Aliorum vero etiam mentio est facienda, quibus interesse his conviviis licebat. Paganis aliarumque religionum asseclis aditus ad haec convivia non patebat. Vocabantur tantummodo ii, qui in communionem ecclesiasticam recepti erant et adhuc in ea persistebant continuata pietatis laude insignes. Quare ante baptismum nemo admittebatur. Fusius hoc explicat et causas simul addit Justinus Mart. ***). Infantes baptizati adesse poterant. Quos ideo non arcendos esse crediderunt, quia communionis ecclesiasticae facti erant participes †). Qui tamen mos sensim abrogari coepit, cum Christiani statuerent, ut nemo admitteretur, nisi qui se ipsum probare posset. Hinc abesse jussi catechumeni, quippe qui nondum civitatem Dei adepti erant, ut cum Augustino loquamur. Idem valet de poenitentibus, ut ex decreto colligimus concilii Ilerdensis ††). Porro non admittebantur ii, qui post baptismum ejecti erant vel desertores, adeoque ecclesiae communione privati. Idem apud Judaeos moris fuisse, ut excommunicati nulli coenae communi interesse debuerint, res est satis nota. Quem morem Paulus 1 Cor. 5, 11. videtur respexisse. — §. 7. De modo et ratione horum conviviorum. Restat, ut amplius de modo et ratione horum conviviorum dicamus. Mos fuit apud Hebraeos, ut preces, orationes, sermones sacri gratiarumque actiones epulas et convivia finirent. Quae consuetudo ad Christianos primitivos translata est. Sicuti enim Judaeorum convivia, de quibus jam supra sermo erat, non profana et ludicra, sed sacra et in honorem Dei adornata fuerunt, sic etiam agapae veterum Christianorum sanctae erant et in Dei et Christi honorem instituebantur †††). Hilaria quidem erant

*) Epistol. ad Tonstall. lib. 26.

**) Apolog. 2. p. 97—99, qui locus hac de re est insignis.

***) Apolog. 2. p. 97.

†) Cyprian. de laps. p. 132.

††) „Lapsi septem annis inter catechumenos orent et duobus inter catholicos, postea fidelibus in oblatione et eucharistia communicent.“

†††) Actor. 2, 44—47. Πάντες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά. Καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε. Καθ' ἡμέραν τε προσκαρ-

haec convivia, sed et sobria, religiosa, frugalia caritatisque christianae tesserae, amoris mutui testandi atque confirmandi causa recepta. Christiani divites pauperesque pari victu utebantur. Coenabant enim pauperes ditiorum sumtu cibosque sumebant ab his allatos. Saepius hoc legimus apud Chrysostomum *). Idem testantur Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus et Hieronymus **). Peregrinis, absentibus et aegrotis cibi necessari praebebantur. Viduarum quoque et pupillorum ratio habebatur ***). Ferculis opiparis et lautis locus non dabatur, quippe quae non ferebat prisca victus christiani simplicitas. Qua de re luculenta exstant testimonia apud Cyprianum †), Tertullianum ††) et Augustinum †††). Idem passim animadvertunt Irenaeus †*) et instar omnium Clemens †**). Quidam convivae vino abstinebant †***). Prudenter hoc temperavit Clemens Alex. *†). Plinius ipse affirmat, Christianos solitos fuisse coire ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium **†). Quocum consentit Minucius Felix, qui, cum Christianus esset, agaparum hanc reddit rationem ***†): „Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus: sed gravitate hilaritatem temperamus.“ — Non audiebantur improborum voces, nec ventri et gulae serviebant convivae, sed honestis fungentes officiis parcissime vescebantur summa cum pie-

---

τεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ, κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας, αἰνοῦντες τὸν Θεόν, καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν.

*) Homil. 22. in 1 Cor. 11. Tom. 5. (p. 280. ed. Franc.): Ἐκ τούτου τοίνυν τοῦ νόμου καὶ τοῦ ἔθους ἐγένετο τις συνήθεια θαυμαστὴ τότε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. συνιόντες γὰρ οἱ πιστοὶ πάντες μετὰ τὴν τῆς διδασκαλίας ἀκρόασιν, μετὰ τὰς εὐχὰς, μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν, τῆς συνάξεως λυθείσης οὐκ ἀνεχώρουν εὐθέως οἴκαδε, ἀλλ' οἱ πλούσιοι καὶ εὐπορώτεροι φέροντες οἴκοθεν τροφὰς καὶ ἐδέσματα, τοὺς πένητας ἐκάλουν καὶ κοινὰς ἐποιοῦντο τραπέζας, κοινὰς ἑστιάσεις, κοινὰ συμπόσια ἐν αὐτῇ τῇ ἐκκλησίᾳ. ὥστε καὶ ἀπὸ τῆς κοινωνίας τῆς κατὰ τὴν τράπεζαν, καὶ ἀπὸ τῆς εὐλαβείας τῆς ἀπὸ τοῦ τόπου, καὶ πανταχόθεν τὴν ἀγάπην αὐτοῖς ἐπισφίγγεσθαι, καὶ πολλὴν μὲν τὴν ἡδονήν, πολλὴν δὲ αὐτοῖς γίνεσθαι τὴν ὠφέλειαν. οἱ δὲ γὰρ πένητες παραμυθίας ἀπέλαυον οὐ τῆς τυχούσης, καὶ οἱ πλουτοῦντες πολλὴν εὔνοιαν καὶ παρὰ τῶν τρεφομένων, καὶ παρὰ τοῦ Θεοῦ, διὰ ὃν ταῦτα ἐποίουν, πεπασαμένοι πολλὴν τὴν χάριν, οὕτως ἀπῆεσαν οἴκαδε. Add. homil. 27. in 1 Cor. 11. p. 289.

**) In 1 Cor. 11, 16 s.

***) Justin. Mart. Apolog. 2. p. 99.

†) epist. 11. (p. 26. ed. Oxon.) „Sed et de victu parco, et sobrio potu divinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore coelesti sublime jam pectus illecebra secularis enervet vel ne largioribus epulis mens gravata, minus ad preces orationis evigilet.“

††) ad Martyr. 1—2. Apolog. 39.

†††) contra Faust. Manich. 20, 20. „Agapas nostrae pauperes pascunt, sive frugibus sive carnibus.“

†*) adv. haeres. lib. 4.

†**) Constitut. Apostol. 2, 22.

†***) Hieronym. de script. eccles. 10.

*†) Paedagog. 2, 12.

**†) ep. 10, 97.

***†) Octav. 31, §. 6.

tate, temperantia et modestia, quibus coenam non magis suavem, quam sanctam reddi arbitrabantur. Habebantur praeterea sermones et sacra scriptura legebatur. Quare Lucianus in epist. de mort. Peregrin. de Christianorum conviviis sacris narrat: *εἶτα δεῖπνα πολυλα εἰσεκομίζετο καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο.* Hymnos praeterea et psalmos decantatos esse, auctor est Cyprianus*). Finiebantur convivia mutuis complexibus et osculis cum solenni pietatis formula, qua pacem omniaque fausta sibi apprecabantur**). — Quibus praemissis nunc audiamus Tertullianum (apolog. 39.) apud quem elegantissima exstat horum conviviorum descriptio, quam etsi longiorem adscribere abs re non erit. Verba ejus sunt haec: „Coena nostra de nomine rationem sui ostendit, id vocatur, quod dilectio penes Graecos. Quantiscunque sumtibus constet: lucrum est, pietatis nomine facere sumtum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandae libertatis sub autoramento ventris inter contumelias saginandi; sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium, si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplina aestimate, qui sit de religionis officio, nihil vilitatis, nihil immodestiae admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur, editur quantum esurientes cupiunt; bibitur, quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum sibi Deum esse, ita fabulantur, ut qui sciant, Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit, aeque oratio convivium dirimit, inde discceditur non in catervas caesionum, neque in classes discursantium, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiae et pudicitiae, ut qui non tam coenam coenaverint, quam disciplinam.“ Idem in libro ad Mart. (2. p. 329.) dicit: „Imo et quae justa sunt caro non admittit per curam ecclesiae et agapen fratrum: et super quae semper utilia fidei, spiritus adipiscitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non solennes nationum dies ipsa commistione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium caederis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt, vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis, jam a persecutionibus.“ — Quid mirum itaque, si scriptores multos in agaparum collaudationibus versari animadvertamus? Instar omnium subjungamus Chrysostomum; qui morem hunc vocat pulcherrimum atque utilissimum. Dicit enim: *ἔθος κάλλιστον καὶ χρησιμώτατον καὶ γὰρ ἀγάπης ὑπόθεσις ἦν καὶ πενίας παραμυθία καὶ πλούτου σοφρονισμὸς καὶ ταπεινοφροσύνης διδασκαλία.* Add. Tertullian. ad Mart. 20. p. 156;

*) epist. de spectacul. „Sonat psalmos convivium sobrium, et ut tibi tenax memoria est, vox canora, aggredere hoc munus; ex more magis carissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectat aures religiosa mulcedo.“ Add. *Tertullian.* de coron. 3. *Socrat.* hist. eccl. 5, 22.

**) Iustin. Mart. apolog. 2. p. 97—99 seq. Origen. in epist. ad Rom. 16, 16.

de baptism. 9. Clem. Alex. Paedagog. 2. c. 1. p. 345—51. (ed. Oberthür.) Augustin. epist. 116. 118. 233. — §. 8. Varia agaparum genera. In genere agapae vel publicae erant vel privatae. Illae in coetu Christianorum celebrabantur, hae vero in privatis aedibus, ditiorum scilicet, instituebantur. Utriusque generis vestigia in ecclesiis apostolicis occurrunt. Hierosolymis eas κατ' οἶκον adornatas fuisse more judaico, legimus Act. 2, 46. Ubi autem propter accumbentium multitudinem intra privatae domus parietes parari haud poterant, alio in loco, qui multos capere poterat, celebratae sunt. Habuerunt autem Christiani praeter agapas eucharisticas vel dominicas, quoque *natalitias*, *connubiales* et *funerales* sive *funebres*. *Agapae natalitiae.* Cum martyrum memoria ipsorum natali die redeunte recoleretur, ut mutuus inter Christianos amor foveretur et pauperum indigentiae consuleretur, publicae in ecclesia parabantur epulae, quas describit Theodoretus *), atque a gentilium conviviis, quibus suorum illi Deorum festos dies celebrabant, longe diversas esse Christianorum agapas ostendit. *Agapae connubiales.* Nuptiae etiam Christianorum divitum et auctoritate pollentium hisce conviviis decorari solebant **). *Agapae funerales.* Instituebantur hae epulae praesertim in terris occidentalibus, atque in templis habebantur, cum defunctorum piorum funus duceretur ***). Earum meminit Paulinus †), describens convivium a Pammachio senatore Romanis pauperibus instructum, ut Paulinae funus cohonestaret. Etiam in memoriam martyrum et sanctorum tales epulae paratae sunt. Legimus hoc apud Augustinum ††). Quae ex parte cum Romanorum charistiis conferri possunt, quorum mentionem faciunt Ovidius †††) et Valerius Maximus †*). — §. 9. Agapae propter abusum sublatae. Per tria priora secula haec convivia ad mutuum amorem testandum firmandumque celebrata multisque ecclesiis recepta sunt. Postea vero erroribus atque superstitionibus locum fecerunt abususque varii irrepserunt, propter quos conciliorum decretis interdicta sunt. Quod inde factum esse videtur, quod ex nova disciplina mensa secunda ab agapis, tanquam coena principali, separata est. Inveniebantur passim homines, qui ecclesiam contemnentes in privatis aedibus conveniebant conviviaque parabant; quoniamque nihil tam sanctum esse potest, quod hominum vel malitia vel lascivia et petulantia profanum non fiat, hinc, quas pietas et caritas communes epulas induxerant, eas, hominum cupiditate et effrenata licentia corruptas, abolere coacta est ecclesia. Primis jam temporibus non defuerunt, qui sacros hos conventus turbarent et dehonestarent. Qua de re jam Paulus conquestus est. Acerrime autem omnium apostolorum Judas in

*) Evangel. veritat. 8. p. 923—924. ed. Schulz.
**) Gregor. Naz. epist. 1, 14.
***) Gregor. Naz. carm. 10.
†) Epist. 13, 11.
††) Confess. 6, 2. contr. Faust. Manich. 20, 21.
†††) Fastor. 2. v. 617—638.
†*) lib. 2, 1, §. 8.

vitia agaparum in celebratione orta invehitur, ep. v. 12. Singula etiam decreta contra eos edita sunt, qui agapas contemnerent aut dehonestarent *). Pravam agapas dehonestandi consuetudinem Augustini adhuc temporibus invaluisse, lites ostendunt, quas cum Fausto Manichaeo habuit dirimendas **). Idem narrat, Mediolani omnis generis convivia in ecclesia ab Ambrosio cum felici successu interdicta fuisse ipsequc Augustinus forsitan erat, qui Aurelium episc. Carthaginiensem monebat, ut canon concil. Carthag. 3, 30. ederetur, sperans fore, ut Ambrosii exemplo penitus tolleretur licentiosa illa consuetudo ***). Quam vero necessarium fuerit, ut agapae plane tollerentur, ejusdem ad Aurelium epistola satis superque declarat †). In Gallia hi conventus propter abusus, qui irrepserant, prohibiti sunt a concilio Aurelianensi II. ††). Seculo adhuc sexto vestigia harum coitionum deprehenduntur. Quare concilium in Trullo, verbotenus reservans concil. Laodic. can. 28. decretum, pauca tantum addidit. — Indulgentior fuisse videtur Gregorius M., qui hujusmodi agapas in ecclesiarum dedicatione celebrari permisit, praesertim Anglis, qui ad Christi fidem recens conversi erant. Clericis et sacerdotibus etiam postea interdictum est his in conviviis accumbere †††). Quos genio indulsisse, quis dubitabit? Audiamus Gregorium Nazianzen. Carm. 10. qui ita:

„Non epulum natale adiens cum pluribus aut quod
Funereum est, vel quod cunnubiale petens.
Cuncta ego partim dente premam partimque rapaci
Servorum turbae diripienda dabo.

---

*) Concil. Gangrens. can. 11. p. 410. *εἰ τις καταφρονόιη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ Κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφούς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι, διὰ τὸ ἐξευτελίζειν τὸ γινόμενον, ἀνάθεμα ἔστω.* Add. conc. Laodic. canon. 28. Hujuscemodi decretum exstat quoque in conc. Carthag. 3. can. 68. inscript. „*περὶ τοῦ μηδαμῶς συμπόσια ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιτελεῖσθαι.*“ Verba canonis sunt haec: *ὥστε ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μὴ συμποσιάζεσθαι, εἰ μηδὲν τυχὸν ἀνάγκη ξενίας διαβάντες ἐκεῖ καταλύσωσιν, καὶ οἱ λαοὶ δὲ ἀπὸ τῶν τοιουτοτρόπων συμποσίων, ὅσον δυνατόν ἐστιν, κωλυθῶσιν.*

**) contr. Faust. Manich. 20, 20. 21. „Qui se in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt, quum eos, etiamsi in domibus suis id faciant, sana doctrina condemnet? Sed aliud est, quod docemur, aliud quod sustinemus, aliud quod praecipere jubemur, aliud quod emendare praecipimur, et donec emendemus, tolerare compellimur.“

***) epist. ad Aurel. 64.

†) Augustin. epist. ad Aurel. 22. „Haec si prima Africa tentaret auferre a caeteris terris, imitatione digna esse deberet; cum vero et per Italiae maximam partem et in aliis omnibus aut prope omnibus transmarinis ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia orta vel inveterata sanctorum et vere de vita futura cogitantium episcoporum diligentia et animadversione extincta atque deleta sunt: dubitamus quomodo possumus tantam morum labem vel proposito tam lato exemplo emendare.“

††) Can. 12. Tom. IV. Concil. p. 1781. „Ne quis in ecclesia votum suum cantando vel bibendo vel lasciviendo dissolvat, quia Deus talibus votis irritatur potius quam placatur.“

†††) Concil. Laeodic. can. 27.

Atque domum sero repetam, venterque sepulcri
Et vino et dapibus languidus instar erit.
Vitalesque satur potero vix carpere flatus,
Coenam aliam crudus persequar ipse tamen.“

§. 10. Quomodo de his conviviis judicaverint gentiles. Propter agapas Christiani a gentilibus permultis vituperati et suspecti redditi, ab aliis vero paucis laudati sunt et in admiratione fuerunt. Incredibili modo quidam e gentilibus operam dederunt, ut his conviviis omnes, quas possent, maculas inurerent vel eas ridiculas facerent vel horrenda scelera, quae in his conventibus ad capiendum cibum committerentur, fingerent et mentirentur. Alii affirmabant, Christianos humanis carnibus vesci, alii haec convivia detestandae impuritatis incusabant; alii praeterea dicebant Christianorum uxores communes esse virosque promiscuo concubitu uti nec a propriis sororibus sibi temperare. Hinc horrenda illa fabula de ἀνθρωποφαγίᾳ dapibusque Thyesteis, hinc illae famosae *Οἰδιποδείοι μίξεις*, hinc crimina incestus, infanticidii et stuprorum cett. Quae omnia memorantur et refutantur ab apologetis Athenagora, Theophilo Antiocheno, Justino Martyre, Origene, Augustino, Tertulliano, Minucio Fel. aliisque. Priusquam autem haec latius cuctiusque exponamus, alia oritur difficilis quaestio: unde hae calumniae, quibus Christiani a gentilibus male audiebant, ortae fuerint? Christianos gentilibus suspectos fuisse, jam ex eo satis superque intelligitur, quod Plinius in eos inquirere coactus esset. Inprimis illud offendisse videtur gentiles et ex his Romanos praesertim, quod Christiani vel vespertino vel antelucano tempore convenerint et convivia paraverint. Clandestinos autem conventus, nocturnas in templo vigilias omnisque generis nocturnas coitiones Romani singularibus legibus prohibuerunt. Jam lege quadam, quam a Romulo sancitam esse contendunt, cautum erat: *Nocturnas in templo vigilias ne habento* *). Similiter in legg. XII. tabular. nocturna sacra damnantur teste Cicerone **). Verba sunt haec: *Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, quae pro populo rite fiant.* Eodem modo alia lege ita cautum est: *Si quis in urbe coetus nocturnos agitassit, capital esto.* Quod et lege Gabinia est repetitum: *Qui coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisset, more majorum capitali supplicio multaretur* ***). Fiebant enim ejusmodi nocturnae coitiones vel ad ineundas pessimas conjurationes, ut in Bacchanalibus factum esse refert Livius 39, 8. vel ad magiam vel denique ad libidinem exercendam. Unde Paulus Sentent. 5. tit. 33: *Qui sacra impia nocturnave, ut aliquem obcantarent, defigerent, fecerint faciendave curaverint, aut cruci suffigantur aut bestiis objiciantur.* Eodem sensu decreverunt Imperatores Valentinianus et Valens †). Quae cum ita sint, facile apparet, quare nocturnae Christianorum coitiones Romanis suspectae fuerint et perse-

*) vid. Balduin. ad LL. Romul. lib. VIII.
**) de Legib. 2, 9. §. 21.
***) Cfr. Iac. Gothofredus ad LL. XII. tab. in font. jur. civ. p. 143.
†) in Cod. Theod. de malef. et mallficis. l. VII.

cutiones commoverint. Quum enim scelera cujusque generis in paganorum sacris fierent, Romani credebant, apud Christianos quoque nefandos concubitus, incestus, stupra aliaque scelera turpia obtinere. Duabus autem potissimum ex causis hi conventus suspecti erant. Prima erat, quod Christiani infantes vorare, altera quod stupra committere et libidinibus cujusque generis indulgere crederentur. Fabula illa de *ἀνθρωποφαγία* ex sermonibus Christianorum a gentilibus falso intellectis orta esse videtur. Sine dubio Christiani palam dicebant et profitebantur, se carne Christi vesci et sanguinem ejus bibere. Atque hoc facile ansam criminationis iis praebere poterat, qui religione christiana haud erant imbuti. Iudaei autem calumniarum illarum auctores inprimis fuisse videntur, utpote quibus nihil magis curae fuit, quam ut Christianos eorumque religionem, sacra, mores caerimoniasque infamarent et novae sectae asseclas suspectos redderent. Clarissimis verbis hoc fatetur Origenes*). Suspicari etiam licet hos interdum sub falsa confessorum religionis christianae specie admissos fuisse. Factum esse nonnunquam re vera, ut non solum Iudaei, sed gentiles etiam admitterentur, testatur auctor dialogi Philopatris, qui Luciano vulgo adscribitur, pluribus locis, ubi mores Christianorum eorumque sacra, hymnos aliaque irrisione perstringit. Quod etiam ex concil. Carthag. quarto colligi posse videtur**). Huc quoque pertinere videntur ea, quae Tertullianus tradit***). „Quotidie obsidemur, quotidie prodimur: in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur.“ Idem de extraneis speculatoribus et delatoribus querelas movet†); nec aliter explicari possunt, quae in libro ad uxores profert, ubi conqueritur, quod convivium dominicum infamare soleant††); nec refragatur *Salvianus*†††), qui ita: „Quam prave ac nefarie pagani semper de sacris dominicis opinati sunt, docent persecutorum immanium cruentissimae quaestiones, qui in sacrificiis christianis nihil aliud, quam impura quaedam fieri atque abominanda credebant.“ Quibus praemissis nunc audiamus ipsas calumnias et criminationes. Celso primum criminationis caput fuit, quod Christiani clandestinos haberent conventus, quem refutat *Origenes*.†*) Huc quoque respexisse videtur *Tertullianus*.†**) Eandem criminationem propulsat *Minucius*

*) contr. Cels. 6, p. 302. edit. Hoeschel.: *καὶ δοκεῖ μοι παραπλήσιον Ἰουδαίοις πεποιηκέναι τοῖς κατα τὴν ἀρχὴν τοῦ χριστιανισμοῦ διδασκαλίας κατασκεδάσαι δυσφημίαν τοῦ λόγου; ὡς ἄρα καταδύσαντες παιδίον, μεταλαμβάνουσιν αὐτοῦ τῶν σαρκῶν.* Add. Tertullian. apologetic. 7.

**) Can. 84. „Ut episcopus nullum prohibeat ingredi in ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive haereticum, sive Iudaeum, usque ad missam catechumenorum.“

***) Apologetic. 7, p. 8.

†) ad Nation. 1, 7, p. 45.

††) lib. II. c. 4. p. 148.

†††) de gubernat. 4, 2.

†*) cont. Cels. I. p. 4. *Πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιον ἐστι, διαβαλεῖν χριστιανισμὸν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων χριστιανῶν, παρὰ τὰ νενομισμένα. — Καὶ βούλεται διαβαλεῖν τὴν καλουμένην ἀγάπην χριστιανῶν πρὸς ἀλλήλους, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ κινδύνου ὑφισταμένην.*

†**) Apologetic. 7, p. 8. „Si semper latemus, quando proditum est, quod

*Felix**). *Faustus Manichaeus* de his conviviis dixerat, Christianos sacrificia gentilium vertisse in agapas, idola in martyres, defunctorum umbras vino placare et dapibus**). Cui vero respondit *Augustinus* et errasse eum ostendit***). Quod vero nunc attinet ad illam horrendam fabulam de ἀνθρωποφαγία dapibusque Thyesteis, haec memoratur et refutatur ab omnibus apologetis. Qua de re imprimis audiamus *Caecilium* apud *Minucium Felicem*, qui ita (Octav. 9, §. 6.): „Iam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui sacris imbuitur, is infans a tirunculo farris superficie, quasi ad innoxios ictus provocato, caecis occultisque vulneribus occiditur: hujus (proh nefas) sitienter sanguinem lambunt: hujus certatim membra dispertiunt: hac foederantur hostia: hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur. Haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora. Et de convivio notum est, (passim omnes loquuntur) id etiam Cirtensis nostri testatur oratio: ad epulas solemni die coeunt, cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. Illic post multas epulas ubi convivium caluit et incestae libidinis fervor ebrietate exarsit, canis, qui candelabro nexus est, jactu offulae ultra spatium lineae, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur: sic everso et exstincto conscio lumine impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum sortis: et si non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti: quoniam voto universorum appetitur, quidquid accidere potest in actu singulorum."

Praeclare in eodem libro†) pergit *Minucius* (Octav. 28.) probationem desiderans: „Quam autem iniquum sit, de incognitis et inexploratis judicare, quod facitis; nobis ipsis poenitentibus credite: et nos enim idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc caeci et hebetes sentiebamus, quasi Christiani monstra colerent, infantes vorarent, convivia incesta miscerent. Nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari et nunquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem

---

admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis. Non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur. Quanto magis talia, quae prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei, et unde extraneis notitia? Cum semper etiam piae initiationes arceant profanos, et arbitris caveant." Cfr. 8, p. 9.

*) Octav. 31. §. 6. ed. Cellar: Convivia non tantum pudica colimus, sed et sobria. Nec enim indulgemus epulis aut convivium mero ducimus: sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore, plerique inviolati corporis virginitate perpetua fruuntur potius, quam gloriantur: tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.

**) Augustin. contr. Faust. 20, 24.

***) contr. Faust. 20, 20: „Agapes nostrae pauperes pascunt, sive frugibus sive carnibus. Pascitur enim creatura Dei de creatura Dei, quae hominis dapibus congrua est. Vos autem ingrati creatori et pro largis ejus beneficiis sacrilegas retribuentes injurias, quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis paganorum."

†) Octav. Cap. XXVIII.

existere, qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum. — Tantum ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.“ Eandem calumniam tangunt Athenagoras*), Theophilus Antioch.**), Iustinus Martyr***), Origenes †). Prae ceteris vero consulendi sunt Epiphanius ††), Augustinus †††), et Tertullianus †*), qui praeclare haec omnia perpendit, simulque probationem desiderat. Quidam praeterea e gentilibus dicebant, Christianos cibo et potu saturatos, uxores suas aliis concessisse et dixisse: „Surge et fac agapen cum fratre!“ †**) Suspicionem hujus calumniae sine dubio moverunt Gnostici et Carpocratiani, de quibus multa consignavit Clemens Alexandrinus (Stromat. 3). Aliam hujus rei rationem reddit Occumenius (ad 1 Petr. 3, 16). Quum vero Christiani propter agapas suspecti essent, per tormenta etiam gentiles in eos inquisiverunt. Quam crudeliter autem et inique pagani se gesserint, plures conqueruntur †***). Verumtamen licet multi essent, qui haec convi-

*) Legat. p. 34.

**) ad Autolyc. 3, p. 119. *καὶ τὸ ἀθεώτατον καὶ ὠμότατον, πᾶσων σαρκῶν ἀνθρωπίνων ἐφάπτεσθαι ἡμᾶς.*

***) Apolog. I. p. 50. II. p. 70. dialog. cum Tryph. p. 227. b.

†) contr. Cels. 6. p. 302. Cfr. Lactant. inst. div. 6, 20.

††) Haeres. Gnostic. 5. *Κατασπάσαντες τὸ ἔμβρυον καιρῷ, οἵῳ δ' ἂν ἐπιχειρήσωσι, λαμβάνουσιν ἐκτρωθὲν τοῦτο τὸ βρέφος, ἐν ὅλμῳ τινὶ κόπτουσιν ὑπέρῳ, καὶ ἐγκαταμίξαντες μέλι καὶ πέπερι καὶ ἄλλα τινὰ ἀρώματα καὶ μύρα, πρὸς τὸ μὴ ναυτιᾶν αὐτούς. οὕτως συναχθέντες πάντες, οἱ τῆς τῶν χοίρων τούτων καὶ κυνῶν θιασῶται, μεταλαμβάνουσιν ἕκαστος τῷ δακτύλῳ ἀπὸ τοῦ κατακοπέντος παιδίου. Καὶ οὕτως τὴν ἀνθρωποβορίαν ἀπεργασάμενοι, ἔυχονται λοιπὸν τῷ θεῷ.*

†††) de Haeres. 26—27. Sacramenta perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibentur, miscentes eum farinae panemque inde facientes. Qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno sacerdote. Cfr. Euseb. hist. eccl. 4, 7.

†*) Apologetic. 2.: „De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret, quodcunque falso jactatur: quot quisque jam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset, qui coqui, qui canes affuissent. O quanta illius praesidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum jam infantes comedisset!“ — Ibid. 4.: „Incestus sum, cur non requirunt? infanticida, cur non extorquent? — Ibid. 7.: „Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, et pabulo inde; et post convivium incesto, quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum et libidinum impiarum inverecundia procurent. Dicimur tamen semper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis.“ Coll. apologetic. p. 9, 39, 32.

Eandem calumniam propellit. in libr. ad Nation. p. 44.: „Igitur aetati nostrae nondum anni 250. Tot iniqui interea, tot cruces divinitatem consecutae, tot infantiae trucidatae, tot panes cruentati, tot strages lucernarum. — Quod sciam et conversatio notior facta est, scitis et dies conventuum nostrorum, itaque et obsidemur et opprimimur et in ipsis arcanis congregationibus detinemur. Quis nunquam semeso puero supervenit? Quis in cruentato pane vestigia dentium deprehendit?“

†**) Theophil. Antiochen. ad Autolyc. 3. p. 119. Origen. contr. Cels. 6. p. 302. Epiphan. Haeres. Gnostic. 27. coll. Iustin. Mart. Apolog. I. p. 50. Apolog. 2. p. 70. Dialog. cum Tryph. c. 227.

†***) *Euseb.* hist. eccl. l. 5. *Iustin. Mart.* Apolog. I. p. 50 seq.

via vituperarent et suspecta redderent, erant tamen alii quoque, qui laudibus extollerent hunc ritum. *Tertullianus* saltem ipse affirmat, gentilis aliquando exclamasse: „Vide ut invicem se diligant!“ **) Imo *Julianus* ipse, infensissimus alioquin Christianorum adversarius atque obtrectator, non potuit sibi temperare, quin de hac consuetudine bene judicaret eamque collaudaret **).

---

*) Apologet. 39.
**) Iulian. fragm. epist. p. 305. ed. Lips. 1696. f.

XLII.

Sam. Frider. Bucher de coena Domini *).

§. 1. Praemittimus aliquot s. coenae denominationes non omnes, sed potissimas, quae ab ritu veteri vel ortum habent vel antiquitatem certe redolent. Has inter non est postrema illa, qua s. synaxin coenam dicimus ein Nachtmahl, ein Abendmahl, ὅτι ὁ Κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτὶ, ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον, 1 Cor. 11, 23. Institutionis erat olim divinae, ut agnus paschalis nocte comederetur. Unde Matthaeus 26, 20 ajebat: ὀψίας δὲ γενομένης, ubi coenam paschalem, cujus initium erat sub vesperam et finis post plenam noctis meridiem, subintelligi volebat, et nox illa Hebraeis idcirco dicebatur לֵיל שִׁמּוּרִים, nox custodiarum ac observantiae, לֵיל פֶּסַח, νὺξ τοῦ Πάσχα, qua Christus post agni esum s. coenam instituit. Ἦσαν δὲ (primi Christiani) προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς nocte, non tam ob primam institutionem, quae facta est nocte, quam propter persecutiones et hostium machinas, quae nocturnos conventus omninò suadebant, qua de re deinceps dicemus. Id commemorabile est, quod φανερώσεις τοῦ Χριστοῦ praesertim plenam in noctem incidant. Deus ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ τῆς νυκτὸς, dum ποιμένες ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῇ ἀγραυλοῦντες καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην αὐτῶν. Tum enim angelus Domini adstabat illos εὐαγγελίζων χαρὰν μεγάλην, ὅτι ἐπεφάνη ἡ χάρις, (ἡ χρηστότης, ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτῆρος) ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. Servator etiam in ultima manifestatione adproperabit ad judicium, μέσης νυκτὸς, irruente plena noctis meridie, hominibus multum in soporem collocatis. Namque in media nocte κραυγὴ γέγονεν. Ἰδοὺ ὁ νυμφιος ἔρχεται, ἐξέρχεσθε εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ. Hoc aliqui simul secundum literam exponunt, Christum, mortuorum ac viventium judicem, nocte appariturum, existimantes, certe non sine veritatis specie, quanquam, si sensum literalem ab Servatore nostro intentum sequamur, σχηματικῶς, i. e. sub noctis umbra, nox, i. e. finis seculi innuitur, quod, ne falcem alienam in messem immittamus, Theologis discutiendum relinquimus. Nobis saltem ritus in mentem incidit, antiquitate insignis, quo

*) Prod. Vitebergae 1721. 4.

nuptiarum festivitates apud Hebraeos pariter et Graecos circa noctis meridiem instituebantur, quorsum respicit Christus, cum ait: *Μέσης δὲ νυκτὸς κραυγὴ γέγονεν* etc. Unde Graecorum *οἰνόπτης* ac convivii *ὀφθαλμός* a Polluce sic describitur: *Οὗτος λύχνους καὶ θρυαλλίδας παρεῖχε καὶ τὴν ἐξ ἴσου πόσιν ἐφέωρα.* Hujus rei fidem facit Hesiodus in *Scuto Herculis* v. 274 sq.

> . . . . . *Πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει*
> *Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε*
> *Χερσὶν ἐνὶ δμώων.*

Commemoravi morem illum in „Antiquitatibus selectis de velatis Hebraeorum et Graecorum feminis", et si cui volupe sit, huic consuetudini diutius inhaerere, ille adeat scriptores de „Nuptiis veterum" a Fabricio in Bibliogr. Antiqu. citatos, una cum illis, qui in Hebraeorum rituum recensione operam suam collocarunt. — §. 2. Nos, in viam ut redeamus, gaudemus, Christum *νύμφιον ἐπουράνιον* nocte, ut Graeci ajunt, *δεῖπνον ποιεῖν*, hoc est, *epulum eucharisticum* instituere, quo arctius cum ipso unimur. Dicunt *δεῖπνον* s. coenam vocari *κοινάν* ob *κοινωνίαν*, communionem et beneficentiam. Veteres enim Romani soli modice prandere soliti, *συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις*. Unde *μονοφάγοι* dicti sunt a Graecis, quod in prandio soli atque seorsim, in coena autem cum amicis cibum caperent. Idem mos ab aliis usu receptus est. Eodem spectat vocis *δεῖπνου* significatio, cum *ἰδίως* sumitur pro coena, cujus vim exprimebat *Vulgatus* et *Syrus*, cum ille *δεῖπνον* transferebat *convivium vesperi* bonos inter amicos, ritu majorum, bene institutum. Coena, ne multus sim sive *δεῖπνου* erat quasi amicorum, quam amici et sodales, ad animi refectionem, levationem corporis, mutuae caritatis significationem frequentabant. Hinc *δεῖπνον*, judice *Stuckio*, ratione etymi dicitur *ἀπὸ τῆς κοινωνίας*, cujus nimirum ea sit interpres, conciliatrix atque custos, quomodo convivium Latinis derivatur a convivando, quia vitae habeat conjunctionem et quasi convictum. His sollicite expensis, vocum graecarum *συσσίτιον*, *συσσίτια*, *συνουσία*, *σύνοδος*, *συναγώγιον*, quibus Plato, Athenaeus, Plutarchus, Diogenes Laertius passim utuntur, notiones facile fluunt. Eustathius Homerum nectare atque ambrosiis nihil aliud significare voluisse putat, quam *φιλοτήσιον ὁμιλίαν τὴν συμποτικήν*, i. e. *consuetudinem colloquiumque convivale, amoris amicitiaeque plenissimum*. Unde *δεῖπνον* veteribus pax est dictum, et Gentiles *συσσίτια*, eleganter admodum, adpellarunt *ἀγάπας*, id est, *δεῖγμα ξενίας κοινωνικῆς*, item *φίλαν τράπεζαν* apud Pindarum, *ἢ ὅτι κατὰ τὸ ἀναγκαῖον συνεσιῶνται, ἢ ὅτι ἐκ τάυτης αἱ φιλίαι.* Athenaeo *συνάγειν* inde est *μετ' ἀλλήλων πίνειν*. Coena priscis *ἐκκλίτως*, ut Pseudo-Dionysius ait, *σύναξις καὶ κοινωνία* fuit adpellata, *διὰ τὸ συνάγειν*, ut idem elegantissime sane, teste Stuckio (Antiq. Conv. p. 7.) interpretatur, *ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν πρὸς τὸ ἕν*. Convivia porro notanter audiunt *φιλιτικὰ, δημοτικὰ, φρατρικὰ*, propter amicitiam et concordiam, quam in epulis antiqui confirmabant. Eo pertinent Italorum *συσσίτια* ab Italo, Cretensium *ἄνδρια* a Minoe, et Lacedaemoniorum *φιδίτια*, quasi *φίλιτια*, a Lycurgo instituta, qua de re *Plutarch.* in *Lycurgo* ait:

Τὰ δὲ συσσίτια Κρῆτες μὲν ἄνδρια, οἱ Λακεδαιμώνιοι δὲ φιδίτια προσαγορεύουσιν, εἴτε ὡς φιλίας καὶ φιλοφροσύνης ὑπαρχόντων, ἀπὸ τοῦ λ τὸ δ λαμβάνοντες, εἴτε ὡς πρὸς εὐτέλειαν καὶ φειδόα συνεθιζόντων. Οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ τὸν πρῶτον ἔξωθεν ἐπικεῖσθαι φθόγγον, ὅσπερ ἔνιοι φασὶ, ἐδιτίων παρὰ τὴν δίαιταν καὶ τὴν ἐδωδὴν λεγομένων. Atheniensium praesertim *συμπόσια*, Romanorum *χαρίτια*, Argentinensium et Helvetiorum *φρατρικὰ*, quae et priscis Germanis, ut testis est Tacitus, erant in usu, attentionem merentur. Conf. *Stuck* l. c. 1, 31 p. 119, 124, 154. — §. 3. Haec ideo in medium attuli, ut de vocum *δεῖπνον*, coena, *σύναξις*, *κοινωνία*, quibus eucharistiam veteres significanter admodum nominarunt, emphasi inter nos eo melius constet, quae verissime *κατ' ἐξοχὴν* ad *κυριακὸν δεῖπνον* accommodatur. S. coenam quidem ob levem aliquam similitudinis speciem cum gentilium *συσσιτίοις* non comparabo, sed id tamen licitum erit in animum revocare, quod ethnici quandoque convivia sua *φιλιτικὰ* magis, quam Christiani s. coenam in oculis tulerint. Christiani aliquando sunt pejores ethnicis, quando, posthabitis amicitiae et concordiae legibus, ad mensam eucharisticam sive aram accessuri; de aliis enim peccatis, quae in vulgus nota sunt, non dicam, de praecedentia, quam vocant, mulierum ritu, cum fratribus in Christo acrius altercantur, et nescio quas, quod sane turpe dictu, rixas movent. Quanquam etiam s. coena et epula gentibus usitata toto coelo differunt, belle tamen, immo elegantissime priscis eucharistia dicebatur *σύναξις* et *κοινωνία*. *Κοινωνίας*, quod non ignoramus, nomine veniebat olim communicatio bonorum sive beneficentia, qua veteres et gentiles et Christiani bona in pauperum usus erogabant. De illis vid Hammondum ad Act. 2, 42; de his apostolum, qui jubet divites, ut essent *κοινωνικοὶ*, 1 Tim. 6, 18. et Rom. 12, 13. notanter ait: *κοινωνεῖν ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων*. Namque habebant veteres bona sua *κοινὰ*, (Act. 2, 44.) quae deponebant ad pedes apostolorum, (Act, 4, 37.) et postea per *διακόνους* offerebant. J. Guil. Janus, (*de liturgia eccles. apostol.* §. 14. p. 21.). *Nam*, inquit, *ut in V. T. non decebat ἀσύμβολον comparere coram Deo*, *Ex.* 23, 15. *Deut.* 16, 16: *ita et primis conventibus christianis in N. T. suae quaedam θυσίαι erant, Deo placentes*, *Hebr.* 13, 16. *coll. Phil.* 4, 8. *Talia sacrificia praecipit apostolus*, *dum Corinthios eleemosynas conferre et seponere jubet*, *κατὰ μίαν σαββάτων*, 1 *Cor.* 16, 2. - - *Tali κοινωνίᾳ non modo fratrum ejusdem ecclesiae*, *sed et exterorum indigentiae*, *ex instituto apostolorum*, *subveniebatur*. *Ita Christiani Antiocheni ad sublevandam annonae caritatem subsidia*, *prout cuique suppetebat*, *fratribus habitantibus in Judaea mittebant*, *per manum Barnabae et Pauli*, *Act.* 11, 29 — 30. *Ita Christiani Macedoniae et Achaiae κοινωνίαν τινὰ faciebant in pauperes*, *qui erant Hierosolymae*. *Rom.* 15, 26. *Speciatim Corinthiorum erga illos et erga omnes liberalitatem* (*κοινωνίαν*) *dilaudat Paulus*, 2 *Cor.* 9, 13. Certe *κυριακὸν δεῖπνον* 1 Cor. 11, 20., quod ratione originis est a Domino et celebratur jussu Domini, ratione modi fieri debet *ἐν τῷ Κυρίῳ*, ratione objecti sive materiae offert nobis Dominum, ratione temporis maxime fiebat die dominico, ratione finis reducit ad Dominum, verissime

dici potest *σύναξις*, congregatio in unum, *κοινωνία*, communio amicorum Jesu et sanctorum, quae nos efficit amicos Dei, ubi animam, curis confectam, malorum labore lassam reficimus, et, tanquam mensae Domini convivae, mentem renovamus, recreamus, invicem exhilaramus. Quemadmodum autem s. coena *κλάσις τοῦ ἄρτου*, quae actio specialis erat, licet accidentalis, item *εὐλογία καὶ εὐχαριστία*, quae sumptionem panis et vini praeibat, *συνεκδοχικῶς* dicitur: ita quoque Patres graeci eandem *σύναξιν* et *κοινωνίαν* commode adpellare poterant, vel *κατὰ τὴν συνεκδοχὴν*, denominatione sumta a communicatione bonorum, a sacrificiis vel oblationibus, a beneficentia et muneribus, quibus coram Deo comparebant *κοινωνικοὶ*, initiati, digni, aut, ut hodie dicimus, communicantes; vel a forma et effectu, respectu simul habito ad ritus veterum, ut dicatur *κοινωνία* a *communione*, qua Christiani fiebant participes omnium privilegiorum, quae tum ecclesiae concessa fuerant; hoc est, licitum erat, stare inter fideles, contueri mysterii hujus administrationem, consecrationem et distributionem. Participes fiebant inde per s. synaxin unionis cum ecclesiae capite, Christo, unionis cum membris ecclesiae arctissimae, quod clarius patebit ex subsequentibus. — §. 4. Vertimus nos ad vocem *μυστήριον*, quae pariter antiquitatem in se involutam habet. *Γενικῶς* omnia sacra promiscue dicuntur *μυστήρια*, *παρὰ τοῦ μύειν*, uti volunt interpretes passim, quod obstrusa et occulta erant *βεβήλοις*, *μὴ μεμυημένοις*. Unde notabilis est *disciplina arcani*, quam gentiles haud dubie a Judaeis et Christiani a gentilibus sunt mutuati. Originem nominis esse hebraicam, vix potest dubitari. סתר est occultare, מסתר, מסתור est res abscondita, secretum. Graeci etymum varie explicant. *Μύειν* est arcanam doctrinam tradere, *μυεῖσθαι* illa doctrina imbui, unde *μυστήριον*, usitata formatione. Alii etymum sic explicant: *Παρὰ τὸ τοῦς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα*, quod os claudant, qui audiunt, nempe ad servandum silentium. Jamblichius tamen, ut refert Photius, a magica observatione circa mures vult adpellata *τὰ μυστήρια*, quod illius viri eruditione est indignum. Suidas in Lex. *Μυστήρια*, inquit, *ἐκλήθησαν παρὰ τὸ τοῦς ἀκούοντας μύειν τὸ στόμα καὶ μηδενὶ ταῦτα ἐξηγεῖσθαι. Μύειν δὲ ἐστι τὸ κλείειν. Μύησις παρὰ τὸ τὰ μυστήρια καὶ ἀπόῤῥητα τελέσθαι.* Auctor Etymologici magni: *Μυστήρια, ἃ δεῖ μύσαντες τηρεῖν ἔνδον*, h. e. initiatus nulli profano enuntiare debet. Item Varin. in Lex.: *Μυστήρια*, ait, *θεωρία πνευματικὴ τὴν τῶν πολλῶν κατάληψιν διαφέυγουσα παρὰ τὸ ἄτινα μύσαντα, δεῖ τηρεῖν ἔνδον.* Et mox: *Μυστήριον ἐστιν ἄῤῥητον σέβας, καὶ τὸ ἀπόῤῥητον*, quod nihil aliud est, quam *cultus latens*, *arcanus*, *ineffabilis*, quem intus custodire decet, quem effari non licet. Hoc praesertim de sacris, quae *Eleusinia* Veteres dicebant, intelligendum est. Nam illa *ἰδίως* et *specialissime* ac quasi *κατ' ἐξοχὴν μυστήρια* vocantur. Cereris sacra, h. e., *Eleusinia majora*, ab *Aristophane* idcirco audiunt *ἄῤῥητα ἱερά*, non quidem physice, sed moraliter et civiliter, aut *ἠθικῶς*, ob disciplinam, quam vocant, ecclesiasticam sive arcani. Ne quis haec mysteria enuntiaret, cautum erat hac lege: *τὸν ἐξειπόντα τὰ μυστήρια τεθνᾶναι.* Quam in legem deliquerat *Diagoras Melius*, uti *Suidas*

testis est ex Scholiaste *Aristophanis ad Aves*, una cum aliis, quorum fit mentio apud *Pfeiffer.* in *Antiq. Graec.* l. 1. c. 43. *Ἐκήρυξαν κατ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔργαψαν: Τῷ μὲν ἀποκτείναντι, τάλαντον λαμβάνειν. Τῷ δὲ ἄγοντι, δύο. Ἐκηρύχθη δὲ τοῦτο διὰ τὸ ἀσεβές αὐτοῦ, ἐπεὶ τὰ μυστήρια πᾶσι διηγεῖτο, κοινοποιῶν αὐτὰ καὶ μικρὰ ποιῶν. Καὶ τοὺς βουλομένους μυεῖσθαι ἀποτρέπων.* Hoc scelus a Diagora commissum, cujus poenam Aristophanes commemorat, teste Suida, tandem in proverbium ivit. Sic Aeschylus eandem ob causam vitae discrimen incurrebat, quod repetit Aristoteles et ex eodem recenset Pfeiffer. l. c. p. 104. Insignes et notabiles peccatores sacris arcebantur. Hujus rei testis est vetus formula, in qua excommunicationis vis praelucet: *ἑκὰς, ἑκὰς, ὅς τις ἀλιτρὸς*, procul hinc, procul ite profani. Exemplo nobis sit Nero Augustus, qui, post occisam ab se matrem, Eleusinia sacra accedere non est ausus. *Δόγματα* extantiora non erant juris publici. Photius ideo *τὴν σοφίαν τῶν ἐθνῶν* partitur in *ῥητὴν καὶ ἀπόῤῥητον*, et Jamblichius *δόγματα ἀπόῤῥητα* discernit ab illis, quae divulgari poterant, ideo *ἔκφορα* dicta. Hunc in finem in scholis habebant *ἀκροατήριον*, ubi sapientes tradebant *ἐσωτερικά*, h. e. placita, quae intra scholae fines retinebantur atque propria erant discipulorum interioris admissionis, qui *κατ' ἰδίαν* privata eaque accuratissima institutione fruebantur, cum contra *ἐξωτερικὰ* paterent omnibus et extra scholae fines enuntiari possent. Eleganter admodum Casaubonus: „Ratio vero eorum sacrorum illa in universum erat, ut, qui se disciplina imbuendos traderent, paulatim purgati ab hujus vitae inquinamentis et peccatorum sordibus, per certos gradus et definita temporum intervalla ad nescio quorum ingentium arcanorum perceptionem atque notitiam perducerentur.“ Olympiodorus: *Ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις. Εἶτα ἐπὶ ταύταις μυήσεις ἐν τέλει δ' ἐποπτεῖαι.* Gentiles consuetudinis hujus non debent statui auctores, quippe hoc diu ante Israelitas inter in more positum fuit, ut תולים, i. e. *ἀνίεροι* a synagogis sacrisque locis averterentur, cui rei fidem faciunt notabiles inscriptiones, quae templorum portis erant incisae: זה השער לידות צדיקים יבאו בו. *Μὴ δεῖ ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι.* Manavit mos ad gentes, unde demum ad Christianos venit. Erudite iterum Casaubonus: „Veteres, inquit, quinque gradus habebant, purgationem communem, purgationem interiorem, *σύστασιν*, initiationem et *ἐποπτίαν*. Similiter vetus Ecclesia quinque gradus, sive, ut ajunt, *τέσσαρας τόπους ἐπιτιμίων ἀνύεσθαι* praecipit, antequam pervenirent ad ipsam communionem. Primus locus est, quem vocarunt *πρόκλαυσιν*, in ipso primo aditu ecclesiae separati non solum a fidelibus, sed etiam a catechumenis aliquot annos, (tres ut plurimum,) manebant poenitentes in squalore, omnibus fidelibus legationes deprecationis injungentes, ut loquitur Tertullianus in libro de poenitentia. Proximus gradus dicebatur *ἀκρόασις*, ibi ut plurimum *ἄλλην τριετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνον* admittebantur poenitentes tantum, ut audirent verbum Domini, quando in ecclesia legebatur. His fas non fuit, precibus ecclesiae interesse. Tertius gradus dicebatur *ὑπόπτωσις*, ea fuit quaedam interior admissio, ubi tres alios annos

stabant poenitentes, precum ecclesiae participes, ut et catechumeni, quibus exeuntibus ipsi quoque exibant. Gregorius ita describit: *Ἡ ὑπόπτωσις ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος κατὰ τῶν μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται.* Dicitur tertius ille *ὑπόπτωσις*, q. d. humiliatio. Restant duo nomina *σύστασις* et *μέθεξις*, quarti et quinti gradus. *Σύστασις* igitur, e mysteriis gentium vox accepta, appellabatur statio inter fideles, ibi poenitentes duos persaape annos agebant; quod ad cetera, ejusdem conditionis cum fidelibus; neque jam cum catechumenis exibant, sola participatione mysteriorum ceteris fratribus inferiores. *Μέθεξις* vero dicebatur jus communicandi, et, ut loquitur Basilius, aliquoties in descriptione harum poenarum, *ἡ κοινωνία τοῦ ἁγαθοῦ*, i. e. eucharistiae. Alii eodem sensu dixerunt: *ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον.*" — Sic Christianim more gentilium dogmata partiebantur in *ἔκφορα*, quae foras adferri poterant, et *τὰ ἀπόῤῥητα* mysteria, neque in quotidianis colloquiis neque in catechesibus neque in concionibus temere non initiatis vulganda, cujus rei testes sunt Basilius, Gregorius Nazianz., Chrysostomus. Unde gentiles, uti Casaubonus refert, religionem christianam ludibrii causa dixerunt *κρύφιον δόγμα*. Mysteria quidem in oculis semper habere debemus, non vero occultanda sunt. Christus certe et apostoli non occultarunt, sed exposuerunt. Casaubonus quidem putat, distinguendum esse inter res sive res significatas, et inter rituum causas ac modum celebrandi; veteres non res, sed rituum causas ac modum celebrandi occultasse. Sed neque rigorem disciplinae, quam vocant, ecclesiasticae, neque mysteriorum occultationem probamus. Certe Christiani alios non tam ritibus quam mysteriis sive rebus ipsis arcebant. Quanquam non ignoremus, occultandi ritum in primis quarto et quinto sec. in consuetudinem venisse. Cyrillus Hieros. de mysteriis dicit: 'apud catechumenos *λευκῶς* non loquimur, sed multa saepe loquimur *ἐπικεκαλυμμένως*. Sexto sec. inter Latinos in desuetudinem sensim abiit et septimo desiit. Graeci vero morem illum non abrogarunt, apud quos hodie in usu est, cum veterum formula utuntur: *Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, ἴσασιν οἱ πιστοὶ, ἴσασιν οἱ συμμύσται τὸ λεγόμενον.* Vid. Gebh. Theod. Meier de solemni sacrorum coram profanis et nondum initiatis occultatione, §. 42 sqq. W. Ernest. Tentzel de disciplina Arcani contra Emanuel. a Schelstrate. Haec igitur, si altius expendamus, adpellationi, qua s. coena *κοινωνία*, *σύναξις*, inprimis vero *μυστήριον* apud veteres dicebatur, magnam sane lucem adferunt. — §. 5. Patres, utpote Justinus, Irenaeus, Clemens etc. nomen *εὐχαριστία* pro s. synaxi acceperunt, quae denominandi ratio vetustissima est, ut ex versione Syriaca patet. Nec illam, qua mysterium hoc *εὐλογίαν* Veteres dixerunt, item *μυστικὴν εὐλογίαν* negligere debemus, inprimis, cum *εὐλογία* saepe veteribus aliud quid significet. Concinne Casaubonus: „Sic *εὐλογίαν γάμου* totum ordinem adpellant consecrandi nuptias, cujus pars erat sacramentum eucharistiae, sicut hodie est in multis locis, et in ecclesia etiam Anglicana. Adpellarunt etiam *εὐλογίας* partes consecrati panis, quas moris erat in primitiva ecclesia mittere ad alias paroecias aut ad *ἐπιδημοῦντας*, declarandae dilectionis

ergo et consensionis in fide. Euseb. hist. eccl. 5, 26 πέμπειν εὐχαριστίαν dixit. Postea illa consuetudo fuit prohibita. Similiter etiam Latini eulogias dixerunt frusta panis benedicti, sed non in usum eucharistiae, qui et mittebatur ad absentes, ut saepe legitur in epistolis Augustini et Pauli, et sacris peractis dabatur iis, qui communicare non fuerant parati, ut est in decreto, quod Pii I. nomine circumfertur. Dabantur eaedem eulogiae et catechumenis, qui jus sumendae eucharistiae non habebant. Itaque hoc illis erat loco sacramenti atque adeo sacramentum quoddam hoc illis erat. Nam ita diserte adpellat Augustinus, (de peccatorum meritis et remiss. 2, 26.) laxiore videlicet notione, quia precibus sanctificabatur. Ac propterea panem illum vocarunt etiam ἀντίδωρον, quoniam locum obtinebat δώρου, i. e., s. eucharistiae. Hoc namque significat τὸ δῶρον. Dixerunt eundem panem et κλαστὸν aut κατάκλαστον, propter fractionem, quam videntur in eo dividendo observasse, sicut observabatur in eucharistiae distributione, de qua deinceps pro instituti nostri ratione pauca notabimus. Haec vero quae hactenus interprete Casaubono submonuimus, ad Patrum, maxime graecorum, illustrationem adprime facient. S. coenam autem εὐλογίαν et εὐχαριστίαν adpellari συνεκδοχικῶς, jam a nobis hic et alias est dictum. — §. 6. Restat nomen Missa, quod profecto prae ceteris notari meretur. Pontificii passim a מזבח deducunt, ut sit quasi sacrificium altaris, quo ipso Hebraeae linguae ignorantiam satis produnt. Alii nomen Missa Hebraeam vocem esse מַשָּׂא donum, oblatio, ex Deut. 16, 10 olim conjecerunt. Ita A. C. in Apolog. de vocab. missae: „Quorsum, ajunt, opus est procul quaerere etymologiam, cum extet nomen missa Deut. 16. ubi significat collationes s. munera populi, non oblationem sacerdotis. Debebant enim singuli venientes ad celebrationem paschae aliquod munus quasi symbolam adferre. Hunc morem initio retinuerunt et Christiani. Convenientes adferebant panes, vinum et alia, ut testantur Canones Apostolorum. Inde sumebatur pars, quae consecraretur. Reliquum distribuebatur pauperibus. Cum hoc more retinuerunt et nomen collationum, missa.“ Non ergo est absonum, missae vocem a Chaldaeis aut Hebraeis repetere. Nam מַשָּׂא Hebraeis significat donum, oblationem. Morem quoque offerendi dona ab Hebraeis ad Christianos venisse, audiemus, cum veterum agapas sumus examinaturi. Atque sic illa et cum etymo et cum re ipsa, h. e, consuetudine veterum quam proxime congruere videntur. Atenimvero, quoniam vox apud interpretes et Patres vetustissimos non invenitur, Syrus etiam, cujus tamen lingua ad hebraeam prope accedit, eandem ignorat, missae vocabulum originis esse hebraeae dubitamus. Legitur quidem in Graecorum monumentis vox μίσα, sed auctorum mediae aetatis, qui ante annos praeterpropter noningentos de re militari scripserunt et quidem pro vespertinis precibus aut matutinis, non pro sacramento, ut observat, teste Casaubono, Jo. Meursius. Quapropter plurimi missae vocabulum ab ritu populum dimittendi desumunt. Moris olim erat, ut, cum in judiciis Romanorum praeco clamabat: Ii ce t! judicibus abeundi facta potestas insinuaretur, quae formula fu t quoque dimittendi funeris. Sic Graecis erat

ἄφεσις, cum finita concione praeconis voce clamabatur: *Λαῶν ἄφεσις*, quod ex Plutarcho aliisque scriptoribus constat. Quemadmodum priscis peragendis in sacris usurpata erat formula: *Ἐκὰς, ἐκὰς, ὅς τις ἀλιτρός*: ita ferunt, diaconos olim Christianorum pronuntiasse: *Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε*, vel *ἔξω περιπατεῖτε, ὅσοι ἐνεργούμενοι, ὅσοι ἀμύητοι.* Duplex autem olim erat ἄφεσις. Prior, quando, finitis lectionibus Scripturae, tractatibus item et precibus illis, quibus interesse licebat catechumenis, energumenis et poenitentibus, voce diaconi exire jubebantur, quibus *λειτουργίας*, i. e. actiones eucharistiae, spectare fas non erat. Posterior ἄφεσις erat, quum omnibus sacris peractis finitaque eucharistia precatio fiebat dimissoria, cum post *εὐχὴν ἀπολυτικὴν*, a diacono pronunciatam, populo discedendi fiebat potestas, quod in Liturgia Chrysostomi intelligitur illis verbis: *Ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν*, dimittit populum. *Ἀπόλυσις* est ἄφεσις, sumptum verbum e Simonis cantico: *Νῦν ἀπολύεις τόν δοῦλόν σου, δέσποτα.* Haec igitur communis est de vocabulo missae sententia. — §. 7. Sed missa Missa, qua etymologiam spectata, rem ipsam adgredior. Duplicem autem reperimus Liturgiam s Missam. Prior est christiana apostolica, stilo veteri sic dicta, ab Luthero et evangelicis doctoribus non abrogata, sed retenta, quin immo ab inquinamentis et sordibus Pontificiorum liberata ac renovata. Posterior est gentilis et papalis sacrificatoria, ex medii aevi barbarie residua, praesertim solitaria illa notabilis, quae in Art. Smalcald. II. vocatur maxima et horrenda abominatio. Patres vetustissimi, Chrysostomus, Augustinus, reliqui et vocem missae et superstitiones missaticas ignoraruut. Apud Cassianum legitur vocabulum missae, sed *ἄφεσιν* illam, de qua diximus, connotat. Missam celebrasse in urbe Vasatensi, ab Hunnorum obsidione liberata, verbi divini Ministrum, pro gratiarum actione, refert Sigebertus in Chron. sub ann. 453. Verum ille, uti bene monent Centuriat. Magdeb. Cent. 5, 6. p. 374. consuetudine sui seculi perperam recepta locutus est. Referunt antiqui Patres, quod non diffitemur, in s. coenae distributione martyrum, episcoporum etc. commemorationem et, ut sic dicam, piam recordationem, esse factam. Sed de missa idololatrica et sacrificiis missaticis in scriptis Patrum altum est silentium. Christus in prima s. coena institutione jubet: *Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.* Paulus subjicit: *Τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε.* Haec est vera orthodoxae ecclesiae *καταγγελία* non ad certum tempus restricta, sed ex mandato Servatoris perpetuo in regno gratiae duratura, *ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ.* De martyrum et episcoporum commemoratione Servator nihil praecipit nec apostoli illius mentionem faciunt nec ullum adparet in antiquitate vestigium, viris apostolicis et orthodoxis tale quid in usu fuisse. Hebraei, veteres saltem illi, in sacramentorum festivitatibus Sanctorum memoriam non recoluere. Immo Patrum primitivae ecclesiae liturgiae et commemorationes sacrificia missatica, theatrica spectacula, superstitiones idolatricas, ab quibus illi erant alienissimi, minime redolent. Erat, si qua fuit, Sanctorum *καταγγελία* tum simplicissima piorum hominum recensio, historica relatio et nuda recordatio, qua fideles ad similem in fide con-

stantiam grassantibus persecutionum tempestatibus in conventibus sacris, in quibus simul eucharistiam distribuebant, serio admonebantur. Quicquid ἀταξίας adhaeret ritui, medii aevi seculis et proxime subsequentibus accrevit, ex κακοζηλία gentilium, quod de pluribus Pontificiorum superstitionibus monstrat Hospinianus. Liturgia, quam nostris in ecclesiis tuemur, omnium est antiquissima et apostolica. Habemus illam profecto ab ipsis apostolis in ecclesiam invectam, ab viris apostolicis ad posteros traductam. Missa vero pontificiorum, cujus semina sec. III. IV. et V. sparsa sunt, sec. VI. demum est edita ac superstitionibus novisque ritibus successu temporis aucta. — §. 3. Pelagius II. Pontif. R. ut memoria defunctorum in omni missa fieret, ordinavit. Sec. VII. haec sanctimoniae larva et ethnica pompa Constantinopolin, Angliam, Saxoniam aliasque terras pervagari coepit. Elevatio simplex migrabat magis magisque in superstitiones, cum adoratione et genuflexione conjunctas. Unde missatica sacrificia et theatrica spectacula invalescebant et indies crescebant. Certe elevatio panis, quam veteres initio ab Hebraeis haud dubie fuerant mutuati, tanquam ritum absque genuflexione adorabili et superstitione peractum, sec. praesertim VII. transibat in pompas theatrales et sequentibus seculis novis ritibus augebatur atque sordibus, nescio quibus, ethnicorum mirum in modum conspurcabatur. Sec. XIII. in concilio Viennensi, a. C. 1311. Beghardi et Beguinae damnabantur, quod praeter plurimos errores ad nolae sonum cum monstrantia, quam vocant in papatu, elevaretur, surgere et genua flectere recusarent, quem tamen cultum ecclesia romana praeceperat. Sed diu jam ante illud tempus ἀρτολατρείας superstitio incrementum cepit, maxime cum accederet nolae vel campanulae ad hostiae elevationem ritus, qui hactenus ut simplex consuetudo quibusdam saltem in ecclesiis haud dubie latuerat. Durantius (de rit. eccles. 2. 40.) ex Nauclero refert ad an. 1240. Gregorium IX. statuisse, ad corporis et sanguinis Christi consecrationem campanas pulsari, sc. ut populus ad genuflectendum admoneatur. Pontificii vero mentiuntur egregie, quando in Synod. Trid. Sess. 13. 5. cultum latriae exhiberi ab omnibus Christi fidelibus pro more in catholica ecclesia semper recepto scribunt, nisi id papicolis largiri velis, quod, ne quid dissimulemus, subnectunt de catholica ecclesia, si vox nempe catholica sumatur λεγομένως in sensu famosiori. Ἀρτολατρείας superstitio, una cum reliquis abominationibus, utique cum catholica, h. e., romana ecclesia, ortum habuit, simulac ethnicismus cum christianismo commisceretur. Id quoque verissimum est, papicolas acerrimos harum superstitionum defensores semper extitisse, contra institutionem Christi et praxin purioris ecclesiae. Georg. Cassander, qui Liturgias Veterum diligentissime collegit, in Graecorum et Latinorum scriptis ne γοῦ quidem de adoratione hac invenit, quippe quam ecclesia orthodoxa in totum ignoravit. Adducunt pontificii locum ex Pseudo-Dionysio Areopagita, Hierarch. eccles. c. 3: Obtecta munera pontifex ostendit, ubi Pachymeres ejus Scholiastes: ὑπ' ὄψιν ἄγει. Sed, si qua fuit Patribus orthodoxis elevatio panis et reverentia, quod tamen, cum firmis destituamur argumentis, in medium relinquimus, non fuit

superstitiosa illa theatrica, quae fit ad adorationem et justo nomine gentilis merito adpellatur, quam mordicus retinent pontificii, sed christiana, ab ἀταξίᾳ gentilium libera, omnis culpae expers, nuda ostensio, quae fiebat ad excitandam devotionem et reverentiam, quam profecto omnes Christiani tremendo huic mysterio debent, utut non adorabilem. Sic nos, cum verbi divini minister consecrat et liturgiam christianam apostolicam peragit, surgimus ac reverenter Deum colimus. Nemo autem nostratium ἀρτολατρείας crimen incurrit. Poterat etiam levatio panis in primitiva ecclesia propter exemplum Christi usitata fuisse, qui, ut aliqui conjiciunt, ritu Judaeorum retento, more avito panem in altum sustulit et calicem נשא i. e., adlevavit, cum benediceret. Sed in re tam incerta nihil adseveramus. Scholiastes liturgiae graecanicae, Germanus, patriarcha Constant. scribit: „Elatio in altum venerandi corporis repraesentat crucis elationem, et mortem in ea, et ipsam resurrectionem.“ Id autem nullam veri similitudinem habet, nisi verba patriarchae de posterioribus Christianorum seculis intelligas, ubi facta fuit ideo elevatio, ut corporis Christi in cruce elationem adumbraret. Quid multum? Cultus idololatricus ille est gentilis, contra Servatoris intentionem et purioris ecclesiae praxin, a papis Romanis, ethnicarum superstitionum patronis, invectus, pani consecrato deinceps ab omnibus papae asseclis, pro more in romana ecclesia, liceat ita loqui, gentilizante, semper recepto, superadditus, ergo abominandus et detestandus. Eodem pertinent processiones pontificiorum, ritu avito, i. e. gentilium, susceptae et peractae. Sic Leo IV. Sec. jam IX. missis, aqua benedicta, circuitione et precibus, quales ritus ethnicorum processiones et superstitiones egregie exscribunt, Leopolin urbem recens natam lustravit et consecravit, ut esset propugnaculum contra Saracenos. Vid. Centur. Magdeb. Cent. 9. 6. p. 134. Atque sic Baronius, teste Casaubono, absurde et plus quam pueriliter statuit, missam a Jacobo ad Hierosolymitanos, a Petro et Paulo ad Romanos venisse. Ignorabant vocem missae interprètes et Patres vetustissimi, ac proinde superstitiones ipsae illis notae non fuerunt. De processionibus gentilium pariter ac pontificiorum aliisque similibus superstitionibus conferri merentur Ez. Spanhemius, J. Casp. Kregelius, Jo. Faës, Nic. Serarius et Jacob. Gretserus. Hactenus de missa, quam quidem potuissem ipsi tractationi inserere. Sed vel ideo, occasione vocis missae, cujus etymum indagare debebam, praemittere illam voluimus, ne deinceps actum agere videamur. De vocabulo ἐφοδίου et ἀγάπης voce pro instituti nostri ratione infra nonnulla adnotabimus. — §. 9. Causa efficiens principalis solus Deus Unitrinus est, speciali autem ratione Filius Dei ἐνσαρκος, qui αὐτοπροσώπως s. synaxin instituit. Causam ministerialem constituunt ecclesiae Ministri. Certe apud Christianos veteres s. coenae administratores fuere apostoli, viri apostolici, episcopi, presbyteri et quandoque diaconi, per quos ad absentes, qui vel per morbum vel senium vel alia de causa sacris conventibus interesse non poterant, s. eucharistia mittebatur. Justin. Mart. apolog. 2. p. 162: ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Aliquando hoc erat

Acoluthorum, maxime persecutionum tempore, aliquando puerorum munus. Legimus tamen, grassantibus persecutionum tempestatibus Christianos, maxime peregrinantes, panem et vinum consecratum secum circumtulisse, ut, adpropinquante praeter spem mortis periculo, alimonia illa tanquam viatico se solarentur. Sec. VIII. in festivitatibus solemnibus Caesares in sacerdotes attonsos populo communionem porrexisse, auctor est Diaconus et Zonaras. Carolus M. die paschali communicabat, spectante Vitekindo. Interdum distribuebant pontifices, ut Papa Lothario Regi. Sed id abusui per pontifices romanos in ecclesiam introducto adscribendum est. In orthodoxa ecclesia munus illud semper penes verbi divini ministros fuit. — §. 10. Materia, ex qua constat hoc sacramentum, est res terrena et coelestis. Hanc exponunt theologi, illius autem inquisitio philologis, historicis, antiquariis permittitur. Materiam ergo terrenam constituunt panis et vinum. Initio de pane disserendum est. Hic praesertim in controversiam venit, utrum veteres in mensa Domini panem ἄζυμον an ζυμωτὸν adhibuerint? Responsio est in promptu, Christum nempe in prima synaxeos institutione consecrasse panem ἄζυμον, qualis tum in festivitatibus paschatis praesto et ad manus erat, apostolis autem, viris apostolicis et vetustissimis Christianis fuisse ἀδιάφορον, vel panem ἄζυμον vel ζυμωτὸν in s. synaxi usurpare. Unde legimus, aliis in locis azymum, in aliis fermentatum panem in usu fuisse. Quenstedt (l. c. p. 376.) docte scribit: „Ritum consecrandi in ἀζύμοις apostolorum temporibus servatum esse, colligi non obscure potest ex verbis Epiphanii contra Ebionitas, haeresi 30. §. 16. quae ex Graeco in Latinum ita transtulit Cornarius: Baptismum porro etiam ipsi accipiunt. Mysteria autem faciunt κατὰ μίμησιν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ (ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν), διὰ ἀζύμων, h. e. per non fermentatos panes.“ Μυστήριον est eucharistia. Calvinianis, qui panes ἐνζύμους mordicus retinent, persuasum est, ecclesias graecas pariter et latinas ab apostolorum inde temporibus esse fermentatis panibus usas; Alexandrum I. vero invexisse in ecclesiam panem azymum, reclamantibus Graecis; item cardinem illius arduae controversae de celebratione diei Paschalis fuisse, utrum ἄζυμος an ἔνζυμος panis in coena Domini adhibendus sit, illud Latinos, hoc Graecos adseruisse suoque exemplo Christi factum exprimendum esse arbitratos. Consentiunt ipsi Calviniani, Christum azymis usum esse, quos inter nominamus Buxtorffium, Casaubonum, Lightfootium et apostolorum temporibus ἀδιάφορον erat, et quanquam diserte non legimus in Scriptura, apostolos atque viros apostolicos azymis panibus esse usos, probabile tamen est, imo extra omnem litem positum, viros θεοπνεύστους et orthodoxia conspicuos rem sua natura ἀδιάφορον et indifferentem in dogma fidei non convertisse, quum sciverint bene, verum panem, sive sit ἄζυμος sive ἔνζυμος, sufficere. Interim, utrum illum an hunc panem apostoli habuerint, in medio relinquimus, nihil hic, tacente Scriptura, adseverantes. Invectos esse in ecclesiam ab Alexandro I. panes azymos, fabula est. Quod diei paschalis celebrationem spectat et sigillatim controversiam illam, quae diu vexavit ecclesiam, res ita habet. Christiani in Asia aliisque in eccle-

siis pascha eodem cum Judaeis die celebrabant, unde festum nomen accepit quartadecimana, i. e., quarta decima post φάσιν lunae. Aliis contra in ecclesiis occidentalibus festum sequenti die solis post Judaeorum pascha fuit habitum. Lis erupit tandem, auctoritate Victoris, episcopi R., in schisma. Graeci ab Romanis Τεσσαρων καὶ δεκατίτων titulo infamabantur, ita ut deinceps Philastrius et Augustinus Graecos in haereticorum catalogo ponere non dubitarint. In eo deliquerant Graeci, quod secundum legem mosaicam omnibus Christianis necessitatem imponerent eo die celebrandi pascha atque sic rem natura sua ἀδιάφορον ac in libertate christiana positam temere in dogma fidei converterent. Lis tandem componebatur in Conc. Nic. decreto ab episcopis vulgato, paschatis festum die solis per universum orbem celebrari debere. Sed de controversia circa panem azymum mota in historia illorum temporum nec vola nec vestigium comparet. Bullinger. (decad. 5. serm. 9.) vere pronuntiat: „Odiosa est excitata contentio super materia coenae dominicae, contendentibus his, pane azymo, aliis vero fermentato esse utendum. Atqui apud veteres quondam de his nullae movebantur rixae. Nam ecclesiae pro libertate sua utebantur utroque. Videtur quidem Dominus in prima illa coena usus esse pane azymo in mensa ex veteri more celebrandi pascha relicto, unde non paucae ecclesiae pane infermentato usae sunt, quae tamen fermentato pane utentes non damnabant haereseos.“ Omnis illa de azymo et fermentato pane inter Latinos et Graecos pugna sec. demum XI. sub Leone IX. coepit. Ceterum concertatio illa odiosa et otiosa inter graecam et latinam ecclesiam in tantum crevit, ut illi istos azymitas, isti illos fermentarios, quasi cujuslibet haeresis notent vocabulo. Graeci ut sententiae suae adprobandae necessitatem aliis imponant et Latinos, qui azymis utebantur, erroris convincant, statuunt, Christum diem legitimum anticipasse, h. e., pascha suum XIII. die comedisse, tanquam κύριον τοῦ νόμου; item Servatorem nostrum non pascha legale, sed ἴδιον μυστικὸν δεῖπνον comedisse. Christum per omnia legi subjectum legem in agni esu exacte observasse, satis notum est. Sumebant Graeci quoque argumentum ab ἄρτος voce, ac si illa tantum panem communem denotaret. Sed vox est communis, quae vetustissimis Graecis, ipsi Homero et ἄρτους ἐπιουσίους et placentas latitudine sua complectitur. Cfr. Luc. 24, 30. — §. 11. Otiosum esset ac sine ulla fruge, multum de forma panis externa disceptare, nisi Calviniani nostras placentas minutiores criminarentur easque appellarent spumas, indignas panis nomine, nebulas azymas numulares, chartaceas crustulas, farinacea folia. Ipse Buxtorffius scribere non veretur: „Vitandae spumosae istae placentae tenues, tum quadratae, tum inprimis orbiculares numuli figuram referentes.“ Zwingerus, Dallaeus et alii praeterea putant, orbiculares oblatas Bernoldi aetate circa an. 1060. auctoribus vel Nicolao II. vel Alexandro II. vel Gregorio VII. esse ortas. Respondeo ita: Christus divisit panes frangendo, quamvis eundem divisionem Judaeorum in duas aut tres partes in coena paschali, quemadmodum aliqui contendunt, observatas adhibuisse adfirmare nolim, maxime cum divisio illa in certas portiunculas, ab Hebraeis

usu recepta, res sit admodum dubia et incerta. Nec, quali forma *κλάσματα* Christi fuerint, determinare possumus. Hostiarum prima origo nos latet. Non dicit Bernoldus, placentulas orbiculares sua aetate esse invectas, sed usitatas additque, jam tempore Gregorii M. in usu fuisse vocatasque coronas. Certe panis formam externam veteres inter adiaphora retulerunt. Epiphanio tamen sec. IV. panis dicitur *στρογγυλοειδής*. Postmodum panes eucharisticos vocabant coronas, ob rotunditatem. Sic tempore Gregorii M. circa a. Chr. 590. panes rotundi minutiorisque formae in usu erant. Posterioribus seculis crux et tandem crucifixus imprimi solebat. Denique prisci panes eucharisticos non quantitate aut mole sunt mensi, sed contenti omnino fuere pane vero et physico, sive esset rotundus sive quadratus aut minutioris formae. Quantitas, ut ait philosophus, non recipit magis et minus, quod contra Calvinianos tenendum est. Patres Concilii Nic. can. V. dicunt: *οὐ πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν.* — §. 12. Vinum aqua dilutum esse oportere, ex ritu latinae ecclesiae statuunt pontificii, a qua tamen mistione Graeci abstinent. Ritus miscendi quidem antiquissimus est, Hebraeis pariter ac Graecis veteribus usu receptus, Hebraeorum magistris et graecis scriptoribus id adfirmantibus. Sed in coena paschali utebantur principe vino, i. e. generosissimo, non adulterino. Atque sic fallunt pontificii, quando in ultimo Christi convivio paschali vinum aqua mixtum ad manus fuisse ritu Hebraeorum quotidianis in epulis observato pertendunt. Christianos tamen aqua calicem dilnisse, papicolis largimur, quoniam hoc in terminis habet Justinus, item Cyprianus, qui mistione illa unionem ecclesiae cum Christo innui, aquam esse populum et per vinum ostendi sanguinem Christi arbitratur. Meminit mistionis illius Augustinus et Chrysostomus. Sic aqua miscebatur vinum sec. VII., praeterquam quod soli Armenii, teste Nicephoro, vinum absque aqua usurparint. Atenimuero ritus ille miscendi veteribus, cum vinum bibere vellent, erat quasi universalis, propter consuetudinem, in communibus coenis semel receptam. Hinc vetustissimos Christianos tali vino ante consecrationem vel a venditore vel ab aliis misto uti potuisse, non negamus. Hoornbeck (Misc. S. I. p. 547.): „Potest mixtum adhiberi in S. coena vinum, si mos regionis sit, ut vulgo misceatur, non vero, ut mistio in ipsa coenae actione, sed ut ante fiat.“ Sed quid ad nos Patres ecclesiae, qui ab erroribus non erant immunes. Nostrates verbi divini ministri in vini electione simpliciter sequuntur verba testatoris, apud quem tantum mentio fit *γεννήματος τῆς ἀμπέλου.* — §. 13. Aliqui putant, Christum habuisse poculum ex vitro, quod in medio, cum hac in re parum situm sit, relinquimus. Veteribus pocula in usu erant ex ligno, vitro, argento et auro. Insculpi solebat poculis imago Christi, ut pastoris boni ovem perditam humeris suis portantis, teste Tertulliano (de pudicit. c. 7.) quales formae in veterum coemeteriis conspiciebantur. Rhemigius calicem habuisse legitur, cui verba fuerant incisa: Hauriat hinc populus vitam de sanguine Christi. Si Platinae habenda fides, sec. III. calices ex auro et argento usitati fuerunt. In Romana ecclesia calices argentei et

aurei in eucharistiae usum a Constantino donabantur. Sec. V. et VII. idem constat de regibus Gothorum. Sec. VIII. pocula ex auro, pretiosis gemmis distincta; comparari jussit Johannes VII. P. R. Eodem seculo nonnulli calices et patinas de cornu bovis usurpabant et crustam panis, quod improbavit Adrianus. Jam incipiebant pocula et vasa eucharistica superstitiose consecrare. Calix et orbis in usu erant. Caroli M. aetate pocula ex vitro prohibita, stannea concessa, aurea vero et argentea, in concilio Rhemensi can. 6. jussa fuerunt. Hoc seculo et sequentibus nonnulli sanctuli, forsan ex effusionis metu, poculis calamum suctorium sive pugillares ex auro, argento et vitro adpendebant. Sic Hedio (hist. eccles. 4. c. 22.) laicos, ait, per canalem hausisse sanguinem Domini e calice. In Africanis aliisque ecclesiis calicis custodia fuit penes praesides, i. e. ecclesiae episcopos. — §. 14. Ex calice biberunt omnes. Seculi I. testes sunt Matthaeus 26, 27; Marcus 14, 23, Paulus, 1 Cor. 10, 26, 11, 23. Ignatius in Ep. ad Philadelphenses p. 61. ed. Ittigii. Sec. II. Justinus Mart., Irenaeus, Tertullianus, Alexander I. episc. R. Sec. III. Cyprianus, Origenes. Sec. IV. Auctor Constitut. Apostol., Hilarius, Athanasius, Cyrillus Hierosolym., Basilius M., Ambrosius, Gregor. Nyss., Hieronymus, Gaudentius, Chrysostomus, Gregor. Naz.; sec. V. Augustinus, Cyrillus Alexandr., Theodoretus, Leo M., episc. R. Sec. VI. Gelasius E. R. Sec. VII. Gregor. M. et concil. Bracarense III.; sec. VIII. Damascenus. Sec. IX. Paschasius Radbertus, Bertramus, concilium Triburiense; sec. X. Concilia; sec. XI. Petrus Damianus, Theophylactus; sec. XII. Hugo de S. Victore, Petrus Lombardus; sec. XIII. Innocentius III., conc. Lateranense, Thomas Aquinas; sec. XIV. Petrus Paludanus. Omnes illi verba Christi probe pensitarunt, ἄχρι οὗ ἄν ἔλθῃ. Vid. Chr. Pitschmannum in Dub. Vex. Hist. Eccless. N. T. sec. III. Inter pontificios quoque testes sunt Alph. Salmero et Georg. Cassander de commun. sub utraque specie et plures alii, qui diserte scribunt: Morem generalem extitisse communicandi laicos sub utraque specie. *Ποτηριοκλεψία* ab haereticis ortum habet, maxime *οἰνοκλεψία*. Sec. jam primo Ebionitae pro vino aquam usurpabant, deinde Marcionitae, teste Tertulliano (l. 5. advers. Marc.) et Epiphanio (Haeres. 42.). Tatianus ejusque discipuli encratitae, ideo aquarii et *ὑδροπαράστατα* dicti, cujus rei fidem faciunt Epiphanius (haeresi 46 s.), Theodoretus et plures alii. Fuerunt etiam olim ex ipsis fidelibus, qui aquam adhiberent, metuentes, ne grassante persecutione ex vini odore et matutina synaxi proderentur. Aliqui adhibebant lac loco vini, alii lac et mel. Prius ex concilio Bracarensi III. c. 1., posterius ex concilio Carthagin. III. c. 34. constat. Gnostici substituebant semen virile et menstruum sanguinem, de quorum horrenda malitia Epiphan. (haer. 26.) testatur. Cataphrygae s. Montanistae sanguinem infantis miscebant farinae et inde panes eucharisticos conficiebant. Macrosii sec. II. per artem magicam vinum album in rufum immutabant. Irenaeus adv. haer. I, 9. Sub finem sec. V. quidam abstinebant a vino et lac substituebant. Alii sufficere sibi putabant panem eodem seculo, quos repressit Gelasius, Leonis successor. Errorem *ποτηριοκλεψίας* multum juvit mos panem

intingendi in vinum. Exemplum consuetudinis hujus non probandae, quamvis haud dubie extraordinarium, habemus in Serapione, cui animam agenti per puerum panis ἀποβεβρεγμένος mittebatur. Euseb. hist. eccl. 6, 30. Concil. Bracarense III. intingendi ritum damnavit, concessit autem postea in usum infirmorum concil. Turonense. Repsit ille mos propter effusionis metum in claustra ad monachos, sigillatim ordinem Cluniacensem. Ex Monasteriis in ecclesias primo aliquas, mox omnes vel certe pene omnes ipso undecimo seculo intinctionis usus transiit, effusionis metu Latinos ob susceptam transsubstantiationis fidem validius urgente. Sub finem tamen sec. XI. ritus ille Urbani p. r. decreto abrogatus est, ad a. Chr. 1095. his verbis: Corpus dominicum et sanguis dominicus singulatim accipiatur. Eundem ritum de integro repressit a. Chr. 1118 Paschalis. Alexander ab Ales. (Summa 4, quaest. 32), scribit: „Non oportet, quod ipsi (Laici) sumant in utraque specie, propter periculum effusionis et propter periculum erroris, nec simplices crederent, totum Christum sub altera specie non esse.“ Primo in aliquibus saltem ecclesiis altera species ablata est, et licet Innocentius III. circa a. Chr. 1120. non parum laboraverit, ut mos ille communicandi sub una omnes pervagaretur ecclesias, tamen, quod voluit, non obtinuit, quia multae ecclesiae renuerunt. Atque ita stabilita transsubstantiatione, sec. IX. primum exorta et excogitata a Paschasio Radberto, Abbate Corbeiensi in libro de corp. et sangu. Jes. Chr., qui habetur in Biblioth. Patr. Tom. IX. quam demum, tanquam fidei articulum, Innocentius III. (cujus aetate tamen communio sub utraque nondum erat rejecta,) a. Chr. 1215 toti terrarum orbi in concilio Lateran. maxime obtrudebat, et deinceps sec. XIV. omnes ferme praeter Vicklefitas et Valdenses credebant: mutilatio sacramenti et subtractio calicis primum absque publica alicujus concilii auctoritate, privato saltem quorundam ausu, paulatim invecta est, XII. circiter sec., augmentum cepit sec. XIII., maturuit sec. XIV., tandem sec. XV. decreto concilii Constantiensis roborata et confirmata est, a. Chr. 1414. sess. 13. Mansit tamen communio sub utraque aliquibus in ecclesiis Pontificiorum tempore concil. Trident. Quin etiam hodie Abyssinis adhuc in usu est, teste Ludolffo; item Syris, uti testis est Severus Antiochenus de rit. s. synaxeos apud Syros Christianos (Antverp. 1577. 4.). Item testatur de Graecis Ruthenicis Connor in descript. regn. Polon. p. 449. ut alia taceam, quae haereticis aut pontificiis, ποτηριοκλεψίας auctoribus, objici poterant. — §. 15. Circa subjectum cui notamus, exclusos olim esse a communione Catechumenos, non initiatos, poenitentes, maxime malae notae haereticos et insignes peccatores. Augustinus: „Transeant per mare rubrum, i. e. baptizentur et manducent manna, i. e. corpus et sanguinem Domini.“ In Gallia a daemoniis vexatos oportebat abstinere perpetuo; item illos, qui cum legitima uxore concubinas alebant. Illos vero, qui absque uxore concubinis utebantur, εὐχαριστίας usu non arcebant. Sic viduabus sacerdotum, quae secundas nuptias celebraverant, toto vitae tempore superstitione singulari synaxin denegabant. Poenitentibus, si gravem in morbum inciderent, porrigebant vinum et cali-

cem, τελευταῖον ἐφόδιον, superato tamen morbo, locum poenitentium rursus occupabant, quippe hoc viaticum non habebatur pro vera ecclesiastica absolutione et reconciliatione, quia absque solemni manuum impositione peracta. Post sec. IV. irrepsit usus ille paulatim, praesertim sequentibus, ubi moribundi religiosi τελευταῖον ἐφόδιον poscebant. Fidelibus, qui pertinebant ad κοινωνίαν τῶν ἁγίων, liber s. ad synaxin aditus patebat iisdemque in orthodoxa ecclesia solis. Seculo jam III. parvulis et statim post baptisma eucharistia dabatur, uti testatur Cyprianus. In Constitut. Apost. 8. c. 13. communicantium ordo sic describitur: Primum clerici, virgines et viduae, exinde τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαός. Idem tradit Pseudo-Dionysius (Hier. eccles. 3. 2.). Sec. V. hoc in usu fuisse, testatur Augustinus. Sec. VIII. Franci pueruli eucharistiam concedebant. Quin immo sec. VII. antecedenti mos iste non erat infrequens. Ritus hic duravit adhuc sec. IX. seqq. et varius fuit. Quandoque infantibus solum vinum consecratum datum est, quandoque panis in vinum intinctus, interdum etiam panis comminutus et contritus in aqua et vino. Mos inter Graecos, Armenios, Aethiopas nondum exolevit. De Graecis id testatur Jeremias, Patriarcha Constantin. in Actis respons. ad Tubingens. c. 9. p. 85; de Armeniis et Aethiopibus testes idonei sunt Antonius Gouveanus, Osorius, Alvares, alii. Mortuorum ori quibusdam in locis symbola eucharistica fuisse imposita vel stomacho adplicata et cum cadaveribus sepulta, constat. Damnant superstitiones illas concil. Carthag. III., concilium Hipponense, alia. Vid. Albaspinaei Observ. eccl. l. IX. Num. 6. — §. 16. Forma s. modus communicandi potissimos eucharistiae ritus nobis sistit, quales sunt praeparatio, consecratio, distributio, sumptio, quo communionum species referimus et ἀγάπας, una cum pacis osculo, reducere possemus. De singulis sigillatim illudque breviter. Communicationem praeibant jejunium, vigiliae, reconciliatio et precationes pro universo orbe, pro ecclesiae statu, pro necessitatibus publicis et privatis. Graeci vocant λιτανείαν, ἱερὰν εὐχήν, συναφὴν καθολικήν. Sec. VII. aliquot dies ante coenae usum consuetudine connubii abstinebant et continentius vivebant. Θεῖος ἄρτος καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον mensae reverenter et devote imponebantur. Sacerdos et diaconi ante sumptionem vestimentorum et sacrorum tractationem manus abluebant. Sacerdos admonebat populum, sonora voce intonando: Dominus vobiscum, respondente populo: Et cum spiritu tuo. Sacerdos iterum, maxime sec. V. tempore Augustini: ἄνω τὰς καρδίας, μηδὲν γηΐνον ἡγήσασθε. Resp. populus: Ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν. Tum sacerdos iterum: Εὐχαριστῶμεν τῷ Θεῷ. Populus: Dignum est, justum est et salutare. Postea canebatur plerumque τρισάγιον seraphicum, Jes. 6, 3. Diaconus quoque vel presbyter ad altare clamabat: Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, ἅγια τὰ προκείμενα. Actum consecrandi dixerunt εὐλογεῖν, ἁγιάζειν, κατασκευάζειν. Consecrationem precibus et gratiarum actionibus antiqui peragebant. Recitabatur oratio dominica cum verbis institutionis et Haggada christiana, h. e., καταγγελία mortis Domini. Veteres in prima ecclesia solam orationem dominicam adhibuisse putant nonnulli. Sed institu-

tionis verba simul esse recitata, ex antiquitate christiana constat. Seculis aevum apostolorum proxime sequentibus aliae etiam preces et ante et post coenam usitatae erant. Verba institutionis et a Christo et ab apostolis et ecclesiae doctoribus ἐκφώνως et λαμπρᾷ τῇ φωνῇ recitabantur et quidem plane, non voce submissa aut murmurante, more gentilium, qualem consecrationem idcirco secretam Pontificii adpellitant. Concilii Trident. episcopi Sess. 22. eo abierunt, ut anathematis fulmina contra superstitionum ethnico-papalium osores emiserint. Verba sic habent: Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit. Panis fractio necessaria erat necessitate physica, non legali; ἀρτοκλασίαν ex numero τῶν ἐν τῷ μέσῳ κειμένων veteres censebant. — §. 17. Sequuntur ritus in ipsa distributione et sumptione usitati, quos recensebimus. Viri incedebant aperto, feminae velato capite, 1 Cor. 11, 4—5. Item tradunt Constit. Apostolicae. Beda: Ne forte, ait, angelis, i. e., ministris, scandalum aliquod adferant. Haec velatio paulo post apostolorum tempora in desuetudinem venit. Aliquando, teste Joh. Damasceno (de fid. orth. c. 14.) accedebant τὰς χεῖρας σχημάτιζοντες εἰς τύπον σταυροῦ. Ante communionem lavabant manus, praeter mulieres, quae gestabant dominicalia, i. e., linteamina nitida, quibus corpus Christi exciperent. Postea feminae usurparunt δοχεῖα, ex auro vascula pretiosa sive receptacula, quam consuetudinem inhibet concil. Constant. Trullan. can. 102. Offerebatur etiam panis, teste Hieronymo, in canistro, deinde in patinis, quae Graecis δίσκοι dicebantur. In Constit. Apostol. 8. 13. ordo communicantium sic describitur: Postea communicet episcopus, deinde presbyteri et diaconi et hypodiaconi et lectores et cantores et ascetae, et ex feminis diaconissae et virgines ac viduae, deinceps pueri; καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν, cum pudore et reverentia, sine tumultu. Distributionis modus fiebat per ἐγχείρισιν et μετάδοσιν. Piscator, Bucanus, alii χειροληψίαν et ἐγχείρισιν necessariam esse putant, ab ipso Christo mandatam, utut ceteroquin ipse Calvinus (Instit. 4, 17. sect. 43.) pro externo ritu, qui omnino ἀδιάφορος sit, illam venditet. In prima tamen ecclesia aliquot per secula in usu fuit ἐγχείρισις, dum ἁγίας μερίδας de manu sacerdotis manu sua accipiebant, non ex necessitate praecepti, sed summa Christianorum libertate in circumstantialibus et adiaphoris. Per τὸ λάβετε sumptio, non modus sumptionis externus praecipitur. Postmodum sensim paulatimque μετάδοσιν in ecclesias invexerunt. Aliqui μερίδας ἁγίας et vinum secum portarunt domum, quibus animam in persecutionum periculis solarentur. Adservabant in linteolis panem consecratum, aut in arculis recondebant. Basilius vocat inveteratam consuetudinem. Meminit moris illius Cyprianus et Origenes, qui eandem in consuetudinem invehitur et subsequentem ἐπίκρισιν annectit: Dominus panem non distulit nec servari jussit in crastinum. Mos ille, quemadmodum diximus, ob persecutiones et hostium machinas est introductus et cum abuterentur consecratis symbolis ad res veneficas et morbos curandos, demum abolitus. Eucharistiae reliquias pueris, qui scholas frequenta-

hant, dare solebant, ut absumerent illudque ex consuetudine vetustissima. Nicephor. Callist. hist. eccl. 17, 25. Aliae ecclesiae reliquias comburebant, videlicet eo tempore, quo transsubstantiationis monstrum adhuc ignorabatur. Privatam communionem priscis fuisse in usu, mox audiemus. Id commemorabile est, quod referunt de episcopo Paris., qui Odo cognominatur et sec. XII. vixit. Hic enim eucharistiam cum facibus adhibitis certis cantilenis ad aegrotos ferri et obvios simul religiose genua flectere jussit, cum sacerdos cum hostia praeteriret. — §. 18. In antiquitate notabiles sunt aliquot communionum species. *Κοινωνίαν τῶν λαϊκῶν* Balsamon interpretatur *τὴν μετὰ τῶν πιστῶν κοινωνίαν*. Bellarminus communionem vult intelligi sub una specie, sed bene discrimen tantum esse in ordine, tempore et loco, monitum est. Clerici prius, laici post eos ibant. Clerici *ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου* in ipso choro, laici extra chorum s. synaxi fruebantur, in quo consentiunt plurimi pontificiorum, et ante et post Bellarminum hoc nobiscum adfirmantes. Clericos propter peccatum commissum ex ordine clericorum dimissos inter laicos consistere oportebat, immo hi aliquando ipsa communione laica arcebantur. *Κοινωνία τῶν ἀποδημούντων* erat, quando peregre advolantes clerici cum clericis in choro consistebant, s. synaxi utebantur et cum clericis omnia praeter sacrorum administrationem communia habebant. Notabilis est communio praesanctificatorum. Erat etiam peculiaris catechumenorum communio, qua baptismi candidatis frustulum panis et salis benedicti dabatur. Communio moribundorum post sec. IV. paulatim irrepsit apud Christianos sec. VI. et seqq. religiosum esse coepit in ecclesia, ne infirmi absque eucharistia morerentur. Interim moribundis s. synaxin seculis I. II. et seqq. esse datam nulli dubitamus. Utebantur veteres eucharistia aliquando, propter persecutionum et mortis pericula, quotidie, multo magis adpropinquante mortis hora. Conc. Nic. canon. XII. diserte ait: Vetus et canonica lex nunc quoque servabitur: *Εἴ τις ἐξοδεύει, τοῦ δεσποτικοῦ ἐφοδίου μὴ ἀποστερείσθω*. Graeci patres dixerunt s. coenam idcirco *δῶρον ἐξιτήριον, ἐφόδιον*. Male tamen s. coena comparatur cum apophoretis gentilium, ubi amicis dona dabantur *ἀποφόρητα* dicta, *παρὰ τοῦ ἀποφέρειν*, quod domum deferrentur, quibus originem dederunt luxus, deliciae et lascivia. — §. 19. Normam, finem et definitionem s. coenae videsis apud doctores theologos. Inter adjuncta praelucet sanctitas et solemnitas ratione loci, temporis et caeremoniarum spectata. Dispensabant s. synaxin in sacris conventibus, primum ob persecutiones in cryptis, cavernis, aedibus privatis, coemeteriis, postmodum in oratoriis et templis, clericis in choro, laicis extra chorum. Vid. Act. 2, 46; 20, 7. 1 Cor. 11, 20. Quandoque necessitate sic jubente extra templa et conventus sacros communicabant, utpote militibus in gramine, moribundis atque infirmis intra privatos parietes. Accipiebatur in apostolica ecclesia circa mediam noctem Act. 20, 7. Postea quoque mane ante solis ortum, quo tempore conventus sacri habebantur. Primi Christiani, quibus ardentior fuit pietas, ob mortis periculum mortis *ἀντίδοτον* quotidie sumpserunt. *Duravit* mos ille usque ad aetatem Hieronymi Romae et in Hispania, Mediolani

usque ad Ambrosii tempora, in Africa usque ad aetatem Augustini. Postea sumebatur per septimanam semel tantum. Socrat. hist. eccl. 5, 21. Sozom. 7. 19. Sec. VIII. synodus Turonensis c. 50 constituit: Ut, si non frequentius, vel ter laici homines in anno communicent. Epiphanius quarta et sexta feria, Basilius feria quarta, sexta, sabbato et dominica, et alias, si occurrerent Martyrum natalitia, alii, ter per annum, videlicet festo nativit., pasch. et pentec. s. coenam fuisse administratam existimant. Mensam, ad quam Christus accubuit, auro purissimo coopertam atque infinitis propemodum gemmis ornatam ex Toleto occupata Musen, Arabum ducem, secum reportasse, fingit Leo Africanus 5. 74. Veteres habebant, ut hodie Graeci, duas mensas. Unam vocabant *πρόθεσιν*, quasi dicas mensam propositionis, in qua ponerentur *τὰ δῶρα, τὰ προκείμενα δῶρα*, ante consecrationem. Deinde oblationes illae transferebantur in alteram mensam, quam vocabant quandoque altare et *ἅγιον βῆμα*, ubi consecratio peragebatur, teste praesertim Augustino et Chrysostomo. Sec. VIII. ac IX. et altaribus et mensis promiscue utebantur. Communio fiebat accumbendo Matth. 26, 20; 1 Cor. 10, 21. deinde ad mensam stando. Euseb. hist. eccl. 7, 8. — §. 20. S. Synaxin comitabantur olim *ἀγάπαι*, quo nomine ipsa coena quandoque veteribus adpellabatur. *Ἀγάπας* a Judaeis derivat Constantin. l'Empereur in Middos, II. 6. p. 81. Certe Hebraeorum hospitalitatem non possumus non laudibus efferre. חסידים propterea foras ibant, praesertim post meridiem et advesperascente die, ut peregre advolantes in aedes reciperent atque cibis et potu reficerent, unde domus veterum exstruebantur, si magistris Hebraeorum habenda fides, ad plateam apertae. Veteres Hebraeos in conviviis pauperum habuisse curam, ad Neh. 8, 11. et Deut. 16, 10. interpretes notant. Celebrantur ideirco in Judaeorum scriptis שלמי חגיגה et שלמי שמחת חגיגה, in quibus sacrificiorum reliquias pauperes absumebant. Erant illa convivia *κοιτὰ* et *ἀδελφικὰ* propterea instituta, ut amorem invicem conciliarent, conciliatum confirmarent et propagarent, egenos insuper sublevarent sustentarentque. — §. 21. Idem mos deinceps inter gentiles obtinuit, quo pertinebant *ἀποφόρητα*. Graecis persuasum erat, personas, ut cum Ietis loquar, miserabiles, maxime pauperes, orphanos, viduas, peregrinos amicos esse Dei et liberos, singulari appellandi ratione. Menander in sentent.: *Ἀεὶ νομίζονθ' οἱ πένητες τῶν θεῶν.* Habebant illud ethnici ab Hebraeis. Cfr. Ps. 10, 14. Hinc gentilium *ἀγάπαις* praeerat Jupiter *ξένιος* et Hercules *τραπέζιος*. Tandem venit mos ad Christianos, quos inter *φιλοξένια* esse debebat *ἄνευ γογγυσμῶν*, 1 Pet. 3, 9. Fideles in altari panes et vinum offerebant, sec. 1 sqq., sec. V. VI. praesertim sec. IX, immo sec. XI adhuc erant in usu oblationes, quas praecipit Gregor. VII. in Syn. Rom. a. Chr. 1078 hab. c. 13. Vestigia hujus offertorii supersunt in missa Pontificiorum, maxime in Galliae ecclesiis. Ab hoc ritu eucharistia Germanis dicitur: ein Opfer, et hostiae vocantur oblatae. Syn. Grangrens. oblationes illas nominat *καρποφορίας ἐκκλησιαστικάς*. Alias *προσφοραὶ, τὰ δῶρα, τὰ ἅγια δῶρα, τὰ προκείμενα δῶρα, τὰ δόματα, τὰ καρπώματα* audiunt. *Ἀγάπαι* vero ipsae erant

συμπόσια κοινὰ et ἀδελφικά, epulae φιληματ et ἀγιομνήσια convivia, in quibus pauperes cum divitibus edebant promiscue, qui et absentibus aegrotis et senio confectis μερίδας mittebant. Id in veteribus Graecis tam ethnicis, quam christianis apprime laudem merebatur, quod multum negotii haberent cum amore. Hinc in adpellationibus, salutationibus, literis mutuis, colloquiis illud usitatissimum: Ἡ ἀγάπη ὑμῶν. Ex his autem oblationibus s. euchar. instituebatur, clerici sublevabantur, cerei, vestes et reliqua procurabantur, erant ad refectionem pauperum, viduarum, hospitum. Maxime pauperibus exhibebantur ἀγάπαι caritatis ergo. — §. 22. Praemissas esse nonnulli volunt; alii post coenam institutas fuisse pertendunt. Utrumque, pro mutatione temporis ac loci, potest admitti. In agapis nusquam celebratam fuisse εὐχαριστίαν, perquam audacter contendit Albaspin. obs. eccles. I, 18. Primum erant in domibus privatis, postmodum in coemeteriis et templis. Accubitus etiam in agapis veteres retinebant. Hujus rei monumentum extat Romae in coemeterio S. Agnetis. Accessit tandem abusus. Gnostici et Carpocratiani lumine ameto exsatiati sacietate, Venerem excitante, coibant, quomodo et quibus vellent. Ἀγάπαι maximum ob abusum in natalibus, nuptiis, funeribus, templorum dedicatione κακοζηλίαν redolebant gentilium, quare passim ex ecclesiis extirpatae sunt, vel ad annum 328 vel, ut aliis placet, ad annum 346, quo tempore concil. Laodicen. can. 28. constituit: Non decet in domiciliis divinis ἀγάπας ποιεῖν, καὶ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ ἐσθίειν καὶ ἀκούβιτα στρωννύειν. At ἀγάπαι his forsan verbis non ex orbe, sed templis saltim rejiciantur. Non uno, eodemque tempore abrogatas esse constat. Fiiebantur ἀγάπας mutuis complexibus et osculis, cum solemni pietatis formula. Quemadmodum enim post precationem super catechumenos et poenitentes, illorumque ex coetu egressum, dein fidelium precationem, adplicabant oscula: ita, finitis ritibus singulis, post gratiarum actionem, repetebant osculum pacis, quod vocant εἰρήνην διδόναι, et, cum Tertulliano, signaculum orationis.

XLIII.

Christophorus Beyer de magno veteris ecclesiae circa poenitentes rigore *).

I. l. §. 1. Quae furentibus per aliquot seculorum decursum dirissimis, quas in nominis christiani interitum moliebantur imperatores romani, persecutionibus inter diuturnos labores, vulnera et cruciatus late per orbem propaganda erat christiana ecclesia, cum multa essent, quae, praeter puriorem doctrinam, qua fieri poterat, religione tueri, illam oportebat, tum imprimis, si quos criminibus pollutos haberet, severe in eos animadvertere et sanctiorem ubique servare disciplinam illius intererat. Etenim atroces erant et immanes calumniae, quibus Christianos lacerabant gentiles, qui, quod unus aut alter malorum ex illis peccaret, tribuebant omnibus totamque adeo Christianorum societatem ex hominibus flagitiosis omnique scelerum genere contaminatis compositam esse impune mentiebantur et hinc quanta in orbe erat, ut nefandam, eam deleri volebant. Saepe etiam factum, ut ad eorum aut blanditias aut minas ipsaque tormenta, quorum exquisita ubique parata habebant, magnus ederetur, qui Christum negabant, numerus. Quo igitur duriora haec erant, quae christianam religionem manebant, fata, eo quoque majori in id studio incumbendum erat ecclesiae doctoribus, quo modo, qua ratione nefarii eorum, qui vel pravis suis doctrinis res christianas in periculum adducerent vel proclives ad delinquendum erant, conatus comprimerentur ac tandem efficiendum, ut, quos instituta majorum patrumque cohortationes et preces in pietate et obsequio, quos sponte data religionis professio et exempla eorum, qui invicta fide decesserant, intra ecclesiam continere non poterant, lex dura contineret et disciplinae austeritas. — §. 2. Non quidem ad mundana, non ad poenas illas civiles, quibus facinorosos et qui atroci tenentur crimine afficiunt in republica leges, se extendebat ecclesiae autoritas. Pro vera enim christianae religionis indole sicuti nullum traditum ei fuerat humanum imperium, ita etiam externa coërcendi flagitiosos potestate, si ulla, certe illa imprimis aetate, qua ad imperii clavum sedebant imperatores ethnici et in

*) Prod. Lips. 1758. 4.

Christianorum sacra saepe tyranni, destituta erat et prorsus carebat. Verum spiritualis erat, quae ipsi concessa fuerat, potestas. Minabatur enim peccatoribus sacrae cum fidelibus societatis privationem eamque non certis annorum terminis circumscriptam, sed perpetuam, nisi resipiscerent eosque ab orationis, conventus omnisque sancti commercii communione relegabat. Quod solum utile fuit ecclesiae illis temporibus verum et necessarium, ut horum exemplo et disciplinae rigore perterriti alii a recto religionis tramite aberrare extimescerent, nomini autem christiano adversus obtrectationes gentilium sua constaret sanctitas. Hoc docuerunt et re ipsa comprobarunt, quibus propagandae per universum terrarum orbem doctrinae christianae cura demandata erat, apostoli, quod abunde confirmant eorum epistolae. — §. 3. Ut autem ligandi, ita et solvendi potestas facta fuerat ecclesiae. Hinc quos serio criminum poenitebat, iis ad suam omniumque sacrorum communionem reditum praecludi noluit, quamvis nec omnibus nec nisi semel, quod disciplinae rigore factum, eundem patere, aliquando voluerit. Unde facile intelligitur, quod modus cum lapsis et poenitentibus agendi eosque in gratiam reducendi cum fratribus non unus idemque omni aetate obtinuerit. Varius fuit auctoque posterioribus seculis Christianorum numero, maxime cum summa rerum potiti essent imperatores christiani in rigorem excrevit, interdum humanitatis leges fere excessit. — §. 4. Via simpliciore incesserunt apostoli sec. a Chr. nativ. I. modum secuti, quem Christus ipse discipulos suos docuit, cum homines immorigeros et disciplinae sanctioris impatientes omniumque admonitionum contemtores a communione sua atque consortio removere, iis mandavit. Primo namque fratrem peccantem redarguendum esse ait ab eo, in quem peccavit; si converti noluerit, adhibendos esse unum aut duos; quos si nondum audierit, deferendam rem esse ad ecclesiam, cujus etiam animadversionibus si nec locum reliquerit, tum demum habendum illum esse, ut publicanum et ethnicum (Matth. 18, 15 – 17). Simplicissimus cum fratre lapso agendi modus. Tantum, quo sensu accipienda sint, quae nonnullis obscuritate laborare videntur, illa: ἔστω σοὶ ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, de eo interpretes non satis conveniunt. Est quorundam doctissimorum virorum sententia, Christum a suis morem voluisse Judaeorum teneri, quibus non ethnici modo, sed et publicani erant valde exosi, qui ad synagogam aditu eos arcentes omne cum iis commercium familiaresque eorum congressus cum horrore fugiebant. Nec prorsus ab horum opinione dissentiunt, qui post latam hanc a Christo sententiam jus fasque fuisse dicunt Christianis, omni prorsus abstinere cum fratre societate et convictu omnemque cum illo aversari communionem, qui, vel monente et animadvertente ecclesia, in viam reduci non potuerit; eo quidem horrore, non quo Judaei, a quibus excommunicationis apud Christianos originem arcessere opus non fuisset, sed quo illi ipsi cum publicanis et ethnicis familiaritatem quamvis defugientes aversarentur adeo, ut ex horum interpretatione sensus verborum sit: Si irriti fuerint et frustranei conatus omnes, si insuper habuerit monita quaevis, qui injuriam tibi intulit, frater: tum demum

libera te illius cura, habe eum non ut fratrem, non ut fidelem, non ut ecclesiae, quam contemtui habet, membrum; sed ἔστω σοὶ ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, esto tibi perinde ac ethnicus et publicanus, h. e. prorsus a religione alienus, aut Judaeus quidem, sed ἁμαρτωλός, talis, qui vitae sit flagitiosae, quales τελῶναι καὶ πόρναι, quibus non debentur, quae arctior conjunctio et familiare commercium officia postulant. Huic imprimis opinioni prae reliquis addictum esse video Hug. Grotium ad Matth. l. l. Sunt eruditorum nonnulli, qui hunc cum fratre lapso agendi modum, quem Christus docuit, de peccatis nonnisi occultis et privatis accipiendum esse contendunt; crimina, quae publice commissa omnibus vel plurimis ecclesiae membris cognita sint, publicae censurae subjicienda et coram concione arguendos esse, qui istis sese obstrinxerint. Interea cum ex dictis clare appareat, qua ratione, quo modo habendi imposterum essent, qui scelere quodam obstricti tenentur, perinde nimirum, ut ethnici et publicani, neuter autem eorum christianae societatis membrum constituat, mea etiam opinione non errabunt, qui in hoc Servatoris effato excommunicationis apud Christianos originem in primitiva ecclesia fundatam esse affirmant. — §. 5. Sanctam et intemeratam hanc legem esse voluerunt apostoli et, qui eorum aetate in christiana ecclesia docuerunt, Patres apostolici. Etenim, si quem sceleratum haberent criminibusque foedatum iisque levioribus nec adeo manifestis, lapsum ejus corrigendum curabant per correptionem fraternam. Scilicet eum monebant, iterum atque iterum monebant, ut fratrem eum monentes. II Thess. 3, 15. Si post monitiones et censuras saepe privatim repetitas peccator contumax esset aut si crimina essent enormia, si publica et plurimis fidelium perspecta, tum publice in coetu ecclesiae coram concione in eum animadvertebant, memores praecepti, quod Paulus dedit I Tim. 5, 20: ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε. Publice iterata hac animadversione si flecti non posset pertinacia obduratus illius animus, tandem disciplina severiori utebantur, secundum potestatem, qua in sceleratos pollebant a Christo sibi concessam et peccatorem tam obstinatum, qui sine dedecore in ecclesia tolerari aut pro membro ejus agnosci non poterat, suis congressibus omniumque mysteriorum communione excludebant. — §. 6. Erat autem haec disciplina vel extraordinaria, cujus exercendae potestate instructi erant apostoli, vel ordinaria, quae ab ipsis Christianorum societatibus, earum presbyteris et episcopis pendebat. Disciplinae extraordinariae genus quoddam consentaneum fulmen illud horrendum, quod in hominem, quem graviora obstrictum tenebant crimina, vibrabant apostoli, quando eum Satanae tradebant in interitum carnis. Ita Paulus incestuosum, qui in Corinthiorum erat ecclesia, sibi constitutum esse ait παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός (I Cor. 5, 5). Et eodem fulmine *Alexandrum* et *Hymenaeum* percussos a se fuisse, scribit ad Timoth. I, 1, 20. — §. 7. Quo sensu accipienda sint apostoli verba inter doctores non convenit. Adeo variae et diversae sunt eruditorum de eo sententiae, ut, quam sibi eligere debeant inter opiniones dubias, dubii haereant et ancipites. Vatablum, Clarium, Scaligerum, Hugonem Gro-

tium doctissimos habebis horum verborum interpretes. Alii ea accipiunt de singulari potestate extra ordinem apostolis concessa, pravos et flagitiosos homines morbis, calamitatibus variisque corporis afflictionibus afficiendi, quam potestatem nonnulli intelligunt per virgam apostolicam, quam Paulus minatur Corinthiis 1. Cor. 4, 21 quo et referre solent, quae scribit II. Corinth. 10, 6; 13, 10. secus sentiente Guil. Saldeno (*de virga apostolica, Otiorum Theologic.* p. 448 ss.). Alii de summo excommunicationis ecclesiasticae gradu rem explicant, ita ut intelligant solennem illi actati a sanctorum consortio peccatorem removendi formulam, cum dira imprecatione conjunctam s. declarationem, apostolica auctoritate, consensu totius ecclesiae in nomine Jesu Christi publice factam, quod quis per sua facinora societate ecclesiae, regno Christi plano exclusus imperio et tyrannidi Satanae tam diu subjectus esse debeat, donec conversatur et ad mentem meliorem redeat. Hanc autem declarationem eo tendere, ut homo facinorosus terrorem concipiat, peccatorum atrocitatem et horribilem poenae hujus effectum cognoscat, in viam redeat et vetus homo, qui vocetur caro, destruatur, novus autem et interior, qui dicatur spiritus, usque ad diem Christi servetur, I. Cor. 5, 5. Utriusque expositionis autores copiose enarravit J. G. Walchius in exercitat. de Hymenaeo et Phileto et simul indicavit, esse argumenta eorum non contemnenda, qui Paulum de singulari apostolorum potestate loqui existimant. In hunc etiam sensum pronuntiat Abr. Scultetus, qui ab excommunicatione, quae impoenitentem flagitiosum a coena aliorumque sacrorum communione prohibitum ex ecclesia ejiciat et animae periculum inferat, hanc *παράδοσιν τῷ Σατανᾷ*, quae jam excommunicatum Satanae potestati tradat, corporali nunc cruciatu affligendum, ut ad poenitentiam adducatur, multum diversam eamque nonnisi propriam atque peculiarem fuisse apostolis potestatem eum dono miraculorum a Christo iis concessam, ut sic affligere possent, etiam absentes cum essent, enormiter flagitiosos, prae reliquis observat in I. ad Tim. 1, 20. suaeque sententiae autores, Ambrosium, Hieronymum, Theodoretum, Theophylactum refert, quorum omnes hanc poenam, quam cum Alexandro et Hymenaeo Paulo dedit incestuosus, de corporis cruciatu et calamitatibus accepisse, eodem loco docet nec dissentit ab iis Jo. Chrysostomus (*homil. XV. ad Corinth. Tom. XI. Oper. pag. m.* 150). Praetereo alios veteres et recentiores ecclesiae doctores eandem foventes opinionem, quam etiam nemo facile improbabit, qui alia iisque fere similia, quae in scripturis obvia sunt, exempla cogitat peccatorum enormium, quos ab apostolis, coelitus descendente in eos virtute divina, poena affectos fuisse constat, quae corpus aut destruebat aut duras calamitates huic inferebat. Hac Apostolica potestate Ananias et Sapphira interfecti, Elymas coecitate percussus, Acter. 5, 5, 10; 13, 11. et in promtu habebat Paulus, quo omnem contumaciam comprimeret, II. Cor. 10, 6; 13, 10. — §. 8. Ad disciplinam ordinariam, cujus exercendae facultas ipsis relicta erat ecclesiis earumque ministris, spectabat excommunicatio, per quam intelligitur publica et solennis nomine totius ecclesiae facta declaratio, hominem in graviora crimina lapsum, moresum, pertinaciter impium nullam-

quae unae emendationis spem prae se ferentem, christiani coetus omniumque sacrorum communione esse pellendum. Obtinuisse in ecclesia apostolica excommunicationem, quamvis sub aliis nominibus, imo apostolos voluisse, ut ea adhiberetur, intelligitur ex I. Cor. 5, 2. Reprehendit ibi apostolus Corinthios, quod hominem, qui incestu sese polluerat, sua societate et consortio non prohibuerint: *Et vos*, inquit, *inflati estis et non potius luxistis*, ἵνα ἐξαρθῇ ἐκ μέσου ὑμῶν ὁ τὸ ἔργον τοῦτο ποιήσας· et tandem sermonem suum ita concludit: *Igitur auferte τὸν πονηρὸν de medio vestrum*. Hujus etiam excommunicationis in primitiva ecclesia usum docet et abunde confirmat Christus ipse, Matth. 8, 15. — §. 9. Eodem modo nonnulli huc referre solent anathema, quod Paulus in se ipsum pronuntiat et in doctores christianos, qui evangelium aliud, doctrinam aliam, praeter eam, quam apostoli praedicassent, circumferrent nec non in Judaeos quoscunque Christum non admittentes, ut verum Messiam, sed qui legis Mosaicae institutis majorumque placitis et auctoritati obstinato animo inhaerentes christianae doctrinae veritati contumacius refragarentur. Dirae hujus imprecationis mentio injicitur Rom. 9, 3., Gal. 1, 8 – 9. et I. Cor. 16, 22. adjunctis anathemati, quod ultimo loco occurrit, *μαρὰν ἀθὰ* s. *μαραναθὰ*; quo scribendi genere praeter Vulgatam usus etiam fuit Tertullianus *de pudic.* p. 14. cujusque varias et diversas veterum et recentiorum sententias late persequitur Jo. Seldenus *de Synedriis*, 1, 8. — §. 10. Praeter anathema hic etiam locum merentur, quae sacris scriptoribus receptae familiaresque sunt dicendi formulae: *Ἐκβάλλειν, ἀφορίζειν, ἀποσυνάγωγον* facere, quae excommunicationem apostolorum aetate usu receptam fuisse testantur nihilque aliud quam omnimodam impii hominis a coetu Christianorum separationem significant. Rarius quidem *ἀποσυνάγωγος* in scriptis, quae a secc. priorum Patribus ad nostram aetatem pervenerunt, hoc sensu occurrit, interdum tamen pro excommunicato vel inter Christianos posteriori aetate vocem nonnullos accepisse constat, e quorum numero Patres fuisse video in oecum. illa Nicaeae in Bithynia synodo congregatos, qui canon. 5. de excommunicatis in ecclesia inquirendum esse decernunt, an contentione aut alio episcopi vitio *ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται*. Vid. *Acta Concilii Nicaeni* apud Jo. Harduinum Tom. I. Concil. p. 325 — 326. — §. 11. Has poenas in peccatores morosos cum perpetuo, nisi converterentur, eorum a fidelium coetu *ἀφορισμῷ* conjunctas decernebat apostolorum aetate ecclesia. Utrum hoc institutum a gente hebraea ad Christianos transierit, de eo disputatur. Hoc imprimis affirmat Jo. Seldenus l. l., cujus deinde vestigia secuti fuerunt plures, qui, quem apostoli servarunt cum peccatoribus agendi modum, totum a synagoga originem traxisse, dicunt suaeque sententiae autoritatem conciliare nituntur iis, quae de excommunicationis apud Hebraeos speciebus variisque gradibus doctores eorum tradunt. Erant autem hi: Primus iis dicebatur *נדוי, remotio s. exclusio*. Hac poena qui tenebatur, ea illius erat conditio ejusque status mutatio, ut per quatuor cubitorum spatium remotus alteri ex ecclesia s. synagoga praeter uxorem et liberos assidere prohiberetur; adhaec omni vitae et convictus communitate haberetur indignus neque

cibi potusque cum aliis particeps factus, *ἀτιμίας* nonnisi nota ob graviora illa aut in legem sacram aut in bonos mores peccata laboraret, usque dum poenitentia in viam reductus absolveretur, et, quo prius exciderat, juri antiquo restitueretur. Durabat haec excommunicatio ad triginta dies, si resipisceret, sin minus, iterata ejusdem sententia, per aliorum adhuc triginta dierum decursum suo jure privatus manebat. Quod si ad frugem bonam se nondum reciperet, tum excommunicationis majoris, quam חרם vocare solebant, minorem sequebatur sententia, quae a foro, s. qui rebus praeessent, in peccatorem ferebatur. Conjunctas illa habebat diras maledictiones et vindictae divinae imprecationes horrendas. Execratus jam erat ceteris omnibus, a familiari cum iis consortio omnique commercio ita remotus, ut qui rationem cum illo iniret aut rem ullam contraheret, eadem teneretur excommunicationis sententia. Atque ob pristini juris et communionis privationem uterque dicebatur, et quem majori et quem minori excommunicationis fulmine feriebant, *ἀποσυνάγωγος*, juris antiqui libertate ita privatus, ut a coetu, synagoga, universitate et ecclesia suorum separatus nonnisi habendus esset ac vere divisus. Sunt eruditorum nonnulli qui duabus his apud Hebraeos excommunicationis speciebus tertiam adjiciunt שמתה, quam graviorem τῷ חרם fuisse ipsaque morte peccatorem punivisse affirmant. Cui tamen opinioni sese opposuit Jo. Seldenus *de Synedr.* 1. 7. qui, dum rem totam studio singulari sibi excutiendam sumsit, נזיר et שמתה diversos a se gradus fuisse negat. — §. 12. Haec de excommunicatione apud Hebraeos doctores eorum tradunt. Qui igitur suam quoque ab iis accepisse docent christianam ecclesiam, ii in anathemate apostolorum utrumque excommunicationis genus, Niddui et Cherem Judaeorum, agnoscunt. Eodem etiam modo Syrus τὸ *ἀνάθεμα*, quod Paulus minatur, per *Cherem* exponit, latinis interpretibus tum veteribus tum recentioribus graecam vocem quoties occurrit, retinentibus, quae, si ad ea, quae de *Niddui* et *Cherem* modo disserui, jam referatur, et maledictionem s. vindictae divinae imprecationem et separationem, nunc in minori, nunc in majori excommunicationis gradu significabit, eodem plane sensu, quo eam accepit Hesychius, qui per *ἐπάρατον* et *ἀκοινώνητον* et *maledictum* et *communione privatum* eam reddidit. Et Hugo Grotius ad hunc locum, qui habetur in illa ad *Galatas*: *Ἀνάθεμα ἔστω*, יהי חרם *sit Cherem*, *i. e. cum eo nihil nobis sit commercii, non magis, quam cum iis, quos synagoga aut ecclesia penitus abscidit.* Idem dicendum de Anathemate, cui adjectum *μαρὰν ἀθὰ*, quamvis variae sint et diversae veterum et recentiorum de eo sententiae. Nec alio sensu in Jure Canonico eadem vox, nisi pro excommunicatione, saltem majore, quam vocant, usurpatur. Clare hoc docet Jo. Paul. Lancellotus, quando *excommunicationum duae sunt species*, scribit, *minor scilicet et major. Haec alio nomine anathema appellatur, in Institutionibus Juris Canonici Libr. IV. Tit. XIII.* §. 1. *p.* 1013. — §. 13. Multum adhuc roboris eorum sententiae accedit, quando cogitamus, quae eorum, quibus excommunicandi potestas in primitiva ecclesia competebat, fuerit conditio? Erant apostoli et reliqui ex discipulis, quos per universum terrarum orbem missos suae doctrinae *συνερ-*

γονὺς esse volebat, cum ad patrem discessum pararet, Christus, Judaei, quidam eorum, nisi omnes Hebraei ex Hebraeis, moribus avitis patriisque ritibus assueti et inuntriti. Accedit, quod, qui imperatorum, imprimis Tiberii Caesaris Romani, cujus ea de re edictum nobis reliquit Fl. Josephus (Antiq. 19, 5.), autoritate indultus fuerat Judaeis morum suorum usus, quae iis restituta patria jura, ea quoque ad Christianos, etiam ad eos, qui ex gentibus ad christianae religionis veritatem conversi fuerant, illa aetate spectaverint, in quo argumento late prae reliquis versatus est Seldenus *de Synedriis* 1, 8. Quare cum inter patria jura non ultimum esset illud de excommunicatione, quae ad tuendam in gente judaica disciplinam usum praestabat insignem, nulla etiam apparere videtur ratio, quare negemus, quod apostoli ceterique ecclesiarum praepositi, qui, quamvis Christiani, moribus tamen patriis imbuti erant, in exercendo eodem jure ad ritum Judaeorum accesserint. — §. 14. Magna veritatis specie haec sese commendant. Interea cum Christus ipse discipulos suos jussit, ut homines improbos, immorigeros omnesque ecclesiae monitiones spernentes a sua communione removeant et familiari cum iis commercio abstineant; praeterea cum res ipsa postulet et prudentiae leges suadeant, a societate quadam excludi, qui illius legibus sese subjicere nolunt omnique vitae suae genere ac instituto illi nocent: quid, quaeso, necesse est, excommunicationis apud Christianos originem a Judaeis repetere? Seorsim autem quod attinet anathema, in quo excommunicationis apud Hebraeos usitatae vestigia expressa haberi dicunt, jam pridem alii monuerunt, anathema ab excommunicatione sedulo esse distinguendum, cum haec, ut ajunt, medicinalis sit, illud mortale et detestatio rectius ac imprecatio, quam censura, vocetur. — §. 15. Eodem etiam modo quando Paulus I. Cor. 5, 5. hominem, qui incestu sese polluerat, Satanae tradidit ad exitium corporis, ut anima servaretur, usus est potestate sibi ceterisque apostolis extra ordinem a Christo concessa, quae excommunicandi actum non includit. Hanc, (excommunicationem) reliquit ecclesiae; illam autem (traditionem) sibi soli attribuit. Fr. quidem Spanhemius (*Sec. I. Hist. Ecclesiast. Operum Tom. I. p.* 556.) et Jo. Saldenus (*de virga apostolica p.* 465.) hunc etiam morem Judaeis suam originem debere contenderunt, quorum tamen sententiam suam non faciunt alii. Recte Lud. Capellus *ad Joann.* 9, 22. de *Niddui et Cherem* verba faciens: *Traditio*, inquit, *Satanae longe aliud fuit et veteribus Judaeis omnino ignota*, licet autem in eo erraverit, quod existimaverit, in excommunicatione judaica nullam occurere formulam, quae cum illa, qua usus est apostolus quodammodo conveniat. Imo licet etiam haec παράδοσις, quando per eam maledictionem et vindictae divinae per Satanae ministerium imprecationem intelligunt cum separatione conjunctam, magnam cum illa, quam *Cherem* vocant Hebraei, affinitatem habuerit, ex qualicunque tamen ista convenientia nondum probabitur, Paulum hic potius secundum ritum judaicum agere, quam potestate extra ordinem sibi concessa uti voluisse; maxime, si cogitemus, quod in nomine Domini nostri Jesu Christi juxta omnipotentem ejus virtutem hoc extremi horroris fulmine in incestuosum animadverterit. — §. 16. Quicquid vero

hujus sit, certum utique est et ex iis, quae adducta fuerunt, luculenter apparet, quod aevo apostolorum usus *clavis ligantis* in primis Christianorum societatibus obtinuerit. Christum suos Apostolos eorumque successores potestate remittendi et retinendi peccata instruxisse, clare docent illius verba Joann. 20, 22—23. Nec alio sensu accipienda sunt illa apud Matth. 16, 19; 18, 18. Hinc cum in ecclesia apostolica servatoris legati, episcopi ac presbyteri homines improbos et sceleratos ea societate arcerent, nihil utique aliud agebant, quam ut severiori hac disciplina clavis ligantis specimina ederent. Nonnulli quidem eam instituunt verborum Christi interpretationem, quae a propria et naturali illorum significatione est aliena. Verum cum in se sint clara, perspicua nullaque obscuritate laborent adeo, ut quilibet facile intelligere possit, quid sit remittere, quid retinere peccata? nulla quoque suadet necessitas, sur receptam theologorum nostrorum, qui haec Christi effata de potestate peccata vel remittendi vel retinendi, omnibus et singulis coetum Christianorum doctoribus concessa, accipiunt, relinquamus sententiam. — §. 17. Quos ergo peccatorum propter enormia scelera, quibus obstricti erant, post diuturnas monitiones ecclesia sueque coetu ejecerant Christiani, eos a suis congressibus, juris communione et sacramentorum usu arcebant et ab omni cum reliquis fidelibus, donec in gratiam cum iis redirent, familiari commercio. Hinc hortatio Pauli, cum illis *μὴ συναμίγνυσθαι, μὴ συνεσθίειν*, I. Cor. 5, 11; II. Thess. 3, 14 et II. Joh. 10. *μὴ λαβεῖν αὐτοὺς εἰς οἰκίαν καὶ χαίρειν αὐτοῖς μὴ λέγειν*, non aliter ac Judaeis cum iis, qui erant in *Niddui*, s. excommunicatis etiam minore apud eos sententia, cibum communem sumere mos non erat. Factum hoc, ut peccatores ipsi scelerum atrocitate perterriti de sua emendatione et cum ecclesia reconciliatione serio cogitarent ecclesiaeque post reconciliati in eodem peccatorum coeno et lute volutari aversarentur. Tum quoque ut horum exemplo et disciplinae severitate aliorum, qui facile flecti poterant, audacia cohiberetur et peccandi licentia. Alexandrum et Hymenaeum Satanae se tradidisse ait Apostolus, *ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν* et incestuosum *εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός*, ut ires divinae *sensu carnales affectus in illo extinguerentur.* — §. 18. Quemadmodum autem omnis ecclesiae disciplina eo spectabat, ut peccator, quantum fieri posset, in viam revocaretur, ita prudenter et circumspecte cum eo agendum erat doctoribus, ne scopo, quem hac acriori censura sibi praefixum habebant, excideret. Hinc neminem excommunicare licebat, nisi ille, qui crimine contaminatus erat, antea fraterne correptus officii sui de mente emendanda iterum atque iterum, sed sine feliciori successu, admonitus potius vitiis ita infectus esset, ut ob mentis perversitatem de ea emendationis, verae ad Deum conversionis et gratiae per fidem in Christum impetrandae nulla superesset spes. Neque prius hanc poenam ipsi irrogare licebat, quam ecclesiarum doctores et praepositi de ea judicaverant, necessitatem illius agnoverant et de ea suscipienda decreverant. Requisita etiam fuere plebis suffragia, quia res agebatur non levioris, sed magni momenti et nemo sine consensione totius ecclesiae ejus communione et juribus, immunitatibus, quae omnibus aeque com-

munus erant, temere privari poterat, quod erat opus difficile et sua molimine gravissimum. — §. 19. Quando elapsum erat poenitentiae tempus, reditus ad communionem ecclesiae patebat. Ut enim peccata retinendi, ita et eadem remittendi Christus suae ecclesiae copiam fecerat. Hinc quos a fidelium coetu primum remotos, agnita post criminum gravitate, eorundem serio poenitebat, cum iis humanae actum, veniam iis indulgente ecclesia, et post repetitum de annuntianda peccatorum remissione mandatum, qua prius indignos sese reddiderant, orationis et mysteriorum communioni eosdem restituente. De hac potestate sibi concessa gloriatur Paulus, et quem nuper Satanae tradiderat incestuosum, poenitentia jam ductum absolvi cupit, et κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην hortatur Corinthios II, 2, 8. Si crimina fuerant publica, publice etiam et coram concione poenitentem recipiebant, laetitia exultante fratremque redeuntem benevole excipiente tota ecclesia. — §. 20. Fuit haec circa lapsos et poenitentes disciplina sec. a Christi nativitate primi, quam apostoli servarunt, et, qui ab eorum doctrina pependisse dicendi sunt Patres Apostolici. Quae sequiori aetate huic accesserant, ea ignorarunt. Disciplina omnis hoc tempore usitata rituum et ceremoniarum simplicitati apta et conveniens erat. Hinc nihil auditum de peccatorum confessione s. publica coram facie totius ecclesiae, s. privata coram ejus ministro, eo modo, quo hodie apud nos usitata, nihil de illa auriculari cum enumeratione omnium et singulorum peccatorum conjuncta, primis Christianis ante usum sacrarum epularum praescripta et ab iis edita, quorum quidem omnia iis ignota fuisse, genuina antiquitatis ecclesiasticae monumenta testantur. — §. 21. Certiori fundamento nituntur, quae ex Actis Apostolorum eorumque epistolis, quas in canonem recepit ecclesia, hactenus adduxi, quaeque mihi non praetermittenda fuere silentio, ut, quam studiosa fuerit sanctioris hujus custodiendae disciplinae posteriori aetate ecclesia, praeterea, quam multa ex doctorum decreto illi accesserint, cum in rigorem circa poenitentes excresceret, debito rerum ordine servato, apparent. Non adeo dare, si dicendum quod res est, illa apostolorum aetate cum poenitentibus actum. Nondum enim ad certos gradus, ad certas annorum leges canonum autoritate adstricta fuisse legitur illorum aevo disciplina ecclesiastica, neque ad difficiles illas et laboriosas poenitentiae publicae stationes poenitentium satisfactio, quae posterioribus seculis in ecclesiam introductas fuisse constat. Certe incestuoso, ne nimio dolore conficeretur, post poenitentiam nondum annuam gratiam velt fieri Paulus; anno enim ab epistola, quam priorem ad Corinthios scripserat, nondum exacto datam ad eos fuisse illam posteriorem, doctissimi quique tradunt, qui in excutienda Pauli ejusque epistolarum historia et chronotaxi operam suam collocarunt. Posteriori autem aetate tam facilis non patebat ad ecclesiam reditus. Etenim ut labi et in peccando protervum esse, semper quidem periculosum; ita, aucto Christianorum numero, crimina expiare et ecclesiae restitui, opus erat difficile utique et valde laboriosum. Exorta hinc eorum, quos criminibus, polluisse fuisse poenitebat, ἐξομολόγησις et poenitentia publica, Patribus ecclesiae, cujus non impunita manere peccata intererat, conciliorum

auteritate in peccatores poenam canonicam statuentibus, variam quidem et pro locorum, pro criminum ratione diversa vel augendam vel minuendam. — §. 22. Qua vero ratione, quo modo lucnda esset poenitentibus criminum culpa, generali aliqua sanctione, qua ecclesiae omnes omni aetate tenerentur, cautum fuisse non legitur. Qui sec. II. monumenta historiarum inspexerit, excommunicationem non solum usitatam, verum etiam multo rigidiorem et disciplina superioris sec. severiorem in poenitentes fuisse, animadvertet Patrum censuram. Causas exponit Mart. Chemnitius *in Examine Conc. Trid.* II. 2. §. 5. De excommunicatione luculentus est testis Tertullianus, qui, postquam observaverat, quod Christiani convenire soleant ad sacra peragenda, addit in *Apologetico* (c. 39): *ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur.* Testes etiam sunt Irenaeus et Clemens Alexandrinus, Justinus Mart. et Athenagoras, qui, cum in apologiis, quas ad mitigandos tyrannorum animos composuerunt, adversus criminationes gentilium suae religionis sanctitatem assertum iverunt, disciplinam simul seculo suo solennem, non prorsus intactam reliquerunt. Imprimis Tertullianus, quem in recipiendis poenitentibus modum suo aevo servari voluerit ecclesia, edito singulari *de Poenitentia* libro, abunde exposuit. Idem quoque Tertullianus minus rigidus, orthodoxus cum esset, rigidior factus, cum a doctrina catholica ad Montani errores descivisset, apparet ex collato libro *de Pudicitia* cum illo de *de Poenitentia*, in quorum priori vel admitti ad poenitentiam noluit moechos et fornicatores, disciplinae austerioris jam tenacissimus. — §. 23. Dura lex erat, cui poenitentes hoc seculo doctorum decreto subjectos fuisse legimus. Tamen longe durior, quam decurrente ad finem III. et insequenti IV. illi impositam sibi esse videbant, postquam laboriosae poenitentiae publicae stationes introductae fuerant, et quae poenitentibus decurrendae, antequam juris antiqui societati restituerentur. Quam dificile tum erat, canonibus satisfacere et in gratiam redire cum ecclesia! Quam molestum, communionis fidelium, post multas nonnisi multorum saepe annorum corporis exercitationes rursus participem fieri. Non unum quidem eundemque in ecclesiis omnibus peccata luendi modum poenitentibus praescribi voluerunt doctores, duriorem in ecclesiis Asiaticis, Africanis et post in Hispanicis, aliquanto humaniorem in illa Romana, ubique perdifficilem et valde laboriosum; quod praeter Origenem, Cyprianum et Eusebium tot conciliorum, quae magno his seculis numero in utroque orbe coacta fuerunt, canones et decreta abunde testantur, de quibus pluribus constabit ex sequentibus.

I. 2. De poenitentiae in vet. eccl. objecto. §. 1. Qui austeriori huic disciplinae addicebantur, *Lapsi* erant, cognitum satis saepiusque auditum in ecclesia nomen, de quo peculiari *sermone* Cyprianus egit. Communi autem doctorum sententia Lapsorum nomine veniebant, qui gravioribus post baptismum, idololatriae, homicidii et moechiae criminibus sese obstrinxerant. Erant haec tria delicta, fami-

liari Patribus more loquendi, *capitalia et canonica*, quae severa ubique poena canonum rigore ecclesia, saeculi leges sanguine vindicabant. Hinc *immundabilia, irreconciliabilia et irremissibilia* dicta Tertulliano, quorum remittendorum Deum in his terris ecclesiae fecisse copiam, cum a doctrina catholica in Montani errores lapsus esset, negavit. Nullum tamen illorum gravius, in quod majorem etiam disciplinae suae rigorem statuerent, crimen ecclesiae illa aetate visum fuit idololatria. Graviter sane in illam invecti antiquioris aevi doctores. *Principale crimen generis humani, summus saeculi reatus, tota causa judicii idololatria*, ait Tertullianus (*de idololatria p.* 85). *Summum delictum* idololatriam saepe dicit Cyprianus, aliquando *gravissimum et extremum, ingens et immensum vid. epistol.* 15—17, et 36. Et Gregorius Naz. (*oration. XXXVIII. Tom. I. Oper. pag. m.* 620.) ἔσχατον τῶν κακῶν καὶ πρῶτον, sicut et *scelus inspiable* idololatriam vocat Lactantius *Instit. div.* I, 18. Unde etiam tam acriter et poenis fere inusitatis in eos, qui hujus rei erant, ubique invectos fuisse legimus ecclesiarum antistites, in synodis imprimis et conciliis, quae locis diversis, tempore quoque diverso celebrata fuerunt. Poenas episcoporum canonicas civilibus quoque auxerunt, ex quo rerum potiti sunt imperatores christiani, qui in summi hujus sceleris reatum severe animadverti publica lege sanxerunt. De Constantino testis est Constantius, Augustus ejus filius, cujus sententia vel capitis condemnati fuerunt, qui sacra diis facerent, bonis insuper multati omnibus, quae juribus fisci addicebantur. Hujus exemplum secuti ejus in regno successores, Theodosius, Arcadius, Honorius imperatores, cum Theodosio juniore, quorum omnes varias adhuc, duras aeque et acerbas ab iis, qui idolorum templa ingrederentur iisque per sacrificia cultum exhiberent, poenas repetiisse, tot eorum leges testantur, quae ordine suo habentur in Codice Theodosiano. — §. 2. Non una tamen eademque illorum, qui idololatriae crimine ex Christianis sese polluerant, erat conditio. Fuerunt alii, qui nulla necessitate coacti, forte ad delicias, quibus pelliciebant gentiles, negata christianae religionis doctrina, ad idolorum cultum accedebant; alii sacris Christianorum initiati, paganorum quidem absurditates et superstitionem detestabantur, at furentibus persecutionibus, cum aut sacrificandum esset aut moriendum, cruciatibus ferendis impares, immanitati eorum cedebant. Hinc idololatria *spontanea* alia, alia *coacta*. Sed et *directa* alia, alia *indirecta*; illius postulabantur, qui more gentilium ad aras deorum accedentes, iis aut immolarent aut thus adolerent, cultum hoc modo deferentes idolis, quem vero nonnisi Deo deberi prius edocti fuerant. Idololatria et externa haec agnitae veritatis divinae abnegatio conjuncta interdum erat, imprimis si spontanea esset, nullis extorta cruciatibus, cum apostasia interna, blasphemia, persecutione etiam fratrum, in quos eadem, qua gentiles ipsi, crudelitate saepe grassari solebant apostatae; sola interdum externa, cum ethnicos simularent Christiani, et, quae idolis sacra externa facerent, ea intus execrarentur. Quod si participes modo redderentur idololatriae, idololatria haec erat indirecta. Huc refer, si convivarentur cum paganis die idolis solenni et festo, si conferrent aliquid e frugibus terrae ad libamina aut

ad actum aliquem idololatrine proximum. Adde, si vescerentur idolothytis, sanguine et suffocato, cibis idolo sacratis, et vel idue, quod comites erant et signa cultus idololatrici et societatis cum daemoniis initae, apostolorum auctoritate in concilio illo Hierosolymitano, singulari decreto prohibitis. Atque hos idololatrine apud antiquos obtinuisse gradus et ab eorum imprimis diversitate disciplinae rigorem, cum de poenitentia ageretur, pependisse, facile animadvertet, qui sacr. illorum ecclesiae monumenta, conciliorum decreta, et, quae potissimum circa lapsos ecclesiae disciplinam tradant, Cypriani epistolas vel leviter inspexerit. — §. 3. Inprimis autem varia in ecclesia innotuerant illa aetate eorum nomina, quos fidem christianam, qua prius imbuti erant, inficiatos fuisse Patres existimabant. Dicti fuerunt alii *Sacrificati* οἱ εἰδώλοις ἐπιτυθυκότες, qui accedentes ad aras deorum foedis sacrificiis manus suas contaminaverant, quorum tamen et causam et conditionem frequenter diversam fuisse, ex iis, quae dixi, et ex Cypriano apparet. Alii *Thuricati* qui thura accendendo in focis deorum fumigaverant. Alii *Libellatici*, quorum saepissime quidem mentionem injicit Cyprianus, sed quae praecipue criminis, quo tenebantur, ratio fuerit, dubium relinquit lectorem atque ancipitem. — §. 4. Scilicet fuerunt *Libellaticorum* alii, qui, simul ac audiebant promulgari edicta, quorum auctoritate aut sacrificandum erat aut moriendum, qui Christo nomen dederant, ne in vitae discrimen vocarentur vel bonorum jacturam facerent, exhibito praesidi provinciarum libello Christianos se esse negabant. Alii non sponte quidem libellos offerebant, sed oblatis iis et a magistratibus missis nomina sua subscribebant, ratum hoc modo acceptumque habentes, quicquid in iis continueretur. Hoc autem plerumque erat: illum ad aras Deorum accessisse et Jovi et Marti aliorumque numinum simulacris thura dedisse hostiasque immolasse; quod etsi non fecerat, qui libellum subscripserat, fecerat tamen, ut fecisse se publice legeretur, ut ait Rigaltius, *Not. in epistol. 30.* quae est *Clari Romani ad Cyprianum*. Et ipse Clerus *in Epistola: Qui vult videri propositis adversus Evangelium sui edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit.* Non paucos eorum fuisse hoc potissimum crimine in fidem christianam injuriosos, planum fit vel solo eoque illustri, quod nonnulli hac referunt, Plinii testimonio, qui in nota ad Trajanum ep.: *Propositus est*, inquit, *libellus sine autore, multorum nomina continens, qui negarent esse Christianos aut fuisse; cum praeeunte me appellarent deos et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure et vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo.* Execrabile *Libellaticorum* genus, quod ad vitandos instantis supplicii cruciatus ore maledicebat fidei, quam saepius sanctiorem habebat animo; quod sacra faciebat exterum, quae intus abominabatur; quamvis non paucos eorum post apostasiam illam exteriorem corde etiam fidei christianae renuntiaturos fuisse, dubitandi locus non sit. Et utriusque hujus *Libellaticorum* generis in laudata modo ad Cyprianum epistola mentionem haud obscuram injecit clerus Romanus. — §. 5. Fuerunt deinde alii, qui cum judicio animum poenia tentari posse animadverterent, accedentes ad magistratum, ne quod

imperatorum legibus cautum fuerat, sacrificare, aut, si diis jam immolaverant, iterare sacrificia cogerentur, munus dabant, redemturi hoc pretio vitae et idololatriae exterioris infamiam. Pro munere autem a magistratu exposcebant libellos, vel ipsi vel eorum nomine alii, ut hoc securitatis praesidio muniti a satellitum audacia et furore defenderentur. Novus hinc *Libellaticorum* ordo, qui aere redimebat idololatriam, cujus tamen rursus non una eademque erat conditio. — §. 6. Erant nimirum alii, qui, oblatis sibi libellis Christianos se esse gentiumque idolis sacrificare fas sibi non esse, palam profitebantur; tamen ne facere cogerentur, quod non licebat, securitatis libellos pecunia redimebant. De hoc Libellaticorum genere Cyprianus distincte in epistola 55 ad Antonianum, cum: *Quando is*, inquit, *cui libellus acceptus est, dicat: Ego prius legeram et episcopo tranctante cognoveram, non sacrificandum idolis nec simulacra serorum Dei adorare debere, et idcirco ne hoc facerem, quod non licebat, ad magistratum vel veni vel alio sunte mandavi: Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc praemium, ne, quod non licet, faciam.* Alii fidem christianam non quidem negabant, sed nec quoque profitebantur, quod erant; ne ne profiteri cogerentur, pro securitatis libello pretium paciscebantur avaris praesidibus. Quod erat, *se ipsos infideles esse, illicita nefariorum libellorum professione prodere*, ut clerus Romanus in illa *ad Cyprianum Epistola* 30. Tandem erant, qui coram judice Christianos se esse negabant, ad aras deorum se accessisse contestati; sed dato munere securitatis libellos impetrabant, quorum auctoritate propter nominis christiani professionem in eos inquirendum ulterius non erat, ut qui principum edictis satisfecissent et de cultu deorum legibus. Tales Basilidem illum et Martialem, Hispaniae olim episcopos fuisse refert Natalis Alexander (hist. eccl. p. 636.), h. e. utrumque libello contaminatam eoque nomine haud injuste sede sua depulsum fuisse, data ad clerum in Hispania ep. 66. scribit Cyprianus. Praeter hoc Libellaticorum genus doctorum nonnulli unum adhuc eorum fuisse existimant, qui male sibi metuentes ethnicum supponerent, qui Christianum se simulans fidem ejuraret, postea libellum obtineret illius nomine, quo si forte in quaestionem vocaretur Christianus, adversus ethnicorum furorem se tueretur. Huic sententiae auctoritatem conciliare conantur iis, quae de Libellaticis Cyprianus tradit *de Lapsis*. — §. 7. Sic igitur diversa quidem eorum, qui *Libellaticorum* apud antiquos nomine veniebant, erat conditio, omnes tamen, quod rationem aut plane nullam aut non omnem religionis habuissent, quam semel professi erant, turpitudinis nota inustos fuisse, quotquot mentionem illorum injecerunt ecclesiae scriptores, fatentur omnes. Testis prae reliquis est Cyprianus, imprimis in epistolis, et quas ipse scripsit et quas a diversis scriptas accepit. Graviter sane invehuntur in Libellaticos illius aevi doctores, neque iis, qui vel cogitasse se de libello paulo post facti fuerant, *Sermone de Lapsis* Cyprianus pepercit, crimine laborantibus omnibus, quod, quam semel susceptam sanctam veramque agnoverant christianae religionis fidem, imminente periculo, προόχαιρος facti, non constanter eam fuissent professi. Quare etiam, cum facti

eosdem poeniteret, poenitentiae publicae legibus Patrum decreto illorum omnes, quamvis non pari gradu, subjecti, majorem tamen in Sacrificatos et Thurificatos, quam in Libellaticos disciplinae suae rigorem statuente ecclesia. — §. 8. Eundem aeque experiebantur, qui *moechiae et homicidii* criminibus sese contaminaverant. Erant enim haec tria delicta summa et canonica, quorum reos disciplinae severiori et multorum saepe annorum poenitentiae publicae addicebat ecclesia. Septem maculas capitalium delictorum memorat Tertullianus, *idololatriam*, *blasphemiam*, *homicidium*, *adulterium*, *stuprum*, *falsum testimonium*, *fraudem*. Adversus Marcion. 4, 9 et de pudicitia c. 4 testatur, eos amisisse civitatem suam christianam, qui stupris libidinibusque se pollucrint. *Reliquas autem*, ait, *libidinum furias impias et in corpora et in sexus ultra jura naturae non modo limine, verum omni ecclesiae tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Imo existimat, *fideles gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse, hinc arcendos ab omni communicatione fraternitatis* (ad Uxor. 2, 3). Eidem censurae subjecti fuere, qui a doctrina catholica ad haereticos defecerant, rigidi etiam fuere patres seculo IV. in alia delinquentium genera, quo referebant foeminam procurantem sibi abortum, aut ne conciperet elaborantem; divertentes ab uxoribus aut temere eas repudiantes; usuras accipientes aut foenus exercentes, sacrilegos, divinatores, hariolos aliosque, crimina sane poenitentia nonnisi publica luenda rigore canonum Illiberitani, Ancyrani, Laodiceni, Neocaesariensis conciliorum, ap. Jo. Harduinum Tom. I. Concilior. Nec ab illa Patrum et ecclesiae censura liberi erant Christiani, si status sui, quod Christiani essent, obliti, seculi hujus pompa et vanitatibus, quae sensus permulcebant animosque oblectabant, traherentur, nempe si spectaculis gentilium interessent, ludis scenicis et theatralibus, studiose a se fugiendis. Dure admodum et severe, qui iis delectarentur, peculiari *de spectaculis* libro in eos animadvertit Tertullianus. Scilicet haec erant illa diaboli opera, noxiae seculi cupiditates et pompa Satanica, quibus renunciandum erat omnibus, qui baptismatis lavacro tingebantur, cum ad christianae religionis sanctitatem accederent. Hinc Salvianus: *in spectaculis quaedam apostasia fidei est* (*de gubernatione Dei*, 6, p. 207, ed. Ritterh.). Quare cum iis interesse Christiani prohiberentur, Patrum quoque et ecclesiae dubium non est incursuros fuisse indignationem, qui iisdem immixti oculos et aures polluerant. — §. 9. Jam igitur, si quem haberet ecclesia, quem graviora obstrictum tenebant crimina, eum cum communione excludebat omnique indignum existimabat cum ceteris fidelibus familiari commercio. Non tamen assumta statim judicis austerioris severitate cum facinoroso et impoenitente illa agebat, sed primum eum monebat, tum reprehendebat coram concione, objurgabat cum vehementia per presbyteros et praepositos, an forte in viam reduci posset, qui a recto tramite tam turpiter aberraverat? Verum si contumax peccator esset vitiisque ita infectus, ut ob mentis perversitatem de eo spes emendationis non superesset, tum demum usa, qua pollebat, potestate, cognito probe satisque perspecto crimine, hominem tam obstinatum, tanquam saucium membrum, a corpore amputabat ecclesia, quam

studiosa esset eliminandae e coetu suorum iniquitatis publice argumento testatura. Factum hoc, ne scandalo esset Christianorum vita gentilibus, aliis vero similia peccaturis ut exemplum statueretur; deinde, ne permanentibus in societate fidelium facinorosis, pravis eorum moribus et consuetudine, qui adhuc sani essent, inficerentur, sicuti pars corporis putrida morbisque emortua, nisi abscissa fuerit, reliquas corporis partes putredinis suae contagione corrumpit. — §. 10. Animadversum autem hoc extremae necessitatis fulmine in hominem sceleratum praesidente episcopo et probatis quibusque senioribus, non tamen excluso populo, quod praeter Tertullianum in *Apologetico* (39) abunde confirmat Cyprianus, quando *a primordio sui episcopatus nihil sine consensu plebis sua privatim sententia gessisse*, scribit *epistola* 14. p. 33. Idem etiam, quando debet, quid de Philumeno et Fortunato hypodiaconis, et Favorino acolutho in ecclesiae communionem restituendis sentiret? ad presbyteros et diaconos scripsit, rem tractandam esse non solum *cum collegis, sed et cum plebe ipsa universa* (ep. 28.). Non tamen audita vox *excommunicationis* apud Justinum, Tertullianum, Irenaeum, sed *ligari modo, de ecclesia auferri, extra ecclesiam projici, a communione arceri, prohiberi* dicebantur, quos *excommunicatos* vocare solenne fuit insequentis aevi scriptoribus sicut et *excommunicationis* variae rursus non multo post exortae divisiones, quas persequuntur doctores juris canonici. Ter autem prius monendus erat ex ecclesiae decreto, qui ejiciendus erat, quam excommunicationis sententia feriebatur; quae quidem trina monitio primum recepta ad normam, quam Christus praescripserat, posteriori aetate, seculo imprimis IV. et insequentibus, cum ad formam status politici ecclesiae regimen et sua judicia accommodarent episcopi, in tres degeneravit judiciales, quas vocant, citationes. Hunc morem ecclesiae antiquissimum esse, constat ex canonibus, qui sub apostolorum nomine circumferuntur, can. 36. — §. 11. Quo autem ritu ejectus fuerit, quem a consortio suo removebat ecclesia, non perinde constat. Nihil de ceremoniis et formulis, quibus antiquioris aevi doctores in excommunicatione instituenda usi fuissent, in monumentis eorum legimus, qui de illa quicquam literis mandarunt. Quare credibile est, eam simplici modo ab episcopo vel presbytero fuisse peractam, qui nomine totius ecclesiae et coram integro coetu significaret, eum, in quem lata erat proscriptionis ecclesiasticae sententia, communione fidelium et christianae societatis juribus debere esse privatum. Andronicum quendam, Pentapolis praefectum, cum propter enormia scelera sua communione excluderet Ptolemaidis ecclesia, severe quidem Synesius, Pentapolitanus, ibidem episcopus, in illum animadvertit, et ne templum ei aperiretur, ut omnis sacer coetus ei clauderetur, ne sub eodem tecto cum ipso quis habitaret, omnes ubique terrarum hortatus est sorores ecclesias; aliis ritibus usus fuisse non legitur. Posteriori vero aetate, cum indies cresceret rituum et ceremoniarum in christiana ecclesia numerus, introductae simul fuerunt solennes excommunicationis formulae, quae adjunctas habebant diras imprecationes, maledictiones et execrationes horrendas, cum externis solennitatibus, quae, dum sensus feriebant, ad incutiendum ani-

mis terrorem aptissimae erant. — §. 12. Jam si externum illorum conditionem spectaveris, miserabilis haec erat et utique deplorandа. Carebant enim omni sacrorum, quae Christiano propria erant, communione, eucharistiae, agaparum, precationum, conventuum, osculi pacis, fraternitatis, oblationum. Qui porro unius ecclesiae membrum esse desierat, alterius esse non poterat, sed segregatus intelligebatur ab ecclesiis omnibus. Actum ea de re jam tum in conciliis *Nicaeno*, *canon.* 5. et *Antiocheno*, *canon.* 2. Et huc faciebat illa ecclesiarum per epistolas inter se communicatio, quae Graecis dictae *χαρακτικὰ γράμματα*, Latinis *Epistolae communicatoriae, formatae*, de quibus habes Franc. Ferrarium in libro peculiari *de antiquo ecclesiasticarum epistolarum genere*. De nomine, quare *formatae* dictae fuerint, agit Jo. Mabillon in erudito *de Re Diplomatica* Opere 2, 15. p. 132; de usu illarum Erdm. Richerus *in histor. concilior. general.* Tom. I. cap. 3. §. 14. p. m. 68. Neque satis erat, ecclesiastica illos communione privatos fuisse, postea etiam denegata iis fuit illa civilis. Hinc nemo eos salutatione, fratris appellatione, aspectu, alloquio, convivio dignos judicabat, sed eos aspernabantur omnes, omnes abhorrebant, et velut *καθάρματα* defugiebant; adeo vile et abjectum nomen eorum erat. Et sane periculosum valde videbatur, societatem cum iis inire, cum eadem sententia teneretur, qui cum illis communicaret. Antiquissimus est concilii Antiocheni can. 2. et Toletani 15, quorum uterque rem probat. At vero quod vel orare cum iis sub eodem fulmine aliquando prohibitum fuerat, hoc sane erat, quod omnem fere Christianorum disciplinae rigorem excedere videbatur. Et tamen sancitum canone concilii Carthaginensis IV. septuagesimo tertio: *Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicetur.* Hinc ad evitandum discrimen et periculum in ecclesia non solum publice indicata eorum, qui ejecti fuerant, nomina, sed in majorem etiam ignominiam eadem expuncta et erasa ex ecclesiae diptychis, quibus inscripta fuerant. — §. 13. Haec sua fulmina in obstinatos peccatores vibrandi potestati ecclesiasticae interdum quoque subveniebant et poenas canonicas civilibus augebant principes et imperatores. Hoc experti prae reliquis fuerunt apostatae, in quorum crimen post illam ecclesiae disciplinam severe animadverti, publicis cautum illorum auteritate legibus; qui civiles ab iis poenas repetiit, imperatorum, ex quo ad Christianos rerum summa pervenit, primus fuit Theodosius M. Hic enim et testandi et hereditatem obeundi jure illos quoque carere voluit, quam poenam non modo confirmavit, sed et novam, omnium nempe honorum dignitatumque qua ingenitarum qua collatarum privationem eidem addidit Valentinianus Junior. Probe autem notandum, quod vel his legibus aliquando servatum ab imperatoribus discrimen inter apostatas, qui fidles jam facti veri Dei cultum exuerant, et inter eos, qui adhuc catechumeni, ad pristinos errores et vomitum revertebantur. — §. 14. Quam miser itaque et calamitosus status eorum fuerit, qui ecclesiam momentum audire noluerant, ex iis, quae dixi, facile intelligitur. Accedebat ad hunc disciplinae rigorem, quod etiam illorum calamitatem mirifice augebat, peccatorum nonnullos ita ejectos fuisse, ut

omnis simul poenitentia indeque veniarum pacis et veniae spes iis praeclusa fuerit et expectatio. Qui adeo iratos habebant Patres, iis nunquam patebat ad ecclesiam reditus, nunquam restituebantur, qua semel indignos sese reddiderant, communioni ecclesiasticae, etiam si vere dolentis et poenitentis animi signa ederent, etiam si animam agerent. Hunc ecclesiae rigorem, si non alibi, certe in Africanis ecclesiis experti inprimis, qui gravioribus illis, idololatriae, moechiae et homicidii criminibus, quae canonica erant, sese obstrinxerant. Clare satis ea de re mentem suam Tertullianus, postquam dogmata et instituta Montani amplexus fuerat, exposuit, quando delicta ita distinguit, ut nonnullorum veniam expectandam esse neget: *Sunt autem et contraria istis, ut graviora et criminosa, quae veniam non capiant: homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia utique et moechia et fornicatio, et si quae alia violatio templi Dei. Horum ultra exoratur non erit Christus, haec non admittet omnino, qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admiserit* (*de pudicitia* 19, *p.* 572). Nec mitiores habebantur, qui post expiatum publica poenitentia sceleris prioris reatum in eodem peccatorum luto se volutaverant, quod praeter Tertullianum testimonio suo confirmant, quotquot sunt insequentis aevi doctores. Tertullianus cum adhuc esset catholicus, poenitentiam dividit in primam, quae ante baptismum, et secundam, quae post baptismum agatur, de quarum posteriori ait: *Piget secundae, imo jam ultimae spei subtexere mentionem*, et paucis interjectis: *Deus collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat. Sed jam semel, quia jam secunda, sed amplius nunquam, quia prorsus frustra* (*de poenitentia* 5. *p.* 125. et 9. *p.* 126.). Durum erat et a religionis lege fere alienum, non ignoscere peccatori, quem tamen criminum poeniteret. Verum ad cohibendam eorum, qui proclives habebant ad delinquendum animos, licentiam medio tam duro opus esse existimabant, relinquentes interim hominem tam miserum numinis divini misericordiae, a qua unice expectanda esset, quam ecclesia denegaret, venia et peccatorum remissio, quod non *desperationi indulgentiae, sed disciplinae vigori factum*, ut ait Augustinus.

§. 3. De exomologesi s. publica lapsorum poenitentia. — §. 1. Qui patrum censurae ita subjecti fuerant, ut ad ecclesiam redeundi locus aliquando pateret, ii non temere restituendi erant nec prius recipiendi, quam eorum affectus satis essent probati. Quare, ut de peccatorum conversione, quantum fieri posset, tuti magis et securi redderentur doctores, multorum saepe annorum publice poenitendi onus iis impositum grave omnino et valde durum, quo digni fierent, cum quibus post diuturnos labores in gratiam rediret ecclesia. Erat autem illorum, humili prece obtestari et orare ecclesiam, ut ad poenitentiam admitterentur; si criminum serio eos poeniteret, signis quoque externis, petitione modesta, jejunio, lacrymis et fletibus animi ob scelus commissum dolorem publice declarabant. Haec faciunt illa cleri Romani in epistola ad Cyprianum 30: *Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa; mittent legatos pro suis doloribus lacrymas, dolorem probantes communi crimine et pudo-*

rem. Et ipse Cyprianus, qua ratione praeparari debeant poenitentes futuri, ad finem docet *libri de Lapsis* (*Oper. p.* 137.) Sic igitur admissi ad poenitentiam, quae *dari et accipi* dicebatur, communi more loquendi, molesti laboris opus aggrediebantur, praevia manuum impositione in poenitentiam, de qua Cyprianus (ep. 15. p. 34.), quae prima erat, cum poenitendi tempus et modum, qui canonum auteritate praescriptus fuerat, pro gravitate delicti decerneret episcopus. — §. 2. Et primus quidem poenitentiae illius publicae actus erat ἐξομολόγησις, peccatorum confessio. Non uno eodemque sensu hanc vocem accipiunt, qui illa utuntur, scriptores. Sumitur interdum pro tota ecclesiae disciplina, qua lapsi agebant in statu humiliationis, cum poenitentiae argumentis externis, postratione, lacrymis, jejuniis, deprecatione et quae reliqua habebat poenitentia publica. Hoc sensu exomologesin describit Tertullianus, cum *prosternendi et humilificandi hominis disciplinam* illam esse ait (*de poenitat.* 9. p. 127). Verum dum primum poenitentiae actum illam constituunt, qua nempe in facie ecclesiae crimina confitebantur, qui criminum rei erant, seu ultro et sponte se deferentes, seu coacte, publica correptione et ejectione compulsi, strictiori sensu vocem accipiunt. Hanc peccatorum confessionem poenitentiae publicae partem valde necessariam facit Origenes, non aliter sentiente Cypriano, qui sine ea lapsorum neminem recipiendum aut absolvendum esse censet. — §. 3. Erat autem haec peccatorum confessio publica, in facie ecclesiae, coram universa concione eorum, quibus lapsus fratris scandalo fuerat. Publicam hanc confessionem aevi hujus scriptores intelligunt, quando illius mentionem injiciunt. Multus est sermo apud Tertullianum (*de poenitentia*) de exomologesi, non aliam autem, quam publicam poenitentiam et confessionem indicat, quod nexus verborum firmiter monstrat; multa Natalis Alexander contra Dallaeum pro antiquitate confessionis auricularis disputat et tamen fatetur, Tertulliano sermonem esse de confessione publica. Eodem etiam modo Irenaeus de poenitentia et confessione publica loquitur (*adv. Haer.* I, 9.) et ex ejus testimonio publicam poenitentiam et confessionem illa aetate usitatam fuisse probari posse, inter doctores pontificios ipse observat Franc. Feuardentius. Confessio privata ex necessitate quadam ante usum sacrae eucharistiae edenda, qualis etiam in nostris sanctioribus coetibus viget, hoc aevo in ecclesia moris non erat, plane ut illa auricularis cum enumeratione singulorum peccatorum conjuncta, quae pontificiorum est propria et a sedis Romanae episcopis post nonnullorum secc. decursum praescripta. De privatis ejusmodi confessionibus nihil habent antiquitatis ecclesiasticae monumenta, quae ex genuinis ad nostram aetatem peruenerunt. — §. 4. Hanc sententiam post Caesarem Baronium (*Annal. ad ann.* 56.) post Bellarminum et Maldonatum (quos adducit Albaspinaeus *in not. ad Tertullian. de poenitentia p.* 127.) jam diu acriter impugnavit Dionysius Petavius, qui publicam unquam peccatorum confessionem ecclesiae moribus receptam fuisse, negat in peculiari, *de poenitentiae in ecclesia veteri ratione*, diatriba (in Notis in Epiphanium Tom. II. oper. p. 245 ss.). Privatam vero et secretam eam fuisse, eodem loco contendit vir doctus, quam

etiam sententiam defendendam in se suscepit Henricus Valesius (in not. ad Socratis hist. eccl. 5, 19.). Verum quam operosus etiam sit labor eorum, quem probandae suae opinioni impendunt, nihil eodem lucrantur viri docti adversus antiqua doctorum testimonia, quae modo produxi. Res adhuc clarior est de illa in Oriente ecclesia. Testem habemus Socratem, qui hist. eccl. 5, 19. post Decianam persecutionem natasque in ecclesia Novatianorum turbas constitutum fuisse ait presbyterum poenitentiarium, hunc quidem in finem: ὅπως οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τοῦτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα. Causam addit Sozomenus hist. eccl. 7, 16. φορτικὸν ἐξ ἀρχῆς ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. Aut igitur publicam peccatorum confessionem ecclesiae moribus aliquando receptam fuisse, fatebuntur viri docti, aut propter illud, quod φορτικὸν ἐξ ἀρχῆς ἔδοξε, presbyterum illum poenitentiarium constitutum fuisse negabunt, quod diserte affirmat Sozomenus. — §. 5. Rem ulterius confirmat Origenes, cum publice accusanda, confitenda et exponenda esse ait peccata *homil. 2. in Psalm. XXXVII.* Quid ad haec Petavius? De arcanis occultisque criminibus Origeni sermonem esse docet vir doctus. Consentientes certe habebit eruditorum paucissimos. At ponamus, de occultis nonnisi accipienda esse illa Origenis. Ergo criminum occultorum publicam olim in ecclesia confessionem obtinuisse, inde colligitur. Verum exomologesi non perpetuo legitimam peccatorum declarationem ac singulorum expositionem, sed eam plerumque professionem intelligi ait, quae factis ipsis ac poenitentium officiis, publico nempe eorum luctu, humili sui ipsius abjectione, lamentatione, supplicatione aliisque officiis edatur, atque hoc ipsum fuisse contendit, peccata publice confiteri. Non nego, hoc interdum sensu, ut omnes complectatur poenitentiae publicae actus, ἐξομολόγησιν antiquis venire doctoribus. At vero dum verba Origenis adeo late patere docet Petavius, temere eundem illa invertere et ad sententiam, quam semel propriam sibi fecit, inique detorquere, omnes aequi rei aestimatores facile perspiciunt. Reliqua, quibus suae sententiae autoritatem conciliare conatur, consulto praetereo. Rem omnem obscurat confessionis privatae studio. Aequiores proinde Rigaltius et Morinus et Albaspinaeus, qui (in *Observv. de veter. ecclesiae ritibus* 2, 26.) hunc errorem notat et strenue impugnat. Idem fere repetit (in *not. ad* Tertullianum *de poenit.* 9.) ubi etiam de exomologesi: *Dum pluribus dicamus, quid sit exomologesis pluribusque probemus, satis tum erit dicere, per eam confessionem auricularem non intelligi.* — §. 6. Verum post immanem illam Decii in Christianos tyrannidem natosque quibus concussa fuit tota fere ecclesia Novatianorum motus, decurrente jam ultra medium sec. III., in *privatam* mutari coepit in Oriente, quae antea publica fuerat, peccatorum confessio. Quae dixi, abunde confirmat sua autoritate Socrates, qui (hist. eccl. 5, 19.) in ecclesiis singulis presbyterum poenitentiarium constitutum fuisse scribit, virum nempe ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα, quod addit Sozomenus (hist. eccl. 7, 16.) ad quem accedentes, qui post baptismum deliquerant, actus suos confiterentur quique pro

delicti gravitate, quid aut facere singulos aut fuere oporteret, secundum canonum rigorem poenae loco indiceret. Non diu tamen duravit recens hic introductus in Oriente secreto exponendi peccata ritus. Debetur enim seculo statim insequenti illustris illa mutatio, quando sublata ibi et interdicta fuit privata confessio, presbytero, qui muneri praefectus erat, penitus remoto et indulta libertate, ut pro suae quisque conscientiae ratione ad mysteriorum communionem accederet. Factum hoc in Constantinopolitana ecclesia tempore Nectarii, illius ecclesiae episcopi, suasu Eudaemonis, presbyteri, cujus exemplum postea secuti sunt, qui reliquarum in Oriente ecclesiarum curam gerebant episcopi. — §. 7. Neque hic iterum satis ingenue Petavius, qui, dum in excutiendo memorabili illo Nectarii facto versatur, poenitentiam modo publicam, non confessionem in Oriente sublatam fuisse docet. Suae sententiae post Socratem autorem producit Sozomenum, quem docere ait *idem, quod Constantinopoli abrogatum, in ecclesiis occidentalibus ac praecipue in illa Romana perseverasse.* Late hoc argumentum persequitur ac tandem privatam et poenitentiam et confessionem salvam et incolumen etiam Constantinopoli mansisse concludit. Verum si haec docuisse credit Sozomenum, mentem ejus non satis assecutus fuisse videtur vir doctus. Res apparebit, si oculos animumque ad ea convertas, quae de utriusque ecclesiae ritibus tradit scriptor modo laudatus. Scilicet quam circa poenitentes disciplinam servare occidentali ecclesiae ac praecipue illi Romanae solenne sit, cum exposuisset, tum quoque poenitendi ritus in illa Constantinopolitana describit cumque in hac certum presbyterum, qui audiendis poenitentium confessionibus vacaret, constitutum fuisse dicat, cujus in ecclesia Romana mentionem injecerat plane nullam, quid quaeso aliud, quam diversum quid ab esclesia Romana illam Constantinopoli habuisse significat? Adeo clara sunt, quae leguntur apud Sozomenum, ut non aliam scriptori mentem fuisse abunde probent. Ita enim ille, cum de poenitendi apud Romanos ratione commemorasset: *τὰ δὲ μὲν ἀρχῆθεν οἱ Ῥωμαίων ἱερεῖς ἄχρι καὶ εἰς ἡμᾶς φυλάττουσιν. Ἐν δὲ τῇ Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίᾳ ὁ ἐπὶ τῶν μετανοούντων τεταγμένος πρεσβύτερος ἐπολιτεύετο.* Sic igitur in Constantinopolitana ecclesia presbyter erat poenitentiarius, qui Romae non erat cumque eundem in illa sublatum fuisse paulo post addat, sublatum quid fuisse inde sequitur, quod, cum Romae non esset, nec ibidem etiam perseverare potuit. — §. 8. Exinde autem ulterius apparet, quam aliena sit a veritate viri docti sententia, dum poenitentiam modo publicam, non autem confessionem Constantinopoli abrogatam fuisse scribit. Diserte Socrates l. l. constitutum eum in finem presbyterum *ἐπὶ μετανοίας, ὅπως οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα*, cum teste tota ecclesiae multitudine crimina sua evulgare grave fuisset ac molestum. Hunc ergo *ἐπὶ τῆς μετανοίας* presbyterum cum in Constantinopolitana ecclesia sublatum a Nectario fuisse iisdem locis uterque scriptorum tradat, ipsam quoque confessionem cum eodem abrogatam fuisse manifeste exinde sequitur. — §. 9. Ulterius confirmantur, quae dixi, quod remoto, qui poenitentibus prae-

factus fuerat, presbytero, pristinam gravitatem et severitatem in laxam ac dissolutam vivendi rationem paulatim degenerasse, queratur eodem loco Sozomenus, ideo certe quia cum presbytero sublata simul peccatorum confessio, sublati quoque, qui poenitentibus, cum luenda esset publice criminum culpa, ferendi erant poenitentiae labores adeo difficiles et molesti. Has enim causas adducit, cum minora antea peccata fuisse scribit, ὑπὸ τε αἰδοῦς τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας καὶ ὑπὸ ἀκριβείας τῶν ἐπὶ τουτῳ τεταγμένων κριτῶν. Quid ad haec Petavius? Sublata poenitentia confessos quidem adhuc fuisse ait crimina poenitentes, nullam tamen publice sui peccati significationem dedisse, quod unum poenitentibus grave fuisset. Sic igitur majorem illam ad omne scelus impunitatem et licentiam ex sublato publice poenitendi onere, non ex confessione sublata, quae superstes omnino mansisset, exortam fuisse affirmat vir doctus atque hinc quoque ad firmandam ulterius suam sententiam vocem αἰδοῦς non tam referendam esse ait ad confessionem, quam ad publicam illam infamiam et poenam, quam conjunctam habuisset criminum gravierum confessio. Sublata enim poenitentia, nulla aut leviori deinde affectos fuisse homines verecundia, quod publica ignominia ac cruciatibus tam diuturnis carituros se esse scirent. Adeo detorquet, quae nulla obscuritate laborant, verba Sozomeni. Ubi enim scriptor hic remoto poenitentiario superstitem mansisse confessionem pristinamque severitatem in laxam et dissolutam vivendi rationem tantum collapsam fuisse scribit, quod non amplius publicam darent peccati sui significationem? Et confessionem et publicam poenitentiam sublatam, quorum utrumque cum presbytero cessaverat, collapsae illius severitatis causam eundem nominasse, quis est, cui non statim appareat? Qui igitur factum, ut tam imprudenti consilio separet vir doctus, quae tamen conjuncta leguntur apud Sozomenum? Tandem quod vocem αἰδοῦς de confessione accipiendam esse negat, in eo rursus fallitur. Diserte Sozomenus minora antea fuisse, inquit peccata ὑπ' αἰδοῦς τῶν ἐξαγγελλόντων τὰς σφῶν αὐτῶν πλημμελείας. Rectius hinc ad mentem scriptoris, voce αἰδοῦς praecipue ad ἐξαγγελίαν, deinde ad publicam infamiam et poenam relata, dixeris, remoto, qui praepositus erat poenitentibus, presbytero, in dissolutam vivendi rationem antiquam degenerasse severitatem aut nulla post vel leviori ductos fuisse homines verecundia, quod et peccatorum confessione et publica ignominia ac cruciatibus carituros se esse scirent. — §. 9. Jam cum post publicam illam peccatorum confessionem ad ipsam *satisfactionem*, quam vocant, *canonicam s. poenitentiae professionem* externam poenitentes venissent, multis ac diuturnis defungendum iis erat poenitentiae laboribus plurimaeque exantlandae aerumnae, ut externa hac animadversionis severitate ad peccatorum agnitionem et detestationem adducerentur, praeterea quoque gentilibus magis magisque in oculos incurreret extrema vitiorum apud Christianos abominatio. Miser proinde et calamitosus status eorum erat, in quem fuerant conjecti. Erant enim in loco a fidelium consortio prorsus remoto, primo quidem extra templorum fores, suam ingredientibus quibusvis signis externis poenitentiam de-

clarantes, aspectu fere horridi et ad movendam ceterorum misericordiam unice compositi, habitu lugubri, sacco et cilicio, jacentes in sordibus, humi prostrati, lacrymis et jejuniis tempus ducentes, vacantes orationi, et quae alia poenitentiae erant, ea non omittentes. Hanc poenitentiae professionem externam, quam et ipsam exomologesin, latius accepta voce, dictam fuisse supra docui, describit Tertullianus (de poen. 9.), cujus etiam aetate sacco indutos cinereque conspersos fuisse publice poenitentes apparet (*de pudic.* 5.). Et post illum Cyprianus: *Orare*, inquit, *oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, strates solo adhaerere, in cinere et cilicio et sordibus volutari* (*oper. p. m.* 137.). Atque hic inprimis peccatorum neminem, qui gravioribus laborabat criminibus, pristini juris societati restitui volebat sine *plena poenitentia*, quae non tantum se extenderet ad justum et legitimum tempus, sed quae vera simul esset, animo dolenti cum signis externis, quae de peccatoris conversione, quantum fieri posset, fidem facerent, quod erat ipsi cum *plena humilitate satisfacere*. Ceterum in hoc poenitentiae decursu exclusi penitus erant ab omnibus Christianorum congressibus, prohibiti a sacris eucharisticis neque oblationes eorum admissae. — §. 11. Non propriam atque peculiarem hanc legem sibi fecerat Africana ecclesia, cujus antistites erant et doctores, quorum testimoniis, quae dixi, probavi. Eandem quoque sibi impositam esse videbant publice poenitentes in Asiatica et in Romana ecclesiis. Et de Romana nonnihil testatur ipsa Cornelii, sedis Romanae sec. III. episcopi, ad Fabianum Antiochenum epistola, relata ab Eusebio hist. eccl. 6, 43. Disciplinam nempe hoc sec. habebat communem fere cum ea, quae Cypriani aetate recepta fuerat in Africana ecclesia, nisi quod de pristino rigore remissum sub Zephyrino, moechos poenitentes recipiente, quibus nec poenitentiam nec pacem vel in exitu constitutis indulgebat sua aetate Tertullianus in Africa. Huc quoque referri possent, quae de poenitendi in eadem ecclesia ritu prae reliquis commemorat Sozomenus hist. eccl. 7, 16., quo etiam faciunt illa, quae apud Hieronymum leguntur in *Epistola ad Oceanum*, nisi forte post tempora Cypriani hunc ritum in illam Romanam introductum atque adeo adultae aetatis illum fuisse dixeris. — §. 12. Haec peccata luendi ratio magna his seculis religione servata ab ecclesiis, quamvis dura videri possit et valde difficilis, aetate tamen posteriori duriorem adhuc poenitentibus praescripserunt protractoque in plures, quam antea factum fuerat, annos poenitentiae tempore, disciplinae rigori multum addiderunt christiani doctores. Etenim post illa Tertulliani et Cypriani tempora introducti fuerunt in ecclesiam difficiles illi publicae poenitentiae gradus et stationes laboriosae, praefixa poenitentibus loca, ne temere immiscerentur fidelibus, quibus et ipsi a se invicem distinguebantur. Erant tum in ecclesia προσκλαίοντες, ἀκροώμενοι, ὑποπίπτοντες et tandem συνιστάμενοι. Singuli στάσιν suam habebant separatam a reliquis, ex quibus lente promoti post multas variasque corporis exercitationes ad mysteriorum cum fidelibus communionem assurgebant. — §. 13. Ignorarunt gradum et stationum illarum nomina su-

perioris aevi doctores. Referuntur plerumque ad disciplinam sec. ad finem vergentis III. Qui sic statuunt, suae sententiae argumenta deprehendisse sibi videntur in Gregorii Thaumaturgi *epistola canonica*, quae illi tribuitur, *de Poenitentia Lapsorum* ejusque *can. XI.* Omni tamen exceptione major non est eorum sententia, disceptantibus inter se eruditis, an ipsa Gregorii, an aliena manu hic canon, omnium postremus, adjectus fuerit epistolae? Ex aevi posterioris disciplina eundem epistolae accessisse, existimat Du Pin (*Biblioth. des Auteurs Ecclesiast. I. p.* 186.), quod et jam ante eum docuerat Joann. Morinus, qui post haeresin nonnisi Novatianorum quatuor illos poenitentiae publicae gradus in ecclesiam introductos fuisse, autor nobis est (*de Poenitentia* 4,2.). Sed suam relinquo unicuique sententiam. Res clara est omniumque evicta testimonio, legi hos quatuor poenitentiae gradus in canonibus conciliorum, quae celebrata fuerunt sec. p. Chr. IV., scrupulose distinctos. Huc faciunt illa Ancyrani, Nicaeni, Laodiceni conciliorum decreta. Canones quoque Basiliani in illa ad Amphilochium epistola illorum mentionem interdum prolixam injecisse dicendi sunt. — §. 14. Primus autem et infimus illorum erat προόσκλαυσις, hinc προσκλαίοντες dicti, qui hanc stationem poenitentes ingrediebantur. Στάσις eorum in area erat templo contigua s. προπυλαίῳ, quod primum ingredientibus patebat. Meminit hujus gradus *canon. XI. epistolae* Georgii Thaum. *de Lapsorum poenitentia*: Ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου ἐστί. Qui ex poenitentibus hanc stationem ingrediebantur, suam quibusvis, quae sensus externos feriebant, poenitentiam animique dolorem profitebantur, lugubri veste induti, proni in terram abjecti cum gemitu, cinere et cilicio sordidati, effusi in lacrymas, in squalore et luctu, corpore inculto et prorsus neglecto ejusque toto habitu ad movendos aliorum affectus composito. Lugubris hujus stationis aerumnas describit Hieronymus *ep.* 30 *ad Oceanum*. Praeter haec se criminis reos palam profitebantur, fideles quoque ad synaxin convenientes, ut pro se precentur, humili prece obtestabantur. Ita enim Gregorius l. l.: ἔνθα ἑστῶτα τὸν ἁμαρτάνοντα χρὴ τῶν εἰσιόντων δεῖσθαι πιστῶν, ὑπὲρ αὐτοῦ εὔχεσθαι. Tandem separati erant, quam diu crimen in hoc gradu deflebant, ab omni aliorum commercio, societatem cum iis inire nefas, praeterea manuum impositione ab episcopo facta indigni habebantur neque precum erant participes nec fusae super eos orationes; sed ut vere poenitentes contritosque eos redderet, si quam mentionem in publicis precibus eorum injiceret, Deum orabat ecclesia. Ac προκλαύσεως hujus exemplum quendam Natalem nonnulli faciunt, primum religionis confessorem, postea Theodotianorum fraudibus et pecunia, ut eorum episcopus crearetur, inductum, tandem criminis serio poenitentem, de quo Eusebius hist. eccl. 5, 28. — §. 15. Ceterum quam praeclara etiam in hac statione cordis contriti signa ederent, tamen hunc gradum poenitentiae nonnisi januam et προσκλαίοντας poenitentiae candidatos esse volebat, tantum abest, ut in poenitentium ordine eos habuisset ecclesia. Ideo etiam infimae hujus stationis non meminerunt Patres in Nicaeno et Ancyrano conciliis; de hyemantibus, qui Graecis χειμαζόμενοι extra

tectum et sub dio orare tenebantur, aëris inclementiae et tempestatibus expositi, loquitur *Ancyrana syn. can.* 17. Et sunt nonnulli, qui illorum nomine προσκλαίοντας a Patribus intelligi dicunt. Et in hoc statu pro criminis gravitate aliquando ad annum-unum, interdum ad triennium, quadriennium, quin etiam ad dies vitae consistebant, e quorum numero incestuosi et qui Christum negaverant, inter προσκλαίοντας in perpetuum relegati, nunquam ad altiorem ex hoc gradu evehendi. — §. 16. Post exactum omne secundum canones in primo gradu poenitentiae tempus, ad altiorem poenitentes surgebant, qui ἀκρόασις dictus, τῶν ἀκροωμένων nomen poenitentibus lapsis imposuit. Meminit hujus ep. Gregorii: *Ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης, ἐν τῷ νάρθηκι, ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα, ἕως τῶν κατηχουμένων καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι.* Meminit ejusdem post Gregorium, Basilius can. 22. ad Amphilochium; Patres in synodo Nicaena eos, qui praeter facultatum ablationem, praeter necessitatem et periculum sub Licinii tyrannide lapsi sint, *tribus annis inter audientes* habendos esse decernunt. Στάσις eorum intra portas templi erat in porticu inter exteriores et interiores templi januas. Nonnullis quoque singulari nomine νάρθηξ hic audientium locus vocatur, qui prima pars navis erat, quae ingredientes primum suscipiebat, tota navi in duas per longitudinem partes secata et ad locum usque, qui Graecis ἄμβων, Latinis *chorus* dicitur, dedacta. Variis hominum generibus locus ille patebat, catechumenis primi ordinis, poenitentibus audientibus, haereticis quoque et schismaticis, et, sub christianis imperatoribus, ethnicis simul et Judaeis, ut a suae religionis absurditate ad christianae fidei veritatem adducerentur. Hic psalmorum canum, lectionem et episcoporum sermones cunctis audire permissum, quorum ab auditione arceri debere neminem, decretum in *conc. Carthaginensi IV. can.* 84: *Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem sive haereticum sive Judaeum, usque ad missam catechumenorum.* — §. 17. In hoc gradu ad precum cum fidelibus communionem poenitentes nondum admittebantur; *μὴ ἀξιούσθω προσευχῆς*, inquit *canon.* 11. supra memoratae epistolae. Modo S. S. lectionem et episcoporum ad concionem homilias audire licebat. Hinc ἀκροώμενοι dicti, quanquam Tertulliani et Cypriani aetate hoc *audientium* nomen proprium nonnisi atque peculiare fuerit catechumenis. Ideo etiam cum poenitentibus audientibus in uno eodemque gradu positi catechumeni, at primi nonnisi ordinis, qui nempe in statu κατηχήσεως et καθάρσεως erant, secundi ordinis catechumenis, qui ad baptismum praeparabantur, cum poenitentibus in tertio gradu pronos sese in terram abjicientibus. Sic igitur poenae loco habebatur, cum catechumenis in auditionis grada versari. Qui enim post assumtam christianae religionis veritatem abominandis criminibus vitam et fidem conspurcaverant, cum iis eodem modo post agebat ecclesia, atque cum fidei mysteriorum ignaris, e quibus imprimis catechumeni erant, doctrinae christianae et mysteriorum cognitione nondum imbuti. Quare etiam manus iis nondum impositae. Cum oratione enim conjuncta erat χειροθεσία, qua adhuc indigni censebantur, quamdiu in hoc gradu poenitentes detinebantur. Ceterum quod possi-

tentiae tempus ab episcopo iis praescriptum fuerat, non unum idemque illud erat, sed pro atrocitate sceleris variabat. Qui necessitate compulsi Diis gentium immolaverant, iis annum Patres definiunt, triennium sponte sacrificantibus et homicidis quinquennium. — §. 18. Sequebatur ὑπόπτωσις, tertius poenitentiae publicae gradus, ad quem promovebantur, qui in superiori tempus canonibus definitum exegerant. Hunc gradum duobus prioribus addit *canon.* 11. *ep.* Gregorii: Ἡ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται. Meminit et hujus post *Ancyranum concilium can.* 16. et 23. *synodus Nicaena*, *can.* 11. et in sua ad *Amphilochium ep.* modo laudatus Basilius. Stationis istius locus inter audientes et fideles erat ad ambonem usque deductus, chorum s. pulpitum, orbicularis ut plurimum, figurae, muro circumseptum, ex quo evangelium et epistolae legebantur, hymnos psalmosque inferioris ordinis clerus modulabatur suosque ad concionem sermones habebant episcopi. Et sane stationum illarum, quas in poenitentiae decursu emetiri jubebantur lapsi, omnium laboriosissima erat ὑπόπτωσις, non certe *rerum coelestium ac supernarum contemplatio*, ut reddidit Rob. Bellarminus, cujus errorem jam dudum castigavit Is. Casaubonus (*in Exercitation. in Baronium, XVI. p.* 488). Durae et acerbae in ea poenitentibus calamitates ferendae et cruciatus, ideo etiam huic prae reliquis stationi τῆς μετανόιας nomen peculiare dedit Basilius. Hic poenae poenitentibus irrogatae, opera laboriosa iis imposita, quae an diligenter illi exequerentur, probe attendebant, qui curam eorum gerebant. Hic vigiliis, jejuniis et cruciatibus diuturnis corpus macerabant, asthaec genua flectentes pronos in terram sese abjiciebant cum gemitu et lamentis. — §. 19. Tantum hoc peculiare habebant poenitentes prostrati, quod toto ὑποπτώσεως tempore in singulis fere synaxibus iis humi prostratis ab episcopo manus imponerentur, cum oratione, quae manuum impositionem sequebatur. Prius constat *ex conc. Carthaginensi IV. canon.* 80: *Omni tempore jejunii manus poenitentibus a sacerdotibus imponatur.* Celebrabatur uterque ritus post fusas super catechumenos, qui ad baptismum praeparabantur, in eodem cum tertii ordinis poenitentibus gradu consistentes, preces, quae *missa catechumenorum* familiari Patribus more loquendi dicebantur. Huc facit *conc. Laodicent canon.* 19: *Quod oporteat seorsum primum post allocutiones episcoporum orationes super catechumenos celebrari et postquam catechumeni egressi fuerint, super eos, qui sunt in poenitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum sacerdotis et discentibus tres orationes consummari fidelium.* Sic igitur ad manuum impositionem poenitentes in hoc ordine quidem admittebantur, precum quoque certarum fiebant participes, at vero non omnium, multo minus eucharistiae, sed cum ad celebranda mysteria, ad panem frangendum fideles accederent, cum catechumenis et infidelibus diaconi voce exire jubebantur. Hujus expulsionis praeter *canonem conc. Laodicent* modo memoratum, meminerunt etiam *Agathense et Epaonense concilia.* Etenim haec erant illa ἄφραξα et ἀπόῤῥητα mysteria, quae nemini illorum spectare fas erat. Ideo etiam exorta recondita illa et venerabilis disciplina arcani, qua suae religioni adversus paganos, de

Christianorum sacris abjecte nonnisi loqui solitos, majestatem asserere ac prudenter vindicare volebant illius aevi doctores. — §. 20. Ceterum hic poenitentiae gradus temporis diuturnitate plerumque alios omnes superabat. Sic Nicaeni canones graviorum criminum reis ad ὑπόπτωσιν pervenientibus sexennium, si poenitentes jam facti crimen iteraverint, decennium definiunt, Nicaenis adhuc rigidioribus, qui paulo ante in synodo Ancyrana convenerant, Patribus, qui ad annos interdum quindecim, interdum quinque supra viginti, imo ad vitae tempus publicae in hoc gradu poenitentiae tempus extendunt, quem disciplinae rigorem, qui eadem voluntariam fecerant, expertos fuisse, constat ex *canon.* 21. *hujus synodi.* — §. 21. Tandem post exantlatos vel in hac poenitentiae statione labores, cum viribus pene confecti essent poenitentes, et, quod praestitutum iis erat, tempus elapsum, ascendebant ad σύστασιν; hinc συνιστάμενοι, quod cum fidelibus in oratione consisterent pari ordine neque cum catechumenis exire juberentur. Ἡ σύστασις, ἵνα συνίστανται τοῖς πίστοις καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων, ait *canon.* 11. Gregorii, cui addendus Basilius in *epistola canonica ad Amphilochium.* Στάσις eorum, quam occupabant, adhuc in navi erat, provectiore cum fidelibus et intimo navis versus sanctuarium loco, qui praeter poenitentes, tribus adhuc patebat hominum generibus. Primum eorum erat, qui vel levius peccaverant vel qui atroci quidem crimine tenebantur, sponte tamen ad episcopum delati scelus confessi suumque ob illud dolorem abunde testati fuerant. Utrumque hoc peccatorum genus, remittente de canonum severitate episcopo, statim in ultimum poenitentiae publicae gradum relegatum fuisse, apparet ex *canon.* 9. *epist.* Gregorii Thaumaturgi. Deinde ad hanc stationem mittebantur nuptae mulieres, quae pollutae fuerant adulterio, ne, si ad ὑπόπτωσιν detruderentur, scelus quoddam immane suspicati mariti et zelotypia abrepti, necem intentarent uxoribus. His tandem accedebant, qui, acta publice poenitentia, ecclesiae reconciliati, peccatorum novorum publica iterum poenitentia expiandorum culpam sibi contraxerant. — §. 22. Habebant illi omnes cum poenitentibus rerum et humanarum et divinarum fere omnium, precum inprimis cum ceteris fidelibus, quamdiu in hoc gradu detinebantur, communionem. Hinc „precum esse participem, communicare orationibus et in oratione communicare fidelibus," satis consuetae sunt et frequentes dicendi formulae, quibus hanc poenitentiae stationem Patres describunt. Tamen, quod probe notandum est, erat haec communio χωρὶς προσφορᾶς, ut Nicaeni loquuntur, seu κοινωνία τῆς ἐυχῆς, non τῶν ἁγιασμάτων. In eo enim ceteris fidelibus longe erant inferiores, quod eorum ad altare oblationes non admitterentur, quod ad eucharistiam cum illis accedere fas iis non esset. Adstantes tamen manebant ἐπόπται τῶν μεγάλων μυστηρίων, neque cum catechumenis exire jubebantur. Hinc *communicare precibus sine oblatione*, et quod idem est, *non communicare corpori Christi*, saepe in canonibus, qui poenitentibus in hoc gradu biennium simul definiunt, quod tamen interdum ad triennium, ad plures quoque interdum annos, pro criminum et personarum ratione diversa excrevisse, ex veterum monumentis intelligitur. — §. 23. Ceterum, quod supra dixi,

quamdiu in quatuor his stationibus poenitentes detinebantur, miser et calamitosus status eorum erat. Habitus eorum lugubris, pullae vestes cinere coopertae, sacci, cilicia, squalor capitis inculti totiusque corporis neglectus. Severis praeterea jejuniis, orationum frequentia, vigiliis et duris laboribus assidue exercebantur, deliciis, conviviis, balneis et hominum congressibus abstinere eos oportebat, castra sequi non licebat, conjugia inire nefas. Loquuntur, qui de poenitentibus in conciliis a Patribus conditi sunt, canones, quorum vide *conc. Arelatensis II. canon.* 21. *Agathensis, can.* 15. *et Toletani III. can.* 12. Nec prius speranda erat ex hac miseriarum voragine redemtio et status illius lugubris in meliorem mutatio, nisi post insignia animi contriti et crimen dolentis indicia, nisi post exactum omne plerumque secundum canones poenitentiae tempus. — §. 29. Quamvis autem ordinaria hac via ad reconciliationem et sacrorum communionem poenitentes redirent, tamen si in vitae discrimen venirent, remittendo de canonum rigore fidelium societati eosdem restituit, tantum abest ut difficilem adhuc sese praebuerit ecclesia. Debetur ea in poenitentes humanitas et disciplinae austerioris relaxatio Patribus *in conc. Nicaeno* congregatis, qui neminem vita excedentem ultimo et necessario viatico privari canone peculiari decreverant, ita tamen, ut, si valetudinis infirmitates superaret, poenitentiae legibus rursus subjectus, tempus expleret, quod definitum erat; post vero ex poenitentium ordine iis associaretur, qui rerum fere omnium cum fidelibus communionem, sed sine oblationis jure, habebant. Testatur de utroque *conc. Nicaeni can.* 13: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita, ut si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus et consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur.* Idem confirmant *conc. Arausicani et Arelatensis II. canones.* — §. 25. Praeterea hi ordines et poenitentiae stationes ita erant sub potestate episcopi, ut ab ejus arbitrio penderet, poenitentibus leges et modum, locum simul et tempus praescribere, habita tamen ratione decretorum, quae publice prostabant, edita a doctoribus in conciliis. Tum quoque liberum ipsi erat, definitum jam tempus contrahere, dilatare etiam, cum remissus parumque patiens in poenitentia agenda peccator esset, de gradibus quoque decernere, quorum minuendorum vel tollendorum copia ipsi facta fuerat, pro diversa tum criminum tum poenitentium ratione, prout suam ob scelus commissum aegritudinem doloremque magis minusve illi probaverant. — §. 26. Interim quem poenitentibus modum praescribere, quod iis poenitentiae tempus definire et definitum contrahere vellet episcopus, ne illud a sola ejus autoritate pendere videretur, suis quoque legibus hanc episcopi potestatem adstringi posteriori aetate e re sua fore existimarunt imperatores. Loquuntur *Constitutiones Carolinae*; ita enim 7, 294: *Quaerendum est sacerdoti, cum accipit cujuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, ut si postea iteratum aut frequenter actum sit, si sponte, si coacte, si per ebrietatem aut per quodlibet ingenium factum sit, et cum viderit, unde radix illius peccati processit, tunc congruam*

adhibeat medicinam. Qualis vero peccati adhibenda sit medicina, secundum eatenus authenticorum sanctorum Patrum esse debet et non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem nec in hac parte voluntas est gratia hominis sequenda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda. — §. 27. Plurimum de antiquorum rituum severitate et duritia decesserat, cum edita legis hujus sanctione poenitentiae externae modum imperator decerneret. Non omni enim aetate poenitentia adeo laboriosa defungendum erat, cum a sceleris commissi culpa liberandi et pristini juris communioni poenitentes restituendi essent. Etenim instaurata christianae religionis libertate, multum de graduum illorum et poenitentiae publicae rigore jam remissum fuerat. Qui in Constantinopolitana ecclesia audiendis confessionibus vacabat presbyter, eandem tempore Nectarii una cum confessione abrogatum fuisse, *libera facta potestate, ut pro sua quisque conscientia* ad mysteriorum communionem accederet, quod diserte tradunt Socrates et Sozomenus, pluribus docui in antecedentibus. Hinc sensim imminutus in ea disciplinae et poenitentiae publicae rigor. Sequebantur et sequiori aetate in Occidente ecclesiae, quarum etiam doctoribus non amplius placuit illa disciplinae austeritas, cui in veteri ecclesia subjiciebantur, quibus reddenda erat communio. Quemadmodum etiam confessio, quae ibidem hactenus publica fuerat, a Leone, P. R. sec. V. mutata est in privatam, quod intelligitur ex ejus *epist.* 136. — §. 28. Imo invaluerunt tandem, quod secc. decursu factum est, poenitentiae redemtiones, quibus ecclesiae disciplina valde laxata, tantum non tota collapsa fuit. Tum facili modo peccatori consultum. Non nego quidem, diuturniorem interdum vel his temporibus et aetatem hominis non raro excedentem injunctam fuisse nonnullis poenitentiam. Verum hoc artificium erat cleri, libidines suas occultantis, et ex intolerabili poenitentiae impositae poena, quam aere redemtam iri dubium non erat, lucrum captantis. Nihil dico, mercede interdum conductos fuisse, qui alieni criminis culpam et, quae peccatori luenda esset, poenam susciperent; quod quam alienum sit a primitivae ecclesiae disciplina, quivis periti facile intelligunt, certe intelligere debent.

II. 1. De disciplina circa poenitentes pro varia criminum et ecclesiarum ratione. §. 1. Solenne fuit secc. priorum nominis christiani doctoribus, si quem haberent, quem graviora obstrictum tenebant crimina, severe in eum animadvertere, et ne scandale esset Christianorum vita gentilibus, ne facilitate ecclesiae aliis similia peccandi locus aperiretur, disciplinae austeritate in fide et obsequio continere eorum animos. Hinc illa peccatorum a sacris congressibus, a mysteriorum omnisque sancti commercii communione diuturna et saepe perpetua relegatio; hinc gradus illi difficiles et, quae poenitentes, quamdiu in iis detinebantur, premebant, calamitates, labores et cruciatus, vigiliae et severa jejunia. Omnia haec poenitentiae erant, quae etiam pluribus jam exposita sunt. Neque facile restituendi erant, qua peccando exciderant, juris antiqui communioni, nisi post tempus, quod canonibus definitum explendis eorum criminibus sufficiebat. — §. 2. Quamdiu autem luenda esset criminum culpa, de ea quidem mutuo inter se pacto

ecclesiae omnes non convenerant. Cum peccatoribus extreme improbis durius semper actum, atque cum iis, qui levius peccaverant et ut sui cuique ecclesiarum mores et consuetudines fuerunt, ita disciplinam nec parem ecclesiae invicem omnes nec omni tempore parem servarunt, cum et illarum altera minorem, altera majorem in lapsos rigorem exercuit, et posteriori etiam aevo antiquum illud et austerum censurae ecclesiasticae genus sensim in lenitatem deflexit. Itaque primum pro ratione diversa peccatorum disciplina varia variumque poenitentiae tempus obtinuit. Qui idololatriae, moechiae et homicidii criminibus, quae canonica omniumque gravissima erant, obstricti fuerant, in eos plerumque sui rigoris exempla statuebant antiqui doctores et sua eos communione ita arcebant, ut futurae cum ecclesia reconciliationis spem iis omnem et expectationem praecluderent. Aliquanto humaniùs post aevum Tertulliani habiti, communionis quidem participes fieri coeperunt. Verum non nisi in exitu, quarundam ecclesiarum more, adeo dura insuper lege, ut vitam omnem, quocunque extenderetur, in assiduo luctu consumerent. Hanc poenam iis, qui caedis spente patratae convicti erant, in tertio poenitentiae publicae gradu, quem ὑπόπτωσιν dicunt, Patres conc. Ancyrani praescripserunt *can.* 21. Incestuosis et qui Christum negaverant in primo inter προσκλαίοντας gradu aetatem detinendis, modo in morte criminum veniam fieri, voluit Basilius in suis ad Amphilochium *Canonibus, can.* 73. Et in hunc sensum concepti leguntur praeter *can.* 3. ep. decretalis, quam ad Himerium, Tarraconensem epiec., dedit Syricius, variorum conciliorum canones, quorum decreta illos aut canonicorum, aut aliorum turpium item facinorum reos poenitentiae adeo diuturnae legibus addixerunt, ut, qua peccando indignos se fecerant rerum sacrarum communione, in eam nisi sero et in praesenti vitae discrimine recipiendi non fuerint. — §. 3. Gravia porro erant Libellaticorum crimina, multo graviora illa Thurificatorum et Sacrificatorum, quorum nominibus, qui aut fumigando aut hostias immolando gentium idola coluerant, venisse, dixi supra. Utrique, quod scelerum infamia nomini christiano injuriam fecerant, suae temeritatis poenas dederunt, verum non pares, majorem in Sacrificatos et Thurificatos, quia gravios peccaverant, quam in Libellaticos disciplinae suae rigorem statuente ecclesia. Hoc in Africana ecclesia Cypriano servatum, qui et in admittendis ad pacem et veniam idololatris ex atrocitate delicti poenitentiae tempus aestimari voluit in illa ad Antonianum epistola, an nulla urgente necessitate, forte ad delicias, quibus pelliciebant gentiles, an vere cruciatuum, quibus ferendis impares fuerant, immanitate coacti, ad aras deorum accesserint? Apostatis autem, idololatris ceteriisque id genus lapsis quamdiu ferendi prius poenitentiae labores fuerint, quam ecclesiae reconciliari potuerint, totum id omne Cypriani aetate ab ecclesiae consuetudine pendebat et episcopi prudentia. Non enim obtinuit, nisi circa primordia sec. insequentis IV. illa criminibus, cumprimis gravioribus, certos poenitentiae annos definiendi ratio, simul cum ad certos expiationis gradus adstringeretur poenitentia publica. Utrumque clare et distincte aevi illius monumenta memorant. Basilius in ep. sua canonica ad Amphi-

lochium, Iconii episc., iis, qui caedem inviti, ad decem, qui eam volentes fecerant, ad viginti annos poenitentiae tempus extendit (*can.* 56—57.). Qui adulterii, scortationis, polygamiae, furti et perjurii rei inveniebantur, eos XV. VII. IV. II. XI. annorum poenitentia criminum culpam luere, voluit 58—59, 80—81, 84. ejusdem epist. *canonibus*, quemadmodum et qui vaticinati gentium consuetudines secuti fuerant, sexennium ab orationis communione excludendos decrevit *can.* 83. In Hispania porro apostasiam decem, simplex adulterium quinque annorum poenitentia multarunt Patres Eliberitani 46, 72. hujus conc. *canonibus*. Lapsis in haeresin et ejurato errore ad ecclesiam redeuntibus poenitentiam decennium duraturam praescripserunt *can.* 22. cujus tamen rigorem aevo posteriori emollivit et ad biennium poenitentiae tempus contraxit Agathense conc., *canon.* 60. Tamdiu etiam communione privati manebant eorundem in Hispania Patrum consilio, qui delatis ad aras idolorum sacrificantium coronis in societatem daemonum venerant. Et de servanda suo etiam aevo sanctiori hac disciplina magnopere laborasse dicendi sunt, qui in synodis Ancyrana, Neocaesariensi, Nicaena universali, Laodicena, aliis bene multis convenerant, quarum decreta variam varie delinquentibus poenam constituunt, gravem plerumque et diuturnam iis, qui aut sacra diis gentilium facerent, ut idololatriae modo participes redderentur, nempe, si convivarentur cum paganis die idolis solenni et festo, si idolothytis vescerentur, sanguine et suffocato, cibis idolo sacratis; quamvis in irroganda eorum criminibus poena prudenter etiam a Nicaenis discrimen servatum inter apostatas, qui Christo nomen dederant, postea religionem exuerant, et inter eos, qui adhuc catechumeni ad antiquos errores et vomitus redierant. Ita in definiendo poenitentiae tempore habita semper fuit criminis ratio, et durius cum graviorum, cum leviorum facinorum reis lenius et humanius in poenitentiae decursu actum fuit ab ecclesiarum doctoribus. — §. 4. Quot vero uni luendo crimini in una ecclesia decreti fuerant poenitentiae anni, tot eidem expiando non aeque sufficiebant in ecclesia altera. In iis enim, quae nihil ad doctrinam fidei, nihil ad religionis mysteria, modo ad cultum externum, ritus et ceremonias, mores et disciplinam faciebant, non una eadem fuit ecclesiarum ratio nisi forte a concilii generalis et oecumenici autoritate illarum omnes penderent, aut a dioecesani decretis, eae, quae in provinciis pluribus in unam *διοίκησιν* coaluerant. Igitur pro varia ecclesiarum ratione varie etiam poenitentes habiti, in quibusdam illarum adeo dure, ut animadversionis severitatem summam disciplinae tenor exierit.

II. 2. De disciplina eccl. orientalis. §. 1. Et primum quidem disciplinae severioris studiosam et retinentem fuisse *orientalem ecclesiam*, abunde testantur, quae aut publica conciliorum aut privata doctorum autoritate condita ibi fuerunt circa lapsos et poenitentes decreta. Non pari vero in eos quovis tempore animadversum rigore. Quae enim saec. I. apostolorum aetate et insequenti II. criminibus etiam gravioribus poenae imponebantur, eae adeo diuturnae non fuerunt, quin multo subinde diuturniores aevo posteriori, imprimis post Montani et Novatianorum haereses, repetitae ab iis fuerint,

qui publice poenitentiam acturi erant. Ioannes, evangelista et apostolus, qui Asiae ecclesias fundavit, qui fidei doctrinam cum disciplina morumque praeceptis iis tradidit, juvenem enormiter flagitiosum, quem post baptismum in omne libidinis et incontinentiae genus praecipitem se dedisse ex Clemente Alex. refert Eusebius hist. eccl. 3, 23., post jejunia et poenitentiam brevem communioni restituit. Incestuoso, quem in ecclesia Corinthi ob detestabile scelus Satanae in interitum carnis Paulus tradiderat, idem post poenitentiam nondum annuam, ne nimio dolore conficeretur, gratiam fieri, voluit et κυρῶσαι εἰς ἀυτὸν ἀγάπην, hortatus est Corinthios II, 2. Sanctam et intemeratam hanc legem apostolorum Patres servarunt, qui eorum aetati suppares fuerunt, hoc nomine dicti *apostolici*. Hermas, qui tempore apostolorum *pastorem* scripsit, neminem peccatorem, quem facti poeniteret, communione privandum censuit; poenitentiam ille proposuit omnibus, moechiae etiam atrocissimo crimine laborantibus; at de laboriosa illa multarum saepe annorum poenitentia nihil in eo invenias. Non equidem ignoro, quam variae sint de Herma eruditorum sententiae; verum in quascunque etiam sententiarum diversitates illi trahantur, certum utique est, clypei instar, quo Montani erroribus opponerentur, olim *pastorem* habuisse Catholicos, cum in quibusdam Asiae ecclesiis publice lectum et post canonicos S. S. libros prima autoritate donatum fuisse. — §. 2. Sunt, qui inter prima antiquitatis ecclesiasticae monumenta eaque apostolicae aetatis canones referunt, qui ab apostolis conditi et a Clemente Rom. in fascem collecti vulgatique plerumque perhibentur. Quotquot illorum sunt, eorum fere omnes suas graviter delinquentibus, clericis et laicis, poenas infligunt, illis καθαίρεσιν, his ἀφορισμόν, utrumque clericis, si criminibus adeo gravibus obstricti tenerentur, ut expiationi eorum sufficere haud videretur sola καθαίρεσις. Verum cum canones illi nihil de poenitentia, nihil de lapsorum post poenitentiam restitutione certi definiant, praeter 23, qui laico peccanti triennii poenitentiam imponit, praeterea etiam constet, sequiori illos aevo ab impostore apostolis fuisse suppositos, eos relinquimus ut suspectae fidei testes, de quorum etiam autore, aetate et numero mirifice inter se viri docti dissentiunt. — §. 3. Quae vero paulo antiquiora *apostolorum Canonibus* nobis supersunt ecclesiae graecae monumenta, multo utique breviores, quae poenitentibus imponebantur, illa nascentis ecclesiae aetate usque ad haeresin Cataphrygum quam postea poenas fuisse, ex iis apparet. Disciplina omnis, qua tum in lapsos et poenitentes usae fuerunt Orientis ecclesiae, rituum et ceremoniarum simplicitati apta et conveniens fuit. Nihil de sacco et cilicio, nihil de fletu, auditione, substratione et consistentia, quatuor laboriosis poenitentiae publicae stationibus, unquam commemoratum aut illius, aut aliquanto etiam posterioris aevi doctoribus. Omne poenitentiae tempus, quantumcunque etiam criminibus levioribus gravioribusque tum definitum, arbitrio relictum fuit prudentis ecclesiae sacerdotis, cujus erat, ex suae ecclesiae consuetudine poenam aut moderari aut augere singulisque eam accommodare scelerum gradibus. — §. 4. Late jam per orbem disseminata haeresi Montanistarum, qui peccatis

atrocioribus veniae tribuendae potestatem ecclesiae omnem abjudicabant, introducta fuit disciplina severior, et quo frequentiora fuere hominum peccata, eo acerbioribus subinde poenis eadem coërcere coepit ecclesia. Ultra medium decurrente sec. III. in Alexandrina ecclesia docuit Dionysius, vir multa eruditione insignis, cujus aetate vehementer concussae fuerunt *Deciana* in Christianos persecutione Orientis ecclesiae, cujus ipse meminit in epistola ad *Fabium* (apud Eusebium hist. eccl. 6, 41.). Certe cruento hoc bello, quo in Christianorum vitam et bona sine discrimine saevitum, edita fuit magna eorum, qui Christi doctrinam confitebantur, strages nec minor eorum editus, qui fidem negabant, numerus, quorum posterioribus, cum lapsus sui poenitentia ducerentur, non aeque facilem ad ecclesiam reditum Dionysius patere voluit. *Serapion* senex, qui in persecutione sacrificaverat et reliquo antactae vitae tempore culpae nulli obnoxius fuerat, communionem quamvis persaepe petiisset, ad eam admissus non fuit; οὗτος πολλάκις ἐδεῖτο, καὶ οὐδεὶς προσῖγεν αὐτῷ, καὶ γαρ ἐτεθύκει, scripsit ad Fabium Dionysius. Addit vere senem jam moribundum a se in communionem receptum (autore Eusebio, hist. eccl. 6, 44.). — §. 5. Quamdiu rerum sacrarum usu abstinere debuerint, qui criminum aut aeque gravium aut aliquanto leviorum rei inveniebantur, de eo non satis constat. Scripsit Dionysius ad diversarum ecclesiarum fratres de *poenitentia* epistolas; idem peculiarem scripsit de eodem argumento libros ad Cononem, eccl. Hermopolitanae episc. Et diserte Eusebius (hist. eccl. 6, 46.), qui librum et singularum epistolarum argumenta commemorat, in illa ad Aegypti ecclesias Dionysium et suam de lapsis exposuisse sententiam et criminum gradus descripsisse, τὰ δόξαντα αὐτῷ περὶ τῶν ὑποπιπτωκότων παραστῆσαι, τάξεις παραπτωμάτων διαγράψας ait. Verum cum nihil illorum ab interitu nobis vindicarunt sequiora tempora, de poenitentia etiam, poenitentiae ratione et quantum praecipue temporis in Alexandrina ecclesia varie delinquentibus ille constituerit, certi quid affirmare non licet; tantum illud omnium confessione comprobatum, quod sec. hujus disciplina ad illius, quae proxime sequenti recepta fuit in Orientis ecclesiis, rigorem nondum accesserit. — §. 6. Ineunte sec. IV. sedi *Alexandrinae* datus est episc. Petrus, *divinum episcoporum decus* Eusebio (hist. eccl. 9, 6.) dictus, qui post nonnullos difficilis et molesti episcopatus annos sub Maximino imperatore passus plurimam pietatis et eruditionis laudem retulit. Incidit ejus episcopatus in illam temporum iniquitatem, qua post *Diocletiani* adversus Christianos edicta gravis tempestas Dei ecclesiam exceperat. Quartus jam agebatur a persecutionis initio annus et multorum lapsus lugebat ecclesia, cum causam eorum examinandam Petrus susciperet editoque peculiari decreto, ad certum ac definitum, aliquot saepe annorum, tempus poenitentiam eorum adstringeret, qui crimen et lapsum aliquando coram ecclesia deploraturi essent. Servati nobis fuere ejus *canones*, quos de *poenitentia* scripsit, quibus aequiores non sunt, qui ex antiquis de poenitentia lapsorum ad nostram aetatem pervenerunt. Animadvertas in iis singularem prudentiam, severitatem temperatam humanitate sine sanctioris disciplinae et justitiae detrimento. Quae enim

crimina augent, quae illa minuunt, ea sollicite expendit et ad diversos illorum gradus poenam accommodat, adeo prudenti consilio, ut nec indulgentiae facilitate locum peccandi aperiat nec poenarum severitate a poenitentia peccatorem deterreat. Canone 1. eos, qui fidem coram hostibus primum aperte et ingenue professi, postea tormentorum immanitate victi eam negaverant, praeter tres annos, quos inde a tempore lapsus in luctu transegerant, adhuc quadraginta dierum poenitentia puniendos decernit. Qui nihil supplicionum perpessi, persequentium minis cesserant, modo ut vinculis, in quae fuerant, conjecti, liberarentur, eis illam triennii quarti insuper anni poenitentia auget can. 2. Tamdiu etiam communione arcendi erant ex can. 3. decreto, qui nulla necessitate compulsi, tantum de vita metuentes fidem ejuraverant. Iis porro, qui mera Libellaticorum ethnicos simulaverant aut ethnicum, qui nominum simulacris thure et vino supplicaret, praeterea malediceret Christo, supponentes idolis sacrificasse videri voluerant, post poenitentiam semestrem simulationis illius veniam indulgeri, jubet can. 5. Omitto canones reliquos, suum cuique peccatorum poenitentiae tempus eadem aequitate definientes. Hanc quidem in *Alexandrina ecclesia* Petros sua aetate disciplinam servavit, cujus etiam rationem reliquas per totam *Aegyptum*, *Lybiam* et *Pentapolin* ecclesias secuturas fuisse, dubium non est ob summam auctoritatem, quam per omnes dioeceseos Aegypti provincias jam tum ante conc. Nicaeni tempora *Alexandrinus* ille episcopus obtinuit. — §. 7. Post exortam haeresin Novatianorum, qui lapsis in idololatriam sub Decii imperatoris immani in Christianos tyrannide quamvis resipiscentibus veniam obstinate negabant, in *Constantinopolitana* eccl. abrogata peccatorum exomologesi publica constitutus est sec. III. presbyter, qui poenitentibus praeesset et lapsorum causas dijudicaret. Praefecerunt huic officio unum ex presbyteris, virum ἄριστα πολιτευόμενον, ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα, qui audiendis eorum, qui post baptismum peccaverant, confessionibus vacaret et quid aut facere singulos aut luere oporteret, pro cujusque delicto poenae loco indiceret. Ita Sozomenus hist. eccl. 7, 16. quod et Socrates confirmat hist. eccl. 5, 19. Quamdiu ex ecclesiae hujus consuetudine lapsis in crimina praecipue graviora, inter poenitentes prius versandum fuerit, quam satis supplicii, satis poenarum dedisse existimarentur, neuter illorum retulit. Ab atrocitate delicti poenam et a prudentia presbyteri, cujus actus suos lapsi confitebantur, poenitentiae tempus pependisse, haud obscure indicat Sozomenus, quod et aptum conveniensque fuit sec. illius moribus. — §. 8. Ex *eccl. Constantinopolitana* jam in alias mos ille transiverat, cum tandem in Orientis ecclesias inveherentur quatuor poenitentiae publicae stationes et gradus difficiles, qui disciplinae rigori multum addentes, per tot poenarum ambages et anfractus ad criminis expiationem poenitentes ducebant. Erant tum in ecclesia προσκλαίοντες, ἀκροώμενοι, ὑποπίπτοντες et συνιστάμενοι, quorum singuli separatam a grege fidelium, ne temere huic immiscerentur, stationem habebant. De quibus meum hic non est, scrupulose inquirere, an, quod nonnulli existimant, cum quatuor purgationum gradibus, quos, teste Olympiodoro in Platonis Phaedonem, quidam eth-

nici iis constituebant, qui olim ad epoptiam, scilicet ad sacra interiora, ad majora quae dicebantur mysteria accessuri erant, illi poenitentium ordines affinitatem habuerint? In eo certe omnium testimonia conveniunt, nihil illorum cognitum fuisse antecedentium retro secc. doctoribus. Sunt, qui Gregorium Thaumat. in ecclesiam Neocaesariensem suo ees sec. primum introduxisse existimant, cui sententiae autoritatem conciliare conantur can. 11. epistolae canonicae, quam de poenitentia lapsorum Gregorius scripsit. Verum non desunt alii, qui hunc canonem ex aevi posterioris disciplina aliena manu epistolae assutum fuisse contendunt. Et ipse Zonaras, qui omnes hujus epistolae canones commentariis illustravit, illum 11. omniumque postremum interpretatus non est, haud obscuro indicio, eum in codice, quo usus est scholiastes, non extitisse. Utra illarum sententiarum magis ad veritatem accedat, nosse parum juvabit. Res utique clara est omniumque evicta testimonio, non diu post Gregorium statim circa sec. IV. primordia, ad gradus illos poenitentiam publicam et unumquemque eorum ad certas simul temporis et annorum leges adstringi coepisse in Orientis ecclesiis. Hinc illa: *duobus annis defleat*, *tribus audiat*, *quatuor substernatur*, *uno consistat*, saepe leguntur in conciliis, quae frequenter hoc aevo coacta fuerunt, et in privatis doctorum de disciplina decretis, quamvis non eodem semper, et saepe aucto, saepe minuto, prout criminis ratio exposcebat, annorum numero. Ab ista aetate reconciliari ecclesiae, opus difficile fuit et valde laboriosum protractoque in plures jam annos poenitentiae tempore, sensim in rigorem et austeritatem duram et inflexibilem in Oriente excrevit disciplina ecclesiae. — §. 9. Levia erant crimina et in stationum illarum unam vel alteram eorum rei detrudebantur. Si gravia, relegati fuerunt in omnes, ex quarum inferioribus lente promoti, inter labores et cruciatus superiores ingrediebantur. Hic a mysteriorum aspectu, a sancti omnis commercii communione procul remoti, ne offerendi quidem ad altare cum fidelibus jure gaudebant. Hic severis jejuniis, orationum frequentia, vigiliis et diuturnis laboribus assidue exercebantur, proni in terram abjecti, in squalore et luctu, sacco et cilicio, corpore inculto et prorsus neglecto, et quae alia erant, quibus suum illi ob crimen patratum animi dolorem professi, ad misericordiam flectebant praetereuntium animos. — §. 10. Haec disciplina austerior ecclesiarum in Oriente sec. IV. communis omnium fuit. Tantum in definiendo criminibus singulis poenitentiae tempore, mensium aut annorum numero, non una eademque fuit illarum omnium ratio. Aliae namque peccatorem plurium, aliae paucorum annorum similia peccantem poenitentia castigarunt. Igitur quae singularum ecclesiarum, cumprimis celebriorum, disciplina hoc aevo fuerit, ex monumentis illarum, quae nobis supersunt, intelligitur, actis nempe conciliorum et quae unius aut alterius privati doctoris concilio in sua seorsim ecclesia condita fuerunt de poenitentia lapsorum decretis. — §. 11. Et de eccl. Caesareensi in Cappadocia, cujus episc. jam tum in Pontica dioecesi, quam late patebat, τὰ πρωτεῖα in ecclesiasticis tenuit, testantur trea illae Basilii M. ad Amphilochium, Iconii episc., epistolae; de episcopatus Nyssen. ecclesiis Gregorii ad Letoium,

Melitenes episc., epistola; de eccl. Alexandrina praeter *canones*, quos supra commemoravi, Petri Alexandrini, Athanasii ad *Russicianum* epistola, *canonicae* omnes, quas cum Balsamonis et Zonarae *scholiis* exhibet Guil. Beveregius *Tom II. Synodic.* De ecclesiis porro Ancyrana, Neocaesareensi, Laodicena testantur, quae ibidem habita fuerunt concilia, provincialia omnia, quorum decreta non ad unam, verum ad omnes in provinciis singulis sub una metropoli ecclesias pertinebant; cumque in iis simul aliarum, cumprimis vicinarum, saepe etiam remotarum et alterius plane dioeceseos provinciarum episcopi convenerint, ut in synodo Ancyrana, Syriae, Ciliciae, Lycaoniae, Phrygiae, Pisidiae, Pamphyliae, Bithyniae, Cappadociae primae aliarumque provinciarum episcopi, quorum omnes synodo subscripsisse ex actis apparet, postea in suis illos ecclesiis ad normam eorum, quae in provinciali concilio de poenitentia lapsorum decreta fuerant et quae subscribendo rata illi habuerant, cum poenitentibus acturos fuisse, dubium non est, nisi forte a suae dioeceseos metropolitano, quem postea patriarcham dixere, editae peculiares hujus rei leges extarent, quibus adstringerentur omnium, quae ab illius regimine pendebant, provinciarum episcopi. — §. 12. Et sane fuerunt tantae autoritatis haec concilia, ut quotcunque in iis de disciplina, de moribus aliisque compluribus rebus sancitae fuerant, leges ecclesiasticae non ita multo post in unum illae corpus compactae scriptoque mandatae prodierint. Inde conflatus est antiquus canonum codex, quem ante conc. Chalcedonense in suos sibi usus servabat graeca ecclesia, quod ex ipsius concilii actione 4. apparet, ubi Carosi et Dorothei, tum Photii et Eustathii, episcoporum, causae ad illius decreta examinantur. Canones in hoc codice ita dispositi erant, ut Nicaeni in fronte comparerent, propter autoritatem et dignitatem magni illius concilii, quod primum oecumenicum ecclesia christiana celebravit, sequerentur deinde Ancyrani, Neocaesareenses, Gangrenses, Antiocheni, Laodiceni, Constantinopolitani, omnes in 165 capita una continuata numerorum serie digesti, quibus postea a synodi Chalcedonensis tempore ad Dionysium usque, Romae abbatem, cognomento Exiguum, accesserunt Chalcedonenses, postremo Ephesini canones, unde factum, ut ex ista canonum farragine tandem natum fuerit illud codicis corpus, cujus autoritate sequiori aevo, postquam Justiniani *Novella* 131. legum ecclesiasticarum vim obtinuerat, usa est universa ecclesia. In quibuscunque igitur Orientis ecclesiis recepta fuit ante concilium Chalcedonense haec canonum collectio, in iis ita recepta fuit, ut ejus de poenitentia, poenitentiae tempore et in universum de disciplina eccl. decreta pari autoritate donata fuerint. — §. 13. Ad finem vergente sec. IV. majores ad lenitatem progressus in Oriente habuit disciplina severior. Remoto enim in Constantinopolitana eccl. tempore Nectarii presbytero, qui audiendis vacabat poenitentium confessionibus, plane sublata fuit peccatorum privata confessio, sublati etiam, qui poenitentibus hucusque ferendi fuerant, poenitentiae labores adeo difficiles et molesti. Hinc in eccl. Constantinopolitana sensim de disciplinae rigore remissum, facta potestate, *ut pro suae quisque conscientiae ratione* ad mysteriorum communionem accederet, quod Socrates testatur

hist. eccl. 5, 19. Ecclesiae hujus exemplum paulo post secutos fuisse omnium fere ecclesiarum episcopos, diserte affirmat Sozomenus hist. eccl. 7, 16. Facta adeo memorabili rerum conversione, multum de antiquorum rituum severitate, multum de graduum rigore decessit in Orientis ecclesiis et, qui religiose hucusque servatus fuerat, ad illas exomologesis et satisfactionis externae leges lapsis trium, quatuor plurimumve annorum poenitentiam infligendi mos in iis subinde exolevit. *Sola confessione, quae apud Deum fit, in quem solum peccatum*, peccatorum remissionem obtineri, ait Ioannes Chrysostomus, obviis hinc et inde apud eundem hujus rei testimoniis.

II. 3. De disciplina ecclesiae occidentalis primum Hispaniensis. §. 1. Ex Orientis ecclesiis in illas *Occidentis* et primum quidem in *Hispanienses* convertimur, quae severitate in lapsos, in poenitentes rigore Occidentis ecclesias, nisi ceteras omnes, certe illarum plurimas superasse dicendae sunt. Statim cum sec. IV. initio *Eliberis* in concilium, quod Eliberitanum dicunt, Hispaniae doctores congregati fuerant et de conservanda fidei integritate cum vitae sanctimonia consilia ineuntes, disciplinae austeritate intra legis christianae limites continendos esse decreverant, qui proclives haberent ad delinquendum animos. Duriores hinc conditi in illo Patrum consessu de disciplina canones, qui lapsis in crimina, praecipue graviora, poenam proponunt, non secularem, qui poenitentiam iis imponunt non circumscriptam certis annorum terminis, verum qui perpetuam rerum sacrarum privationem iis minantur et communionis recuperandae spem iis omnem et expectationem poenitentibus etiam, etiam morituris, praecidunt. Certe quid durius acerbiusque excogitari poterat iis, quae toties repetita leguntur: *ne in fine communionem accipere*, et quibus suum illud extremum censurae ecclesiasticae genus canones exprimunt? Hunc rigorem experti, qui post baptismum ad idolorum templa sacrificantes accesserant; *flamines*, qui doctrina christiana imbuti post baptismi lavacrum immolaverant, porro, qui filias suas gentilium sacerdotibus elocaverant, qui privignas in matrimonium duxerant, qui geminaverant aut triplicaverant scelera, addito homicidii et moechiae crimine vel qui aliorum, turpium item criminum culpam sibi contraxerant. — §. 2. Non equidem ignoro, agitari inter doctores, qui canones hujus concilii commentariis illustrare aggressi sunt, controversiam, quo illa: *ne in fine communionem accipere*, sensu accipienda sint? Sunt, qui eucharistiam tantum, sunt, qui cum eucharistia omnem simul absolutionem veniamque negatam fuisse dicunt iis, in quos anathematis fulmen adeo horrendum Hispaniae Patres vibraverant. At vero si vel maxime criminum venia excludendi non fuissent poenitentes jam moribundi, summi tamen rigoris erat, post veniam iis indultam eucharistiae communione eos in morte habuisse indignos. Hoc etiam inter alia severitatis exemplo permotus aliquando Caesar Baronius Patres hujus conc. Novatiani erroris fines suis decretis attigisse existimavit eoque nomine de ejus autoritate nonnihil detraxit (*ad ann. LVII.* n. 121,) quamvis reticendum non sit, postea mutasse sententiam virum doctum et disciplinae hujus severitatem eccl. antiquae moribus consen-

taneam agnovisse (*ad ann. CCCV. n. 41.*). — §. 3. Reliqui hujus concilii canones, quamvis aliquanto humaniores, in se tamen spectati rigidi utique sunt in variam genus delinquentium. Quam enim poenitentiam iis imponunt, eam tamdiu trahunt, ut poenitentes non prius, quam vel morti vicinos vel diuturno jejuniorum et orationum labore satis exercitatos in communionem recipiant. Erant haec, quae lapsis in crimina poenitentiae horrorem incutere, ipsorum vero poenitentium animos fere ad desperationem adducere poterant. Et tamen adeo religiose haec servata fuere in *Hispaniae* ecclesiis, ut etiam multo post in irroganda graviter delinquentibus poena decretorum illorum normam doctores secuti fuerint. Id ipsum sexaginta circiter a concilio annis Pacianus voluit, *Barcinonensis* episc., qui nefariis post baptismum criminibus pollutos „flere in conspectu ecclesiae, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, presbyteris advolvi, exoratricem ecclesiam deprecari;" paucisque interjectis „corpus sacco involvere, cinere perfundere, macerari jejunio, multorum precibus adjuvari" hortatur in gravissima sua *paraenesi ad poenitentiam* §§. 111, 116. Id ipsum voluerunt, qui diu post Pacianum eandem corporis subigendi disciplinam poenitentibus praescripserunt, canones, editi in conciliis Caesaraugustano, Toletanis duobus prioribus, Ilerdensi et duobus Bracarensibus. — §. 4. Fuerunt Hispanienses ecclesiae ex earum numero, in quibus, restituta per orbem Christianis tranquillitate, paulo serius atque in aliis in lenitatem conversa est rituum antiquorum severitas. Etenim cum rigor ille, quem inde ab ineunte sec. IV. illibatum servaverant Hispanienses ecclesiae, in quibusdam earum imminutus esset, praesertim ob Arianam haeresin longe lateque in Gothis grassantem, qui Catholicorum concilia aspernabantur; tandem sexto ad finem vergente sec., tertium Toleti convenerunt in concilium congregati sexaginta duo totius Hispaniae episcopi, qui, abjurata publice Arianorum haeresi, de instauranda ad canones antiquos ecclesiae disciplina omni studio animorumque contentione laborarunt. Hinc can. 11. graviter invehuntur in consuetudinem recens introductam, qua lapsi quique, quoties peccandi libidine traherentur, toties editi criminis veniam a presbyteris extorquerent eandemque prius, quam humili ad Deum conversione, cordis totius contritione et poenitentia legibus secundum ecclesiae statuta ad impetrandam pacem digne et sufficienter fuissent praeparati. „Quoniam," ajunt, „comperimus, per quasdam Hispaniarum ecclesias non secundum canonem, sed foedissime pro suis peccatis homines agere poenitentiam; ut quotiescunque peccare libuerit, toties a presbytero se reconciliari expostulent et ideo pro coërcenda tam execrabili praesumtione id a sancto concilio jubetur, ut secundum formam canonum antiquorum dentur poenitentiae, h. e. ut prius eum, quem sui poenitet facti, a communione suspensum, faciat inter reliquos poenitentes ad manus impositionem crebro recurrere, expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probaverit, eum communioni restituat. Hi vero, qui ad priora vitia vel infra poenitentiae tempus vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum severitatem damnentur." — §. 5. Quicquid igitur in conciliis antece-

dentium retro secc. circa disciplinam ecclesiasticam, circa lapsorum poenitentiam breviorem aut diuturniorem statutum fuerat, quicquid laborum cruciatuum, jejuniorum, vigiliarum aliorumque id genus satisfactionis externae operum poenitentibus decretum fuerat, cum determinatione temporis ad tot menses aut annos, pro criminum gravitate et numero, totum id omne instaurarunt, omne servandum poenitentibus praescripserunt hoc canone Patres Toletani. De eo enim jam primo hujus conc. canone inter se omnes convenerant: „Omne quod priscorum canonum autoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum et agatur omne, quod praecipit fieri. Maneant in suo vigore conc. omnium constituta, simul et synodicae sanctorum praesulum Romanorum epistolae.“ Haec autem concilia, quorum autoritatem inviolatam hic esse voluerunt, quae alia fuere, praeter illa, quae modo commemoravi, ex quorum decretis de poenitentia, poenitentiae etiam tempore aliisque compluribus, quae ad conservandam ecclesiae disciplinam recte laudabiliter constituta fuerant, jam liquido constabat. — §. 6. Ad canonum vero antiquorum formam Patribus Toletanis collapsam ecclesiae disciplinam reducentibus, nemo facile sibi persuadeat, eousque eos austeritatis progressos fuisse, ut quibusdam peccatoribus etiam in morte gratiam communionis negaverint, quae poena inter alia suppliciorum genera olim probata fuerat iisdem canonibus. Hoc enim de antiquo rigore remissum, quod, cum in Eliberitano et Caesaraugustano conciliis hoc fulmine quidam enormiter flagitiosi percussi fuerint, tamen hujus conc. Patres mitius cum lapsis acturi, neminem eorum, quem criminis poeniteret, in praesenti vitae discrimine venia rerumque sacrarum communione prohiberi voluerint. Praesto erant conc. generalis et oecumenici canones, etiam pontificum Romanorum epistolae, quarum decreta, aeque ac illa conciliorum, imitanda sibi proponunt, quorum autoritate jam olim peccatoribus quibusvis, etiam obstinatis et nunc demum in exitu poenitentia ductis, facta fuerat haec indulgentia. Ita Innocentius in epistola ad *Exuperium*, episc. Tolosanum, can. 2: „Et hoc quaesitum est,“ ait, „quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt? De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne totum poenitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso communionem abeuntibus dari placuit et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis et ne Novatiani, negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio ut homines hujusmodi, vel in supremis suis poenitentes, a perpetuo exitio vindicentur.“ Eodem modo jam ante Innocentium, exeunte sec. IV. Syricius, Romae episc. apostatas, peccatores extreme improbos, post

poenitentiam pace et venia dignos in morte habendos esse, in sua ad Himerium, Tarraconensem episc. decretali epistola can. 3. decreverat. — §. 7. Neque porro antiquum illum circa relapsos rigorem Patres Toletani revocasse dicendi sunt, cum ad canonum priorum severitatem in eos animadverti jubent, qui post poenitentiam veniamque semel recuperatam criminum eorundem sordibus inquinati fuerant. Sanctior disciplina hinc et inde in Hispaniae ecclesiis adeo a prima severitate degeneraverat, ut peccatoribus semel enormiter delinquentibus, iterum iterumque delinquentibus, quoties poenitentiam simularent, toties daretur criminum venia. Adeo nefarios eorum conatus ut illi comprimerent, criminibus semel quidem obstrictos post elapsum satisfactionis canonicae tempus ecclesiae decreverunt esse restituendos; iterum autem obstrictos antiquioris disciplinae rigori ita subjecere, ut in squalore et luctu vitam omnem transigerent et nonnisi in exitu pacis ecclesiae et communionis participes redderentur. Scilicet haec erant, quae jam olim a sede Romana decreta fuerant can. 5. modo laudatae epistolae, quam ad Himerium, Tarraconensem, Syricius dederat: *De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova conjugia et inhibitos denuo appetivere concubitus. De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jugantur; sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti et ipsi in se sua errata castigent et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscoenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, qua se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.* Non alio igitur, nisi quem illa Syricii patiuntur, sensu conc. Toletani de poenitentia relapsorum decreta accipienda esse, existimo. Mittenda fuerat epistola ad *Himerium*, ut unicuique episcoporum de argumento illius constaret, in omnes totius Hispaniae provincias, quod ex fine ejus apparet. — §. 8. Quam in custodiendis iisdem praesulum Romanorum decretis religiosi, quam servata a majoribus disciplinae retinentes Hispani fuerint, cum multa probant, tum maxime illud, quod sec. VII. conciliorum omnium canones, eousque ab ecclesia conditos, cum decretalibus pontificum Romanorum epistolis, quae tot seculis, praesertim ad Hispanos scriptae fuerant, uno eodemque codice asservari et per universas Hispaniarum ecclesias disseminari curaverint, quo, quid vetarent juberentue canones, nemo non haberet probe perspectum. Edita jam ante fuerat hujus generis *Canonum Collectio*, quam inde a sec. VI. in suos sibi usus servabat Hispaniensis ecclesia. Huc faciunt canones 17. synodi Bracarensis I. Relecti sunt ex codice coram concilio tam generalium synodorum canones, quam localium, et 4 conc. Toletani IV. ut diaconus alba indutus codicem canonum in medio proferens, capitula de conciliis agendis pronuntiet. Verum antiquo illi, qui tum

Hispanis in usu erat, canonum codici recognoscendo simul et augendo postea locum dederunt, quae hinc et inde conecta necdum relata in eum fuerant aevi recentioris concilia. Inde nata fuit nova conciliorum et pontificiarum epistolarum collectio, sec. VII. eodemque medio, tempore Isidori, Hispalensis, in usum Hispaniensis ecclesiae concinnata et in duas partes divisa. Prima concilia quatuor generalia et oecumenica cum quibusdam ecclesiae Orientalis provincialibus, concilia porro Hispaniae, Africae etiam et Galliae exhibet; secunda, decretales pontificum Romanorum epistolas a Damaso usque ad Gregorium Magnum, cujus ad Recaredum, regem Gothorum ep. pars posterior clauditur; sicuti in illa priori, quam concilia totam occupant, nullum vel Graecorum vel Latinorum habetur, Toletano IV. quod in annum 633. incidit, posterius. Nec facile quis existimabit, hanc collectionem, quod praeter concilia domi celebrata complures eidem Africae et Galliae synodi compilatoris studio accesserunt, idcirca Hispanam, aut in usum Hispaniensium ecclesiarum adornatam non fuisse. De Hispanis enim jam pridem observatum, studiosos et amantes semper visos esse canonum Galliae, quorum saepe verbis et sententiis, etiam ubi eos non nominant, canones suos instituunt; quod et Tarraconensis, Ilerdensis et Valentini, Hispaniae conciliorum, quae canones Galliae, quorum autoritatem sequerentur, non dissimulanter sibi proposuerunt, exemplis probatur. Afrorum vero constat eam fuisse superioribus secc. apud omnes existimationem, ut eorum canones aliae subinde ecclesiae, praesertim quae iis contiguae affinitate viciniae jungerentur, adoptaverint et, quoties rei usus ferebat, imitandos omnino duxerint. — §. 9. Haec quamvis insigne testatum facerent circa fidem et disciplinam ecclesiae decreta quaevis posteris conservandi et ad normam illorum hominum animos dirigendi Patrum Hispaniae studium; parum tamen iis erat, in unum volumen compegisse integra conciliorum instrumenta totasque sedis Romanae praesulum epistolas, nisi et decreta quaeque in certum digesta ordinem et suis titulis capitulisque distincta peculiari codice consignarentur, quo sibi quisque quod vellet, hauriret inde facilius et quasi in numerato haberet. Hinc tandem circa sec. VII. finem aut VIII. initia natus est canonum codex amplissimus, ex primigenia Collectione in ejusdem ecclesiae usum conflatus, qui liber canonum sanctorum Patrum inscriptus, concilia Hispaniae ad synodum usque inter Toletanas 16. nec quicquam illa recentius, exhibet. Codex ille, inconditae molis volumen, decem libris absolvitur, quorum singuli plures in titulos, ut et tituli plura in capitula abeunt. Quicquid igitur disciplinae, quicquid poenitentiae et poenarum, quas criminum suorum lapsi pendebant, tum apud Hispanos erat, illud omne canonum codex comprehendebat, in quo conficiendo poliendoque adeo laudabile studium Patres Hispaniae collocaverant.

II. 4. De disciplina ecclesiae Romanae. §. 1. Delata in Occidentem evangelii luce, una ex celebratissimis nominis christiani ecclesiis fuit Romana ecclesia, cujus fidem et obsequium, quae late per orbem praedicarentur, in sua ad eam epistola celebravit apostolus. Certe in conservandis, ut fidei et doctrinae, ita et disciplinae morumque prae-

ceptis eximiam et singulare illius studium extitit, maxime cum sub tyrannorum regimine, alia post aliam gravi exorta tempestate, quaquaversum exposita esset hostium incursionibus. Disciplinae vero totius rationem statim ut a prima hujus ecclesiae origine deducam, certum utique est, quod illa aevo apostolorum rituum simplicitatem et mansuetudinem Christianorum, qui non aliam, quam Scripturae canonem, fidei vitaeque normam habebant, non exierit. Qui enim in crimina lapsi fuerant, eos ad aliarum ecclesiarum exemplum post poenitentiam eandemque nulli aut dierum aut hebdomadum, mensium aut annorum numero adstrictam, brevem sane, modo sincera erat, suae illa communioni restituit. Nihil tam satisfactionis, nihil poenae canonicae in criminum expiationem poenitentibus irrogatum, quicquid etiam hujus comminiscantur, qui constitutiones, quae sub *apostolorum* nomine circumferuntur, ceu vere apostolicas laudant omnique id agunt conatu, ut eandem cum genuinis antiquitatis apostolicae monumentis iis auctoritatem asserant. *Castiga illum jejuniis duarum aut trium aut quinque aut septem hebdomadum, ut delicti genus et ratio poposcerit; atque ita dimitte eum*, ait constitutionum auctor 2, 16. de ejecto ex ecclesia, sed poenitente. Verum quis est, qui ignoret, quam incerto fundamento nitantur constitutiones, quam multa in iis inveniantur, quae apostolorum gravitate et genio plane indigna sunt, quamque exiguo hinc sui laboris pretio hunc foetum adulterinum a *νοθείας* suspicione liberandum nonnulli susceperint? Ipse Rob. Bellarminus, quod *in ecclesia Latina nullum fere habeant nomen, quod non pauca, quae abhorrere videantur a veritate, in iisdem habeantur* probavit. Et in hanc Bellarmini sententiam ingressi fuere praeter Jac. Usserium (in *Prolegomen. ad epistolas Ignatii cap.* 6 *ss.*) Joh. Dallaeum, Abrah. Rivetum, Reformatos doctores, ex Romanensibus viri doctissimi, Dion. Petavius, Petr. Halloixius, Nat. Alexander. Neminem porro in diversum trahat Pii, pontificis, qui circa medium fere sec. II. sedem Romanam gubernavit, decretum, quod ex Gratiano Franc. Pagi (in *breviar. pontific. Romanor. I.* 27.) exhibet, plane quidem ad eorum, qui poenitentiam lapsorum certi ac definiti cujusdam temporis legibus circumscriptam fuisse contendunt, sententiam accommodatum, si modo fide majori, quam constitutiones apostolorum, dignae essent Romanorum pontificum a Clemente ad Syricium usque decretales epistolae. Convenit inter eruditos, hisdorum fuisse Mercatorem, qui has decretales epistolas ex variorum scriptorum sententiis centonum instar consutas affinxerit secc. priorum ecclesiae Romanae episcopis. — §. 2. Haec igitur antiquitatis ecclesiasticae monumenta, quae tantopere suspecta sunt eruditis, cum inter authentica eorum, quorum nomina mentiuntur, scripta referri nequeant, nihil etiam inde testimonii sententiae eorum accedet, qui lapsos in crimina poenis et laboribus apostolica illa et proxime insequenti aetate ecclesiae reconciliatos fuisse docent. Quo autem mitius humaniusque poenitentes tum habiti, eo certe severior circa eosdem disciplina postea in ecclesia Romana obtinuit, adeo ut, qui post baptismum peccarent, non neque facile ad poenitentiam et communionem admitterentur, inpri-

mis vero ii, qui idololatriae, moechiae et homicidii, criminum attrocissimorum, rei invenirentur, adeo gravem ecclesiae reprehensionem incurrerent, ut ne in morte quidem etiam poenitentibus data fuerit peccatorum tam enormium venia. At ille doctorum zelus, cum aliis, qui aequiori in lapsos animo erant, inconsultus et praeterea a Montanistarum, qui hoc nomine erroris postularentur, in lapsos rigore alienus non esse videretur, factum hinc, ut in Romana ecclesia de disciplinae hujus severitate sensim remitti et moechis post poenitentiam venia criminum indulgeri coeperit, primum quidem sub Zephyrino, qui, exeunte sec. II. fuit sedis Romanae episcopus. Juvat audire Tertullianum, qui adulteros, peccatores extreme inprobos, pace dignos haberi in Romana ecclesia, tanquam novum et inauditum exhorret (*de pudicitia I.*): *Audio*, inquit, *edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit: bonum factum.* Et (cap. 5) Tertulliano iterum vapulat Zephyrinus, quod, qua pace donaret adulteros, eam homicidis negaret et idololatris. *Quid agis mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis; bonus enim pacifici; aut si non omnibus nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatriae successorem, homicidii antecessorem, utriusque collegam.* — §. 3. Et Joh. quidem Morinus in suo de *poenitentia* opere homicidis et idololatris, cum poenitentia ducti ad Deum conversi fuissent, perinde ac moechis aditum ad ecclesiam in illa Romana patuisse, contra Tertullianum Zephyrino episc. inhumane conviciatum fuisse, ait (IX, 20. p. 672). Eandem cum Morino sententiam sibi elegit Nat. Alexander (*dissertation. 7. in histor. eccles. sec. III. p.* 662.). At ita sentiunt, qui seculi sui moribus consuetudines antiquas et obsoletes veteris ecclesiae ritus metiantur. Dixi jam supra, primitivam ecclesiam, ut improborum peccandi libidines frangeret, adeo exquisita quibusdam lapsorum decrevisse poenarum supplicia, ut, qua exciderant rerum sacrarum communione, eam ne quidem in morte recuperare potuerint. Haec disciplina severior illo austeriori Tertulliani seculo ecclesiae et Africanae et Romanae sub Zephyrini episcopatu communis fuit. Non loquor de peccatoribus, qui levem in se culpam admiserant. Cum iis enim humanius actum fuisse, exemplo nobis est quidam Natalis nomine confessor, qui poenas admodum breves Zephyrino dedit erroris, in quem trahi se passus fuerat, ut Eusebius testatur hist. eccl. 5, 28. Verum de peccatoribus loquor, qui atrocia et nefanda crimina, illa moechiae, homicidii et idololatriae crimina, quae omnium gravissima habebantur, quae seculi leges sanguine vindicabant, incurrerant. Et in eorum autores sui rigoris exempla tum ediderant doctores, adeo, ut nec poenitentibus nec in praesens vitae discrimen adductis subveniri fas fuerit; non quod ignoscendi vel iis ecclesiae potestatem illi abjudicaverint, qui perversus Montani error erat, sed quod aliis, qui forte similia peccaturi erant, extremo hoc disciplinae rigore peccati odium incussuros se esse existimaverint. De hoc igitur cum Zephyrinus remisit et moechos post poenitentiam pace dignos, homicidas

cum idololatris eadem indignos habuit, quis quaeso Tertullianum, qui graviter admodum et indigne hoc indulgentiae genus tulit, statim aut mentitum aut Romanae ecclesiae existimationem invidiose criminatum fuisse dixerit? — §. 4. Neque etiam posteriori aetate, cum ab inferendis cruciatibus nondum desisterent christianae religionis hostes, tantum de animadversionis hujus severitate decessit in Romana ecclesia, ut peccatorum cuique, etiam poenitenti, sine delectu et discrimine indulgenda fuisset criminum venia. Extitit circa medium sec. III. Decius, qui in imperio confirmatus persecutionem in Christianos molitus est, gravem et cruentam, in qua multorum martyrum sanguine nobilitata fuit Dei ecclesia. Passus est ipse Fabianus, Romae episc. Sed ingentem etiam illa lapsorum peperit numerum, qui tormentorum acerbitatem vel experti vel expavescentes a fide defecerant. Sede Romana tum ultra annum vacante, cum ob rerum calamitates eligendi novi episcopi non daretur copia, causam lapsorum, qui pacem ecclesiae importune postulabant, examinandam suscepit clerus Romanus. Diu ancipitem eum suspensumque tenuit tam grave ecclesiae negotium. Tandem collatis cum episcopis aliarum provinciarum etiam remotissimarum sententiis consilio haud praecipiti et immaturo lapsos in communionem recipiendos decrevit, verum non omnes, nec sine discrimine, quamvis poenitentes, solum morti vicinos, qui signis quibusvis externis animum criminis poenitentem abunde declararent. Huc referenda est cleri Romani epistola (inter Cyprianicas ordine 30.), qua hujus sui decreti certiorem fecit Cyprianum: *Cujus*, inquit, *temperamenti moderationem nos hic tenere quaerentes, diu et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur. Eorum autem, quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta poenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere poenitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri.* Quam anxia et diuturna deliberatio, priusquam de lapsis et poenitentibus, jam morti vicinis ac fere desperatis, nunc demum recipiendis iisdemque insuper caute et sollicite recipiendis inter se illi conveniant, de quo utique deliberandum non erat, si tum legitimum fuisset, poenitentium neminem in exitu vitae communione arceri; deliberare enim de iis, quae nota in vulgus erant, hominum erat, consuetudinum ecclesiae plane imperitorum et rudium. Quare etiam reliquorum, quamvis poenitentium, sed quibus ex morte non imminebat periculum, causam suspendunt, donec episcopus constitueretur, *qui omnia moderari, et eorum, qui lapsi fuerant, cum auctoritate*, ut ajunt, *et consilio rationem habere posset*, quo simul apparet, suis limitibus circumscriptam fuisse, sede episcopali vacante, presbyterii potestatem. — §. 5. Decio imperatore rebus humanis nondum sublato at persecutione sensim defervescente, sedis Romanae vacantis administra-

tionem suscepit Cornelius, cui statim a sua electione laborem et molestiam tanto quidem majorem causa lapsorum creavit, quanto acriores erant contentiones, quae inter Novatianos et Catholicos de poenitentia lapsorum in Romana ecclesia nuper exortae fuerant. Rem ut ordine exponam, tenendum, disciplinam Romanae ecclesiae sedente Cornelio accessisse ad illam, quae sub Cypriani episcopatu recepta fuit Carthaginensi ecclesiae. Utraque metropolitana erat, Africae altera, altera Italiae. Quae in una ecclesiarum constituta fuerant, eadem rata habuit earum altera, unde factum, ut mutua utriusque officia multum ad comprimendos Novati et Novatiani, schismaticorum, tumultus, hinc ad servandum disciplinae tenorem valuerint. Et Romae quidem Cornelius, cum in sede episcopali adversus Novatiani molitiones satis munitum se esse videret, anno sec. sui 51 concilium convocavit, numero, quam potuit, copiosissimo eidemque causam lapsorum excutiendam dedit, ne in tam gravi ecclesiae negotio suo solius judicio stare videretur. Concilii hujus convocandi occasionem praebebat synodus, quam paulo ante, mense nimirum Majo ejusdem anni, primam Carthagine Cyprianus congregaverat cujusque decreta singulari inscripta libello missa fuerant ad Cornelium. Romae igitur convenerunt sexaginta episcopi et multo plures presbyteri et diaconi, autore Eusebio hist. eccl. 6, 43. quorum omnes re diu multumque deliberata tandem in unam eandemque de lapsis, ne omni communione excludendis, nec etiam temere, verum suo post poenitentiam tempore recipiendis, ivere cum Africanis doctoribus sententiam: *Τοὺς τῇ συμφορᾷ περιπεπτωκότας τῶν ἀδελφῶν λύσθαι καὶ θεραπεύειν τοῖς τῆς μετανόιας φαρμάκοις*, ait Eusebius, quod et ipse confirmat Cyprianus in epist. ad *Antonianum: Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium, collegam nostrum, qui et ipse cum plurimis coëpiscopis habito concilio in eandem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit.* Finito concilio, decreta ejus cum ecclesiis longe dissitis communicavit Cornelius, et qui ex Italiae episcopis in illo non comparuerant, eorum seorsim postulavit sententias, de singulis vero certiorem literis fecit Fabium, Antiochiae episc., quod eodem loco affirmat Eusebius. — §. 6. Aequitate igitur hujus decreti temperata fuit primum, opinor, aetate Cornelii in *ecclesia Romana* disciplinae antiquioris severitas, adeo ut post exactitas poenitentiae labores jam quorumcunque criminum reis recuperandae salutis spes superesset, etiam idololatris, crimine atrocissimo laborantibus, acerbe hoc indulgentiae genus perstringente Novatiano, qui ad peccatorum tam gravium enormiumque remissionem potestatem ecclesiae extendi posse praefracte negabat, quo etiam nomine cum suis in synodo Romana anathemate percussus fuerat. Refert vero hic monuisse, quod cum lapsos in idololatriam poenitentiae cum concilio addixit Cornelius, huic potissimum legi subjecti fuerint Thurificati et Sacrificati, qui in aris deorum aut fumigando aut hostias immolando daemonum mensae participes facti fuerant. Ii enim mox a finito concilio ad ecclesiae communionem admissi, qui, ne in vitae discrimen vocarentur, ne bonorum jacturam facerent aut libellis sibi oblatis nomina subscripserant, aut

pretium pacti provinciarum praesidibus, pecunia securitatis libellos redemerant, plane ad decretum Carthaginensis concilii, quo eadem facta fuerat *Libellaticis* poenitentibus indulgentia. Parem cum iis ecclesiae favorem tum experti *Maximus, Urbanus, Sidonius* et *Macarius*, confessores Romani, qui postquam vinculis liberati fuerant, in Novatianorum errores desciverant suoque accessu maximum schismati luctuoso robur adjecerant, quorum reditum Cornelius Cypriano significavit epist. 49. per Nicephorum acoluthum missa. Receptus etiam fuit Trophimus quidam, apostata, cui post criminis confessionem, quicquid poenitentiae fuit, a Cornelio condonatum, ob ingens, quod in ecclesiam redundabat, emolumentum ex Trophimi hujus et eorum reditu, quos suo ille exemplo in lapsum praecipites egerat, *quique ad ecclesiam regressuri non fuissent, si cum Trophimo comitantis non venissent*, ut ad Antonianum Cyprianus scribit ep. 55. — §. 7. Lapsis etiam in idololatriam Thurificatis et Sacrificatis, quibus poenitentia diuturna ex concilii decreto crimina expianda erant, anno proxime sequenti 52. facta fuit poenarum relaxatio, occasione belli illius, quod Vibius Gallus et Volusianus imperatores non diu a suscepto regimine in Christianorum interitum ciebant, de cujus causa locus erit dicendi paulo inferius. Cornelius statim a persecutionis exordio in exilium pulsus, obiit, cui successor datus est in sede Romana Lucius. Et jam ante, quam urbe exularet, Cornelius poenitentibus, pace maturius data, omne quod reliquum erat poenae canonicae condonaverat. Ita nempe visum fuerat Cypriano, qui, ut ad instantis proelii, de quo ex revelatione ipsi constabat, pugnam armaret poenitentium animos, iterum habita Carthagine synodo, prioris decreti severitatem acquiori sententia mitigaverat, quae postea ad Cornelium missa, in favorem etiam cessit poenitentium in Romana ecclesia. Huc referenda Africanae ecclesiae synodica ad Cornelium epistola, una cum illa, quam Cyprianus ad eundem in exilio agentem scripsit (inter Cyprianicas 57 et 60). — §. 8. Sanctiorem hanc legem, quae lapsorum quemquam post poenitentiam communione privari vetabat, intemeratam sub insequentium episcoporum regimine servavit Romana ecclesia. Tantum exomologesi et poenitentiae professioni externae sequiori aetate accesserunt, quae poenitentibus valde difficilem fecerunt ad ecclesiam reditum. Quatuor illi poenitentiae publicae gradus, labores, vigiliae et jejunia cum aliis, quae corpus premebant, satisfactionis canonicae operibus diu multumque eos exercuerunt, antequam ad interiora sacrorum admitterentur, nec facile prius admissi, quam tempus, quod canonibus definitum fuerat, in luctu exegerant. Hoc sensu accipienda sunt, quae Hieronymus scribit in ep. ad Oceanum: *In ecclesia Romana peccator saccum induebat; ante diem paschae in ordine poenitentium stabat; peccatum publice fatebatur, episcopo, presbyteris et omni populo collacrymantibus*; quo etiam faciunt illa, quae de poenitentiae apud Latinos, ac praecipue Romanos, ritu commemorat Sozomenus hist. eccl. 7, 16: Ἐνθάδε ἐκθηλός ἐστιν ὁ τόπος τῶν ἐν μετανοίᾳ ὄντων. Ἑστᾶσι δὲ κατηφεῖς καὶ οἱονεὶ πενθοῦντες. Ἤδη δὲ πληρωθείσης τῆς τοῦ Θεοῦ λειτουργίας, μὴ μεταλαγχάνοντες ὧν μύσταις θέμις, σὺν οἰμωγῇ καὶ ὀδυρμῷ πρηνεῖς ἐπὶ γῆς ῥιπτουσι σφᾶς κτλ.

Atque hanc disciplinam, quam circa lapsos et poenitentes servavit Romana ecclesia, ob summam, qua inter reliquos Occidentis episcopos ille Romanus eminebat, autoritatem, ecclesias nisi per Italiam omnes, certe sububicarias, quae ab ejus regimine pendebant, secuturas fuisse, dubium non est, tantum illud monendum, quod de disciplina Mediolanensis ecclesiae seorsim nobis constet ex libris de poenitentia, quos Ambrosius scripsit, Mediolani episcopus.

II. 5. De disciplina ecclesiae Africanae. §. 1. Romanam ecclesiam in reducendis in viam peccatoribus cum *Africana* multa habuisse dixi communia; igitur opportunus erit dicendi de ejus disciplina locus. Unus ex primis, qui ab aevo apostolorum in Carthaginensi ecclesia docuerunt, Tertullianus, presbyter fuit, doctor rigidissimus et disciplinae austerioris sec. suo tenacissimus, qui post baptismum in illa atrocia idololatriae, moechiae et homicidii crimina lapsos venia et communione dignos nec poenitentes nec moribundos habuit. Et ideo crimina immudabilia, irreconciliabilia et irremissibilia ea ille vocabat, quia remittendorum eorum Deum ecclesiae potestatem fecisse negabat. Ita quidem Tertullianus, postquam a veritate in Montani errores declinaverat. At vero fuisse praeter Tertullianum, in Africana provincia etiam ex doctoribus catholicis, qui graviter peccantibus poenas aeque duras vel morientibus ad aliarum ecclesiarum exemplum decreverint, Cyprianus testatur in ep. ad Antonianum: *Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt.* Qua pace exclusi fuere adulteri, eadem etiam idololatrae prohibiti fuerunt cum homicidis. Nemo vero ejusdem cum Tertulliano erroris hoc nomine eos arguat. Quam enim Montanus ecclesiae potestatem abjudicavit, eam non quidem illi in ecclesia desiderarunt, tantum hoc suo et ecclesiae jure, quamvis uti se posse haud ignorarent, uti tamen noluerunt, non alio certe concilio, quam ut poenae severioris metu a tam gravibus peccatis Christianorum animi, quantum fieri posset, deterrerentur, — §. 2. Huic rigori adsuetos olim fuisse Africanos doctores, ipsa comprobat disciplinae ratio, quam post sui episcopatus initia cum lapsis et poenitentibus Cyprianus Carthaginensis servavit, quamvis sub ejus regimine de illius severitate multum subinde decesserit. Quicquid Cyprianus in causa lapsorum ad concilium usque Carthaginense II. egit, totum id omne complexus est ep., quam ad *Antonianum*, Numidiae episc., dedit, prolixam sane atque insignem et ad illustrandam hujus argumenti historiam apprime comparatam. Circa anni 49. finem, aut proxime ineuntis initia sec. III. grave adversus ecclesiam bellum parabat Decius. Primum jactabat minas, non diu post in provincias emanabant ejus de Christianis tollendis edicta. Et Carthagine, ut e Cypriani epistolis constat, primus impetus populi erat furentis in episcopum, plane ad exemplum principis, qui Fabianum, episc. Romanum, primo loco tollendum, censuit. Exorto hinc motu vehementi, Cyprianus saepe quaesitus, saepe ad leonem in circo, in amphitheatro clamore populi postulatus, tandem Dei jussu secessit, propter quietem fratrum publicam, quod se unum prae aliis

expeti et sui unius invidiosa praesentia populi clamitantis furorem accendi intellexerat. — §. 3. Cypriano fugato et proscripto, statim a persecutionis initio Christianorum alii, edita confessione, in carcerem conjecti, alii in exilium pulsi sunt, primum autoritate magistratus, deinde proconsulis, qui post suum Carthaginem adventum Christianis severiorem se praebuit multoque acerbius eos afflixit. Unde factum, ut, qui violentiam magistratus et populi frementis impetum antea vicerant, jam, cum proconsulis consilio poenis gravioribus excruciarentur, tandem vi tormentorum subacti a fide defecerint. Atque haec est illa lapsorum multitudo, quam toties luget Cyprianus serm. de Lapsis: *Ad prima statim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem suam prodidit.* Innotuere tum in ecclesia *Sacrificati*, *Thurificati* et *Libellatici*, lapsi omnes, qui a diversis apostasiae et scelerum gradibus, diversis veniebant nominibus, quibus oppositi *stantes*, qui post veritatis confessionem etiam torti insuperabiles steterant. — §. 4. Jam cum persecutionis aestus paulum deferbuisset et lapsi martyres importune adeuntes ad indulgentiae libellos impudenter ab iis extortos pacem ecclesiae temere postularent, adhaec Novatus cum quibusdam presbyteris-quoscumque lapsos, nondum exomologesi facta, tantum quod martyrum libellis fuerant commendati, in communionem reciperet: exorta hinc fuit in Africana eccl. controversia, quae Cypriano et in reliqua provincia per aliquot civitates episcopis summam creavit molestiam. Et Cyprianus, in suo secessu delitescens, cum eorum, quae Carthagine agebantur, certior factus esset, primum quidem, ne disciplinae a majoribus servatae quicquam decederet, datis ad confessores, ad clerum Carthaginensem et ad plebem tribus epistolis (ordine 15—17. ad numeros Pearsonii) ulli lapsorum ante restitutam matri, ecclesiae, pacem conciliumque aliquando habendum criminis veniam dari vetuit. Postea vero ille, cum secum reputaret, aestatem jam coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus eam gentem infestare solebat, scripsit ad clerum Carthaginensem ep. (18.) qua ad comprimendos lapsorum impetus, emollito prioris decreti rigore, lapsos in poenitentiae decursu e morbo decumbentes eosdemque martyrum suffragiis adjutos, in exitu recipiendos esse, decrevit: *Ut, qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint — — et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentia imposita veniant ad Dominum cum pace*, et in ep. proxime sequenti (19) ad eundem clerum adversus lapsos, pacem praepropere flagitantes, huic sententiae Cyprianus standum omnino putavit, de qua etiam paulo post peculiarem (20) dedit ad clerum Romanum epistolam. — §. 5. Quid vero sperandum iis, qui libellorum favore destituti, criminum veniam immoderate postulabant? Plane ii arcendi erant ab ecclesiae foribus, a societate communionis rerumque sacrarum, quocunque tandem nomine venirent, usu, donec reddita ecclesiae pace publica et congregato in synodum clero cum stantibus laicis causas illorum communi consilio examinandi daretur copia, ut diserte in ep. 19. Imo vero, quae seriam ejus inhaerendi huic pro-

posito voluntatem oppido comprobant, Cyprianus eo usque progressus est, ut illorum, qui nimium properarent conciliique sententiam expectare nollent, crimina, effuso sanguine, martyrii gloria expiari, quam veniam ab ecclesia iis concedi maluerit atque adeo eosdemque hortatus fuerit, ut, quam veritatis doctrinam coram gentilibus nuper negassent, illam ipsam coram eodem judicis tribunali iterum iterumque confiterentur. *Qui si nimium*, ait, *properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus, quam postulant, largiente*; non tantum pacem et, quam postulant, ecclesiae communionem, verum etiam coronam martyrii. Pergit Cyprianus: *Acies adhuc geritur et agon quotidie celebratur; si commissi vere et firmiter poenitet et fidei calor praevalet: qui differri non potest, potest coronari.* Societatem porro cum iis inire nefas. Adeo namque vile et abjectum Cypriano nomen illorum erat, ut velut *καθάρματα* eos habuerit. Huc referenda 34. ad clerum Carthaginensem epistola, qua severe interdixit omne cum iis familiare commercium, alioquin fore, ut, qui temere iis immiscerentur, eandem vel ipsi cum lapsis poenam incurrerent. Igitur de in praesenti quidem mortis discrimine pacem iis indultam fuisse, ex iis, quae dixi, constat. Alioqui nullo a se invicem discrimine distinctum fuisset utrumque lapsorum genus, quorum tamen prius, quod martyres libellis sublevaverant, Cyprianus praerogativa gaudere voluit. Ita simul confirmantur, quae dixi, solenne fuisse etiam Africanae eccl. doctoribus, peccatoribus effuse petulantibus, quales cumprimis habuere apostatas, pacis recuperandae spem omnem et expectationem etiam morientibus praecludere illamque duram legem ne quidem a Cypriano statim post episcopatus primordia antiquatam, tantum ejus severitatem ex parte mitigatam fuisse. Ecquid enim attinebat, lapsis, qui libellorum praesidio nitebantur, dare communionem, eam negare ceteris, si morientium nemini, neganda fuisset communio? — §. 6. Persecutione paulum sedata, Cyprianus e secessu, quo diu se continuerat, Carthaginem rediit. Jamque omni studio animique contentione in id incubuit, ut causas lapsorum, quorum ad martyres concursus ingentem dederant in Africana eccl. strepitum, examinandas componendasque susciperet. Igitur cum episcopis, qui ex provincia sua in metropoli convenerant, post selennia paschatos ann. 251 primum celebravit Carthaginense concilium, de quo ipse literis ad Antonianum: *Secundum quod tamen ante fuerat destinatum, persecutione sopita cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus episcoporum numerus — — in unum convenimus.* Diu continuatum, saepius prorogatum fuit concilium. Tandem post Felicissimi et Novati cum quibusdam presbyteris, qui luctuosi in Africa schismatis autores fuerant, ab ecclesia separationem, scripturis diu ex utraque parte prolatis, de causa lapsorum synodice decretum: Primo, *ne in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur*, contra *Novatiani* sententiam; secundo, *ne censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent*, contra *Felicissimi* factionem. Postea canonum libellus, qui singula decretorum capita continebat, a synodo ad Cornelium, Romanum episc., missus fuit et ad illos, qui Carthagine praesentes non fuerant, in Africana provincia episcopos. — §. 7. Sen-

tentia igitur hujus concilii lapsi in crimina, qua peccando exciderant ecclesiae communione, ei quidem restituendi fuere, sed non temere, non inconsiderate restituendi. Quare non satis erat, qualitercunque aut perfunctorie delibasse, quae exomologesis publicae erant: *Longam et plenam poenitentiam* Cyprianus requirit in ep. ad Antonianum et saepe in aliis: *ut diu trahatur*, ait, *poenitentia, ut agant poenitentiam lapsi justo tempore; ut non ante legitimum et plenum satisfactionis tempus pax concedatur*, iisque opponit *veniam crudo tempore factam*. Haec autem lapsorum exomologesis quamdiu trahenda prius fuerit, quam longam illi et plenam ad mentem Cypriani poenitentiam egisse dici potuerint, non adeo in promtu est definire, siquidem ille certis criminibus certarum annorum poenitentiam definiendi mos, qui probatus fuit sequioris aevi doctoribus, in Africana eccl. Cypriani aetate nondum invalucrat. — §. 8. Quod vero praetereundum non est, plenae hujus et quae diu trahenda erat, poenitentiae legi tantum Sacrificatos et Thurificatos, non vero Libellaticos, cum synodo Cyprianus addixit. Qui enim, ne in vitae discrimen adducerentur, ne principis de cultu deorum legibus morem gerere cogerentur, pro securitatis libello pretium pacti fuerant provinciarum praesidibus, cum crimine adeo atroci haud tenerentur, quam Sacrificati, cum iHis mitius agendum censuit Carthaginensis eccl., et quod ad criminis expiationem, persecutione adhuc fervente in poenitentia tempus Christianorum more consumserant, in plures illud post synodum annos extendi noluit. *Et ideo placuit, frater charissime, examinatis causis singulorum, libellaticos interim suscipi*, scribit Cyprianus in ep. ad Antonianum. Ita namque prudenti consilio poenam et poenitentiae tempus ad rationem delicti Cyprianus accommodavit. Grave erat, simulasse gentilem, christianae doctrinae renunciasse libello et sanctiorem eandem habuisse animo; multo utique gravius, idolis sacrificasse aut in focis eorum fumigasse. Hinc quanto atrociora horum crimina erant, tanto etiam diuturniori poenitentiae Cyprianus eos subjecit, non prius recipiendos, nisi aut justo post longam et plenam poenitentiam tempore aut si graviori morbo conflictarentur. Tunc enim fas erat, etiam eos in exitu et cum jam morientibus similes essent, facere communionis participes. — §. 9. Huic decreto sua etiam tamdiu autoritas constitit, quamdiu pace et libertate fruebatur Carthaginensis ecclesia. At vero cum post brevem tranquillitatem novum eidem bellum immineret, ad cujus pugnam armandi erant poenitentium animi, Cyprianus habita temporis ratione de prioris decreti severitate remittendum jam censuit. Post Decii interitum summa rerum delata fuerat ad Gallum et Volusianum, qui post felices, ab initio rerum in imperio eventus, cum cuncta ex animi sententia succederent, gravi deinde in ecclesiam persecutione saevire coeperunt, de qua Dionysius Alexandrinus apud Eusebium hist. eccl. 7, 1. — §. 10. Persecutionis causa et origo repetenda a lue, quae aliquas imperii partes invaserat et cum magis et magis ea ingravesceret, Gallus et Volusianus ad aras deorum suorum confugientes hostias immolabant, nummos etiam cudi curabant cum inscriptione: Apollini salutari, (referente Jo. Pearsonio *in annalib. Cyprianic. ad annum* 252.). Maxime vero Christia-

norum strage numina adversa placatum iri credebant. Quare cum sacrificia, quae proposito edicto populos celebrare jubebatur, pro reipublicae salute facere Christiani religioni sibi ducerent, gentilium adversus eos, ceu atheos impios et profanos homines, furor accensus est. Hanc persecutionem, illa Deciana multo acerbiorem fore, Cyprianus praedixit in ep. ad *Cornelium* (57): *Diem certaminis appropinquasse; hostem violentum cito contra nos exsurgere, pugnam non talem, qualis fuit, sed graviorem multo et acriorem venire.* Itaque lapsi poenitentes ut ad imminentis proelii certamen praeparatos haberent animos, poenam iis decretam jam mitigari, aequum et ex ecclesiae usu fore Cyprianus existimavit, ne poenitentiae diuturnioris rigore ad desperationem adducti, criminum, aut eorundem aut etiam graviorum, ad evitandos futuri supplicii cruciatus culpam sibi contraherent novamque adeo facerent nomini christiano injuriam. — §. 11. Anno igitur 252 Cyprianus cum episcopis, qui post solennitatem paschatos Carthaginem venerant, concilium celebravit Carthaginense II. mense Maio, ut intelligitur ex ejus ad Cornelium epist., qua et hujus mentionem injecit, et alterius, quod anno superiori habitum fuerat. In hoc concilio facta poenitentibus lapsis indulgentia et, quod reliquum fuit poenae canonicae, illud omne iis condonatum, ex decreto, quod Cyprianus cum praesentibus condidit: *Eis, qui de ecclesia Domini non recesserunt, sed poenitentiam agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse.* Facta fuit lapsis haec poenitentiae relaxatio non tantum ἐπιεικείας causa, verum necessitate urgente, *quia crebris et assiduis ostensionibus admonebantur, diem alterius infestationis appropinquare, coepisse et poenitentes ad proelium, quod imminebat, armari et instrui oportere.* Verba sunt Cypriani, qui has mitigati rigoris causas exposuit multisque defendit ep. 57 quae est synodica, totius concilii nomine data ad *Cornelium*, Romanum episcopum. Ita reconciliatis ecclesiae lapsis poenitentibus, cum jam omnia communi consilio composita essent et confirmata, Cyprianus synodum dissolvit, qua finita tandem erupit, quae tot ostentis praedicta fuerat, persecutio. — §. 12. Qua aequitate in tam gravi ecclesiae negotio Cyprianus hucusque versatus fuerit, ex iis, quae dixi, facile intelligitur. Inde vero simul apparet, quantum poenitentiae temporis expiandis idololatrarum criminibus illius aetate in Africana eccl. suffecerit? Erant, qui imminente aut coepta sub Decio persecutione a fide defecerant; erant, quos suppliciis et tormentis paulo serius nominis christiani hostes alienos ab ecclesia fecerant. Jam si omne post crimen admissum tempus mox a persecutionis illius initiis usque ad conc. Carthaginense II., quo facta est poenitentibus venia, computaveris, nondum illud complebit triennium. Haec sententia apprime respondet quaestioni, quam Fortunatus aliique episcopi, qui in Capsensi civitate ob ordinationem episcopi convenerant, brevi ante conc. Carthaginense II. tempore Cypriano proposuerant: *An lapsos triennium* (nondum quidem exactum, sed inchoatum) *poenitentes fas esset ad communionem admittere?* Certe tum ex temporis designatione, tum ex quaestionis natura probatur, post anni superioris concilium, quod longae et plenae poenitentiae legi-

bus lapsos addixerat, has ad Cyprianum exaratas fuisse literas. Easdem etiam patet ante conc. Carthaginense II. scriptas fuisse, quia, concilio habito conditoque de lapsis recipiendis decreto publico, quare nuncusque dubitarent, causam habebant plane nullam. Ceterum Fortunato et episcopis reliquis Cyprianus ad quaestionem sibi propositam respondit peculiari epist. 56, quam inter prima paschatos solennia anni ejusdem 52 supra ducentesimum scriptam fuisse, in *Annalibus Cyprianicis* animadvertit Pearsonius. — §. 13. Trahenda vero erat hujus decreti aequitas tantum ad eos, qui statim a primo lapsus sui die signis quibusvis externis suum ob crimen commissum animi dolorem testati fuerant. Iis, qui poenitentiam agere et lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse Cyprianus statuerat. Quare favor illius extendendus non erat ad apostatas, qui ad seculum, ad pompam satanicam et illa diaboli opera, quibus in foedere baptismali renunciaverant, revertentes, vitam nuncusque agebant homine christiano indignam. Neque ad eos, qui societate haereticis juncti sacrosanctam fidei christianae doctrinam erroribus conspurcabant. Utrumque illud lapsorum genus, quod ab ecclesia separatum haberi, quamdiu non resipisceret, omnium bonorum intererat, Cyprianus abhorruit epist. 57, tantum abest, ut eodem illud cum iis jure gaudere voluerit, qui fere triennii poenitentia cruciati, austeris jejuniis et vigiliis corpus ad instantis proelii certamen cruciatusque facilius tolerandos induraverant. — §. 14. Nec porro extendendus erat decreti favor ad eos, qui plurimum vitae suae tempus in quovis incontinentiae et libidinis genere volutati et tandem infirmitate correpti, cum jam morti vicini essent, poenitentiam animique conversionem simulabant. *Poenitentia sera, raro vera*, tritum est sermone proverbium. Hinc etiam peccatores adeo praefractos et obstinatos, quos pacem petere, non vitae anteactae abominatio, sed morbi ingravescentis periculum compellebat, communionis gratia Cyprianus prohibendos omnino censuit, alienum fore ratus a sec. sui disciplina, preces eorum audiri, qui ecclesiae iterum iterumque monentis animadversionibus et censuris locum relinquere noluerant, aut iis in morte subveniri, qui sani et incolumes morituros se esse vix unquam cogitaverant. De iis jam ante literis ad Antonianum in hanc sententiam scripserat: *Idcirco poenitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari.* — §. 15. Majores ad lenitatem progressus in Africana eccl. Cypriani aetate non habuit disciplina ecclesiastica. Eo jam lenitatis ea descenderat, ut poenitentium nemini, quocunque tandem ille crimine laboraret, post poenitentiam neganda esset communio, nisi iis, qui in omne flagitiorum genus praecipites ferebantur et tandem in morte facilitate ecclesiae immoderate abuti volebant. Diu mos ille retentus fuit in Africa; inde in alias ecclesias transiit et tandem sec. sequenti IV. in conc. Arelatenti I. canonis autoritatem obtinuit. Verum non ita multo post, mutatis ecclesiae rebus, sub imperatorum christianorum regimine hujus etiam legis mitigata fuit severitas et uni-

cuique lapsorum generi, quod criminum poenitebat, hanc ab ecclesia consultum, etiam illi, cui vel morbi ingravescentis periculum poenitentiae professionem extorserat, ea tamen lege consultum, ut, recuperata, si fieri posset, sanitate, poenam scelere dignam susciperent plane ut eos, qui consuetae exercitationis stadium nondum emensi, in vitae discrimen venirent et post imperatam ecclesiae pacem ex morbo convalescerent, quod canonibus definitum superarat tempus in poenitentia transigere oportuit. In hunc sensum concepti leguntur variorum conc. canones, Carthaginensis IV. (can. 76) Arausicani I. (3) Arelatensis II. (38) Epaonensis (36). — §. 16. Debebatur ea humanitas et primaevi rigoris relaxatio Patribus, qui in synodo generali Nicaena ex universo nominis christiani orbe convenerant et qui post assertam fidei catholicae adversus Arium doctrinam tandem, cum de lapsis ageretur, eorum quemquam ultimo et maxime necessario viatico privari noluerant can. 12: *Si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime privetur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Id nempe deinceps servatum, id fere ab omnibus custoditum ecclesiis. Fere dixi, nam nec semper omnino nec ab omnibus. Loquuntur I. et II. conc. Sardicensis canones, qui ambitiosos episcopos, sedem cum alia ob dominandi libidinem commutantes, in exitu vitae communione excludunt, etiam laica. Adhaec in synodo, quae Side in Pamphilia contra Messalianos habita fuit, decretum, neminem eorum, qui post damnatam hanc haeresin seu verbis seu factis contagione illius infectum se esse proderet, unquam recipiendum, quamvis millies se poenitentium gradus omnes expleturum promitteret: *Μηκέτι λοιπὸν χώραν ἔχειν, μηδ' ἂν μυριάκις ἐπαγγέληται τὴν τάξιν ἀναπληροῦν τῶν μετανοούντων.* Haec ex Photio Petavius in *diatrib. de Poenitentia* notavit. Verum et hanc recrudescentem disciplinae severitatem infregit ecclesiarum aevi posterioris praxis, forte ineunte sec. V., quo sedem Romanam gubernavit Innocentius I., qui lapsorum cuiquè, graviori etiam crimine obstricto, si morbo affligeretur, poenam et poenitentiae tempus relaxandum esse decreverat, *ne a seculo*, ut ait, *absque communione discederet*, in sua ad Decentium, episc. Eugubinum, epist. *de Poenitentibus*, et in alia, quam dedit ad Exuperium similia ille in peccatorum etiam obstinatorum et demum in exitu poenitentium favorem constituerat.

II. 6. De disciplina circa poenitentes clericos. §. 1. Quae de disciplina circa lapsos et poenitentes pro varia ecclesiarum ratione hucusque dicta fuere, ea quidem facile comprobant, suos cuique ecclesiarum in recipiendis poenitentibus mores fuisse et hoc commune fuisse illarum invicem omnium, quod primaevum illud et austerum censurae ecclesiasticae genus, in aliis quamvis citius, in aliis tardius, tamen in omnibus, temporis subinde successu in lenitatem desierit. Verum ex iis simul apparet, quo studio de conservanda in coetu Christianorum vitae sanctimonia morumque probitate laboraverit vetus ecclesia, qua ex adverso illa severitate in eos nec in unum alterumve tantum, verum in omnes invecta fuerit, qui impie vivendo sanctiorem doctrinam

in contemptum et ignominiam addaxerant. Poenitentia quidem alter baptismus est, lacrymarum baptismus, quo foederis olim cum Deo in baptismo aquae percussi gratiam recuperari posse, pii omnes fatentur. Non aliam ergo redeundi in foedus, quam poenitentiae viam, ecclesia iis patere voluit, qui illud peccando violaverant, sive laici erant sive sacris ecclesiae rebus mancipati, majoris aut minoris ordinis clerici, episcopi, presbyteri, diaconi. Neminem eorum tribus a Christo prioribus secc. publicae poenitentiae legibus exemptum fuisse ex aevi illius monumentis abunde constat. — §. 2. Post seculi vero IV. initia hoc onere liberari coeperunt ordinis majoris clerici. Etenim cum sub Constantino ejusque in regno successoribus cresceret clericorum auctoritas et a presbyterii honore alienum existimaretur, episcoporum aliorumque majoris ordinis clericorum, plane ut laicorum, crimina poenitentiae publicae animadversione vulgare, datus postea fuit poenitentibus iis locus secretus et ab aliorum conspectu remotus, quo jure illi omnes potiti fuere sec. IV., nisi forte ultro et lubentes de jure cederent eadioque pietatis coram concione poenam canonicam subire mallent. Confirmarunt hanc iis immunitatem concilia et privata doctorum decreta, in quibus adducendis prolixus est Natalis Alexander (*de poenitentia clericorum*, in hist. eccl. sec. III. p. 680 ss.). — §. 3. Ex quo ecclesiae satisfecerant, restituti quidem fuerunt sacrorum communioni, verum non facile restitati dignitati muneris, quo in ordine prius functi fuerant. Hac enim pristina sua dignitate post poenitentiam plurimum illi exuebantur, expuncto in majorem ignominiam e diptychis nomine, utpote qui scandalo, non exemplo, quod alii imitarentur, ecclesiae fuerant. Stabant vero in ordine laicorum nec alio, quam eorum jure gaudebant, qui nondum promoti, nondum cooptati fuerant in ordinem ecclesiasticum. Haec erat tunc temporis *communio*, quae *laica* dicebatur; communio nimirum extra cancellos, extra ordinem clericorum, inter laicos, de qua hinc et inde aevi illius scripteres et passim concc. canones. Ad hanc laicam communionem post poenitentiam admissus est Trophimus, clericus, de cujus reditu Cyprianus certiorem facit Antonianum epist. 55. et simul Cornelii, Romani episc., existimationem adversus falsos rumores ad Antonianum delatos, ac si Trophimo post locum in ecclesia redditus fuisset dignitatis et sacerdotii locus, vindicat. *Quoniam*, inquit, *cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad ecclesiam Trophimo et satisfaciente et poenitentia deprecationis errorem pristinum confitente et fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate et satisfactione revocante, auditae sunt ejus preces*, paucisque interjectis: *Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet, non, secundum quod ad te malignorum literare pertulerunt, quasi locum sacerdotii usurpet.* Et ipse Cornelius unum ex factiosis episcopis, qui Novatiano in episcopum electo manus imposuerant, postquam poenitentis habitu palam in ecclesia crimen confessus fuerat, tandem populi precibus in communionem laicam susceptum fuisse, ep. ad Fabium Antiochenum testatur apud Eusebium hist. eccl. 6, 43. Diserte omnes inter *apostolicos*, qui vulgo dicuntur, 61: *Κληρικὸς μετανοήσας, ὡς λαϊκὸς δεχθήτω.* Et conc. Toletanum I. subdiaconum, qui

defuncta uxore secunda, tertiam duxerit, post poenitentiam biennii in ordinem laicorum coëgit, dignitati eum restitui prohibuit can. 4. eodem modo, ut laicus, qui post lapsum reconciliatus ecclesiae fuerat, ad clerum promovendus non erat, nisi necessitate urgente. Tum denique aut lectoris aut ostiarii munere fungi licebat ex decreto ejudem concilii. — §. 4. Neminem fallant Baronius, Bellarminus, Leo Allatius et qui eos sequuntur, qui laicam communionem toties memoratam antiquis doctoribus de communione sub una specie ex Patrum Constantiensium decreto interpretantur. Sententia inaudita et a secc. illorum doctrina plane abhorrens, cujus errorem jam diu explosit Nic. Rigaltius, in *animadversion.* in epistol. 55. p. 106. — §. 5. Qui ex poenitentibus sive laicis sive clericis ab haereticorum aut schismaticorum erroribus ad veritatem doctrinae revertebantur, eorum erat, antequam pari cum fidelibus jure fruerentur, quae in ludis haereticorum audiverant, quae viderant, ea publice exponere ex constitutione Heraclae et Dionysii Alex. apud Eusebium hist. eccl. 7, 7. Tum perversae doctrinae errorem abjurare suamque ecclesiae fidem adstringere, se doctrinam, quam una sancta et catholica ecclesia profiteretur, imposterum esse professuros. Hac lege recepti fuerunt in Romana ecclesia Maximus, Urbanus, Sidonius, Macarius, confessores, a Novatianorum haeresi redeuntes, de quorum poenitentia et publica erroris abominatione ad Cyprianum scripsit Cornelius epist. inter Cyprianicas 49. Hac lege recipiendus erat Nestorius, qui infaustae nominis hujus haeresi originem dedit, ex decreto Patrum, qui in synodo oecumenica ad profligandum ejus errorem Ephesi congregati fuerant, quod intelligitur ex synodica ad Nestorium epistola. — §. 6. Non vero satis erat, ejurasse errorem, poenitentia etiam delenda erat, quae a veritatis adultero adspersa fuerat ecclesiae, labes. Non una quidem eademque hic fuit ecclesiarum ratio. In aliis mitius habiti poenitentes haeretici et qui ab iis seducti fuerant, ob insigne, quod ex eorum reditu ecclesiae accrescebat, emolumentum; aliis contra severius in eos animadvertentibus, praecipue Hispaniensibus, quae lapsis in haeresin postea redeuntibus poenitentiam decennium duraturam praescripserunt in conc. Eliberitano, can. 22, quam ad biennium disciplina humaniori contraxit Agathense conc. canon. 60. Sed multo acerbiores graviores-que poenae fuerunt, quas post fidem libertati assertam imperatores christiani ab iis repetierunt, qui opinionum perversitate veritatem doctrinae labefactabant. Soliti nimirum illi fuere, poenas episcoporum canonicas interdum augere poenis civilibus. Huc faciunt Constantini M., Valentiniani, Gratiani, Honorii, Theodosiorum aliorumque de haereticis in codice Theod. leges, quarum autoritate saepe bonis multati omnibus, quae juribus fisci addicebantur, imo vero capitis condemnati fuere, qui in haeresi perseverantes obstinatos habebant ad defendendos errores animos. Verum ut bonorum ecclesiae omnium post poenitentiam et doctrinae catholicae professionem participes illi fiebant et compotes, ita et privilegiorum, immunitatum, jurium omnium, quibus ex legum sanctionibus boni omnes in republica cives gaudebant, usus ad eos denuo perveniebat amplissimus. Unde quam gravia fuerint ecclesiae

fulmina, quam salutare ex adverso et proficuum crimine laborantibus, etiam ut reipublicae civibus, cum ecclesia rediisse in gratiam facile intelligitur.

II. 7. De indulgentia poenitentibus facta. §. 1. Ceterum ad quamcunque etiam severitatem aevi illius disciplina accesserit, non adeo tamen tenaces semper fuere decretorum suorum ecclesiae doctores, quin crimina publice dolentibus saepe in poenitentiae decursu indulgentiam fecerint et de consueto rigore remiserint, sive quod poenitentiam plurium annorum paucioribus circumscripserint, sive quod poenarum gradus minuerint atque adeo poenitentes, uno alterove illorum relicto, ex inferiori statim ad summum evecti fuerint. Fuerunt omnino, quae poenam interdum mitigari jubebant. Huc referenda poenitentis, qui lapsum lugebat, dignitas. Theodosium M. imperatorem post caedem Thessalonicensem, quando immisso a Theodosio milite ad septem millia Thessalonicensium, sexus omnis, omnis aetatis, horrenda strage perierant, ab Ambrosio, Mediolani episc., ecclesiae aditu octo mensis prohibitum, postea supplicem, purpura et corona deposita, post praeviam confessionem et poenitentiae significationem publicam ad communionem admissum fuisse constat, nec tamen in gradus expiationis ante detrusum, ad quos alias adstricta fuerat criminum adeo enormium poenitentia. Testis est praeter Sozomenum hist. eccl. 7, 25., qui ex veteribus Ambrosii vitam descripsit, Paulinus. — §. 2. Habita deinde sexus et status, habita etiam aetatis in mitigatione poenarum ratio. Si porro poenitentes vehementi ob crimen commissum dolore cruciarentur, si patientia, gemitibus, lacrymis, bonis quibusvis operibus animum facti poenitentem et valde contritum testarentur, tunc de graduum rigore remissum, concessa episcopis potestate, poenitentiae tempus contrahendi, *τοῦ συντεμεῖν τὸν χρόνον τῆς μετανόιας*, et ex graduum inferiori poenitentes contritos evehendi ad summum, quam indulgentiam *οἰκονομίαν*, *συγγνώμην* et *φιλανθρωπίαν* canones graeci vocant. Facta fuerat haec episcopis copia canonibus 5 et 12 Ancyrani et Nicaeni concc., can. etiam 4 et 4 epistoll. canonicarum Basilii et Gregorii Nysseni, illius ad Amphilochium, hujus ad Letoium, Melitinensem episc. Ulterius, si ex lapsorum reditu insigne in ecclesiam redundaret emolumentum, disciplinae severioris adeo interdum obliti fuere doctores, ut, qui alias ferendi erant luctuosae poenitentiae labores, eos redeuntibus omnes condonaverint. Hunc ecclesiae favorem praeter Trophimum experti Maximus, Urbanus, Sidonius, Macarius, confessores, ab errore Novatianorum ad unitatem ecclesiae revertentes. Si praeterea persecutionis verenda tempestas et ad martyrium accendendi essent lapsorum animi, fas quoque erat canonum temperata severitate, quod adhuc ferendum erat poenitentiae onus, poenitentes eodem liberare. Ita visum fuit Cypriano in syn. Carthag. II. ut ex antecedentibus constat. Tandem etiam lapsis in poenitentiae decursu e morbo decumbentibus, ne animo conciderent, pace maturius data, subveniri ecclesia voluit, quod tamen indulgentiae genus non prius, quam emollito disciplinae antiquioris rigore obtinuit, quorum utrumque rursus ex iis, quae in antecedentibus dixi, intelligitur. — §. 3. Multo autem

majori animorum fiducia ante elapsum satisfactionis canonicae tempus desideratam ecclesiae pacem poenitentes infirmi expectare poterant, si causam eorum martyres egerant suisque eos libellis ecclesiae commendaverant. Dici certe non potest, quanta omni aevo martyrum fuerit apud Christianos existimatio. Quo enim majora erant in ecclesiam merita, dum gloriosa voce Christum confessi, etiam inter tormentorum saevitiam insuperabili animo in fide perseveraverant, eo certe major Christianorum in eos pietas extitit, eo majus iis placendi studium. Multum hinc poenitentibus ad preces illorum de disciplinae rigore remissum, cujus indulgentiae generis Cyprianus in epist. opere saepe mentionem injecit. Innotuere tum in ecclesia literae, quae dicebantur, pacificae, confessoriae, commendatitiae, ac libelli indulgentiae, tanti in Africana ecclesia valoris, ut Cyprianus, qui alias omnem lapsorum causam celebrando post persecutionem sedatam concilio integram reservaturus erat, poenitentibus tamen infirmis, qui illorum praesidio niterentur, in martyrii et confessionis honorem criminum veniam fieri voluerit; de quo argumento epistolis ille binis ad clerum Cathaginensem (18—19) et una ad clerum Romanum, (proxime sequenti 20) cum in secessu se contineret, scripserat. Nec poenitentes modo infirmi, verum etiam sani et incolumes, qui lapsos suos lugebant necdum poenitentiae labores exantlaverant, fructum et emolumentum ex martyrum suffragiis capiebant, cujus indulgentiae occurrunt in Cypriani epistolis testimonia. — §. 4. Hoc nempe persuasum erat nascentis ecclesiae Christianis, tantam esse martyrum apud Deum praerogativam, ne repulsam facile paterentur, ac proinde eo majorem iis deberi gratiam, quo illustriores in passionibus fuerant. *Totam illos Dei gratiam redimere omnemque veniam ab eo compensatione sanguinis sui expedire,* ait Tertullianus (apog. 50). Haec de martyrum peccatis Tertullianum dixisse fateor. Inde vero facile erat colligere, pace illius, quam sacrificio suo a Deo martyres impetraverant, virtutem simul redundare in illam, quam lapsis et poenitentibus ii indulserant. Probe haec conveniebant cum antiqua jam inde ab aevo apostolorum a Christianis recepta de meritis, de virtute, de dignitate martyrii sententia. Quaecunque haberentur in ecclesiā media, quibus grati acceptique Deo homines redderentur, eorum omnium vicem crediderunt sustinere martyrium. Martyrium illi vocabant baptismum sanguinis nec nudo eum insigniebant nomine, sed praeterea omnia prioris baptismi beneficia ei attribuebant, imo vero superiorem eo ipso faciebant, qui a Deo institutus fuerat aquae baptismus. In hanc plane sententiam Cyprianus posteriorem hunc sanguinis baptismum cum priori comparatum, *maximum et gloriosissimum*, *baptisma in gratia majus*, *in potestate sublimius*, *in honore pretiosius* appellat in sua ad *martyrium exhortatione*. Et Origenes, *baptisma sanguinis*, inquit, *solum est, quod nos puriores reddat, quam aquae baptismus reddidit* (*homil. 7 in Judic.*). Martyrum porro sanguini tantam illi tribuere virtutem, ut in eorum non modo propria, sed etiam in ecclesiae universae commoda illum cedere, ut non propria tantum martyrum, sed et aliorum, cumprimis poenitentium, etiam ecclesiae peccata eodem expiari existimaverint. Duriora sunt, sed apprime hūc faciunt,

quae in hanc sententiam (*homil. 10 in Numer.*) scripsit Origenes, merito adducenda, nisi prolixiora essent. Quam imprudenter, quam inconsiderate doctores illi loquuntur de dignitate martyrii; quam iniquum, quam contumeliosum nomini Christi, si martyrum passionibus alierum peccata purgari dicantur, si Christo etiam in sanctissimo expiationis officio martyres conferantur. Et tamen hanc sententiam, undecunque tandem illam acceperint, fuisse primorum Christianorum, aevi illius monumenta, imprimis Patrum gravissimae, quibus ad martyrium Christianorum accendunt animos, testantur paraeneses. — §. 5. Erant haec, quae maximam quidem exomologesis et poenae canonicae partem relaxare, sed quae facile etiam in abusus gravissimos degenerare poterant, nec poterant modo, verum re ipsa tandem degenerabant. Cum enim ad martyrum et confessorum libellos jam adeo facilis pateret ad ecclesiam reditus, peccatorum etiam sceleratissimai martyres importune adeuntes, sine praevia criminum exomologesi nullis perfuncti poenitentiae laboribus, eorum suffragia impudenter extorquebant, quibus deinde freti pacem sibi temere arrogabant, veniam ab ecclesia postulabant, non petebant, ac si jam data esset a martyre, non danda demum ab episcopo, ac si jam rata in coelis, non expectanda a confirmatione ecclesiae. Importuna haec et seditiosa rudiorum e plebe postulatio, quae omnem ecclesiae disciplinam conculcabat, gravissimarum in Africana ecclesia turbarum contentionumque Cypriani aetate origo extitit, Novato cum suis incaute recipiente, quotquot lapsorum his martyrum libellis muniti communionis participes reddi volebant. Accedebat, quod martyres ipsi gloriae saepe studio abrepti se lapsis praeberent justo faciliores. Plane generali hac forma: *communicet ille cum suis*, quorundam martyrum libellos conceptos prodiisse, ex ep. apparet 15. Incerto enim illo *suorum* nomine, quis quaeso ecclesiae obtrudi non poterat? Poterant cognati, totae familiae poterant, amici quoque, quibuscum nulla intercedebat praeterquam benevolentiae necessitudo, alii bene multi hoc nomine poterant. De hac illorum facilitate valde conquestus est Cyprianus, qui rem totam non sine insigni doloris sensu retulit 20, 27 et 35 ad clerum Rom. epistolis. — §. 6. Ingentem et vix reparabilem jacturam hoc modo faciebat disciplina ecclesiastica. Non omni vero culpa vel ipsi vacabant martyres, ex quo sine delectu et discrimine lapsorum petitionibus indulserant. Eousque quidam illorum fuere progressi, quae eorum vecordia erat, ut vel aliis, suo post depositas corporis sui exuvias nomine, lapsos pace donandi copiam se facere posse existimaverint. *Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post arcessitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo*, scribit ad *Celerinum Lucianus* (ep. inter *Cyprianicas* 22.), errore sane turpissimo, quem Cyprianus severe exprobavit. Praeterea martyrum et confessorum ambitionem supra modum intumescentem saepius ille reprehendit in epistolis, et in illa seorsim ad *martyres* data eos hortatus est, ut ad martyrum antecessorum exemplum lapsorum desideria sua autoritate consilioque moderarentur. — §. 7. Quare ne disciplina, quae sanctior apud Christianos obtinere

debebat, tandem frigesceret, Cyprianus pro laudabili suo conservandae in omnibus ἐυταξίας studio martyrum desideria diaconorum consiliis et scripturae praeceptis gubernari voluit, ne importuna lapsorum petitione compulsi suis eos libellis juvarent, quibus ob criminum atrocitatem non minuenda, potius augenda esset disciplinae canonicae poena. Verum cum ne haec quidem paria essent tollendis abusibus, qui ex hoc indulgentiarum genere subinde exorti fuerant in Africana ecclesia, tandem ad comprimendos lapsorum tumultus ullam in posterum ante sedatam adversus ecclesiam persecutionem libellorum rationem haberi, Cyprianus prohibuit 26. ad *clerum suum* epistola. Hujus exemplum aevo posteriori Hispaniae doctores secuti, qui in conc. Eliberatino lapso confessionis literas exhibenti, nomine confessoris deleto, *communicatorias*, ut ajunt, dandas esse, decreverant, quem etiam morem novo decreto confirmavit, quod non diu post in Gallia habitum fuit, Arelatense Concilium. *De his, qui confessorum literas afferunt, placuit, ut sublatis eis literis, alias accipiant communicatorias* (*can.* 9.).

II. 8. De poenitentium absolutione. §. 1. Elapso poenitentiae tempore, quando definitum consuetae exercitationis stadium inter duriores corporis labores et cruciatus poenitentes emensi fuerant, difficilem se amplius ecclesia iis praebere noluit. Verum quae austeriorem hucusque judicem egerat, ea jam indulgentissimae instar matris lapsos poenitentia resurgentes ingenti caritae suscepit. Aequum tandem videbatur et christiani amoris legi conveniens, gratiam iis fieri et liberari eos, ne animum desponderent, ex illa miseriarum voragine. Non ignoro, utrum vera illi et sincera poenitentia dignos se venia et communione fecerint? decernere, non penes ecclesiam, tantum penes eum fuisse, qui in interiores penetrat mentis humanae recessus. At vero communio illa modo erat externa, nec de alia agebatur, quam unione externa cum fidelium corpore, a quo hactenus fuerant separati. Facta fuit haec poenitentibus venia publice in coetu ecclesiae, pax iis data et absolutio, praevia oratione manuumque solenni impositione coram episcopis, presbyteris, universa fidelium concione. Sequebatur μέθεξις s. κοινωνία τῶν ἁγιασμάτων, qua ad interiora orationis, sacri conventus mysteriorumque societatem translati ecclesiae redditi fuerunt et fratrum consortio. Erant haec, quae externae cum mystico corpore, quod Christum caput habebat, unionis juri omnia debebantur. Si corde vere contrito simul apud Deum, qui criminum atrocitate graviter offensus fuerat, peccatores culpam expiaverant, praeter pacem, quam cum ecclesia habebant, etiam illam habebant cum conscientia. — §. 2. Poenitentibus reconciliandis et in communionem recipiendis datus plerumque fuit dies, qui solennis erat et ecclesiae festus, dies nempe dominicus et si status eorum pateretur, dies inprimis coenae Domini antepaschalis, more Christianis recepto probatoque, ut quidam ex religiosis ecclesiae actibus, quo major iis celebritas accederet, in paschatos aut pentecostes solennitates anniversarias reservarentur. Catechumenorum baptismus nulli loco erat adstrictus, nulli tempori, et tamen, si fieri poterat, dilatus fuit ad paschatos et pentecostes dies, quos Ter-

tullianus dies vocat baptizandi solennes (de bapt. 19.). Ea etiam circa poenitentes jam reconciliandos fuit ecclesiae ratio, quod ex *sermone* autoris incerti de *unctione chrismatis* intelligitur: *Haec dies*, inquit, *nocti illi contigua est, qua absolutionis nostrae negotium Dominus inchoavit, qua a principibus sacerdotum ad romanum praesidem ductus, judex omnium sustinuit judicari; passus est rex illudi et vita occidi descendensque ad inferos, captivam ab antiquo captivitatem reduxit; hoc ecclesiae suae hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in ecclesia absolutio peccatorum et haereditati redderentur ejecti, et praecedentibus beneficiis, quae supra enumeravimus, libertate donarentur poenitentes, qui secundum merita (nisi gratia subveniret) fuerant condemnati. Et omnino convenit, ut eo tempore, quo Christus captivos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad ecclesiam reducantur, et quo confracta sunt infernalis repagula carceris, judiciaria severitas mansuescat, et quo ab infernalibus tormentis cessatum est, humana supplicia crudelitatis horrorem deponant.* — §. 3. Quod vero dixi, illa sacrorum communione, quae criminum venia et absolutione ad poenitentes perveniebat, ii tum demum gravisi fuerunt, qui superatis publicae satisfactionis laboribus et molestiis in poenitentium ordine esse desierant. Quare non erit, satisfacere quaerenti Dionysio Petavio: utrum quarto insuper poenitentiae gradu, quem Graeci *συστασιν* dicunt, poenitentibus prius defungendum fuerit, quam criminis absolutionem impetraverint; an post *ὑπόπτωσιν*, poenitentiae stationem tertiam, data iis criminum venia et absolutio? Haesitat et quo se vertat fere ignorat. *Ac videri sane potest*, ait, *post ὑπόπτωσιν peccatorum illis veniam, h. e. sacramentalem illam relaxationem esse concessam.* Cui sententiae ut autoritatem conciliet, manuum impositionem *τῇ ὑποπτώσει* propriam fuisse ait. Jam cum per *χειροθεσίαν* olim ab ecclesia criminum rei veniam impetraverint, poenitentibus quoque substratis inde ex sua ad ultimam stationem surgentibus, omnem culpam illa manuum impositione condonatam remissamque fuisse, docet in animadversionibus in *Epiphanium II.* 251. *s.* — §. 4. Huic sententiae ex peritis antiquitatum sacrarum doctoribus neminem, quod scio, consentientem vir doctus habuit. Equidem non nego, poenitentibus in tertio gradu, iisdemque humi prostratis, in singulis fere synaxibus manum ab episcopo fuisse impositam, addita oratione, quae manus impositionem sequebatur; ad ultimum deinde *τῶν συνισταμένων* ordinem promotos rerum et divinarum ei humanarum fere omnium, precum imprimis cum ceteris fidelibus habuisse communionem. At illa manuum impositione nondum reconciliati fuere poenitentes ecclesiae. Communio, ad quam *συνιστάμενοι* admittebantur, communio erat *χωρὶς προσφορᾶς*, *κοινωνία τῆς εὐχῆς*, non *κοινωνία τῶν ἁγιασμάτων*. Huc illa faciunt, quae in canonibus frequenter occurrunt: *Precum esse participem, communicare precibus sine oblatione*, et quod tantundem valet, *non communicare corpori Christi.* Quare nefas erat, vel eos ad eucharistiam vel oblationes eorum ad altare admittere, quamdiu in hoc ordine detinebantur. Jam qui rei adeo sacrae usu arcendi erant, ii nec omni culpa vacare nec criminum plane absoluti dici poterant. Ea demum privatio maxima poenae canonicae pars habebatur ecclesiae judicio.

Atque inde sua certe natura fluit, quod manuum impositione non omni poenitentes in ecclesia absolutionem et veniam impetraverint, quia post absolutionem simul ad rerum sacrarum quamcunque communionem poenitentes jus habuisse, ex Cypriano apparet aliisque aevi illius scriptoribus. — §. 5. Probe haec animadvertit ipse Petavius et tandem moverunt eum, ne suae sententiae plus justo tribueret. Quare *peracta nonnisi poenitentia et sub finem συστάσεως postremam illam manuum impositionem, qua sacramentalis absolutio continebatur, poenitentes obtinuisse et nihil inter pacem et reconciliationem ac mysteriorum participandorum jus interponendum videri,* fatetur. Recte omnino, et ita etiam visum fuit Gabr. Albaspinaeo, qui quatuor in poenitentiae decursu manuum impositiones ex ecclesiae usu obtinuisse docet. Prima fuit, quando poenitentiae copiam dabat episcopus et pro criminis gravitate poenitentiae modum et tempus secundum canones decernebat. Secunda propria fuit poenitentibus substratis. Qui enim in auditionis gradu versabantur, una cum catechumenis primi ordinis, qui adhuc in statu *κατηχήσεως* et *καθάρσεως* erant, manuum impositione prorsus indigni habebantur. Tertia fuit eorum, qui ex ordine substratorum ad quartam *τῶν συνισταμένων* poenitentiae stationem ascendebant. Quarta tandem et ultima poenitentes post *σύστασιν* criminum culpa ita absolvebat, ita ecclesiae reconciliabat, ut communione bonorum omnium jam aequo et pari cum fidelibus jure gauderent. Fateor, *χειροθεσίας* duas posteriores ita interpretari Albaspinaeum, ut totidem reconciliationis species, minorem alteram, alteram majorem, antiquis fuisse existimet. Verum sensu adeo angusto illam minorem accipit vir doctus, ut ad sententiam Petavii, sacramentalem, quam vocat, absolutionem trahi plane nequeat. — §. 6. Plane vero ab aevi illius disciplina abhorruit, peccatores primum ecclesiae reconciliare et reconciliatos nunc demum poenae et satisfactionis legibus subjicere. Poenitentiam secuta semper fuit, nunquam eam praecessit absolutio. Et abunde illud testatur universa disciplinae oeconomia, quam ad annum usque septingentesimum circa lapsos et poenitentes olim servavit ecclesia. Certe Cypriano quid prius, quid antiquius erat, quam sollicite cavisse, ne poenitentiam non acturis temere fieret criminum venia? Quid gravius ipsi quidve molestius, quam veniam lapsis fecisse, *nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita?* Lapsorum neminem ante poenitentiam plenam communioni restituendum esse, primum decreverat episcoporum totius Africanae provinciae Carthaginense concilium, et Victorem, presbyterum ab ecclesia profugum, a Therapio temere receptum fuisse, data peculiari ad Fidum ep. graviter admodum et indigne alia tulerat sub Cypriano Carthagine coacta sexaginta sex episcoporum synodus frequentissima. Quare quemadmodum nefas fuit, convertendos a superstitione ad Christianorum sacra, ad baptismum, ad religionis mysteria admittere ante annos probationis et catechumenatus; ita nefas, dare veniam et, quae eam sequebatur, eucharistiam ante satisfactionem et poenitentiam. — §. 7. Viguisse hunc morem adhuc Caroli M. aetate in occidentali ecclesia, ex Capitulari ejus 119. quod ex Papae Leonis ad *Theodorum*, episcopum *Forojulienses*,

epistola 91. desumtum fuit, intelligitur: *Mediator Dei et hominum, Jesus Christus, hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus poenitentiae sanctionem darent, et ab eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* In hanc sensum etiam concepta leguntur quaedam ex iis, quae proxime sequuntur, capitularibus (ap. Steph. Baluzium, *Tom. I. Capitular.* p. 844 *ss.*). At post illa Caroli M. tempora ordine plane inverso cum peccatoribus actum, in latina ecclesia criminumque veniam demum secuta fuit criminum poenitentia; et ne quid gravius dicam, tandem adeo a prima severitate disciplina degeneravit, ut aut pretio redemisse poenitentiae labores aut mercede conduxisse, qui criminis alieni poenas ecclesiae persolverent, non ultima satisfactionis canonicae pars haberetur; quod quidem a veteris ecclesiae institutis moribusque quam alienum fuerit, unicuique ex iis, quae dixi, facile constabit.

II. 9. De disciplina circa relapsos. §. 1. Quo significantius suam in poenitentes voluntatem ecclesia declaraverat, postquam veniam iis indulserat, eo certe gravius in eorundem capita fulmen illa vibrabat, si post poenitentiam aut in eodem peccatorum coeno volutarentur aut criminum aeque gravium sordibus vitam denuo polluerent. Hoc enim in more positum fuit antiquis doctoribus, ut semel peccantibus revertendi ad ecclesiam locum fecerint valde difficilem, iterum peccantibus inaccessum. Hermam, scriptorem apostolis coaevum, nonnulli hic testem producunt, qui *servis Dei poenitentiam unam esse* ait Past. 2, 4. Non plane quidem a re aliena, quae ibi leguntur. Verum cum Hermas, qui prudenti admodum consilio a desperatione pariter atque confidentia arcere cupit hominum animos, ita ubique sermonem temperet, ut poenitentiam interdum proponat, interdum occultet, modo proponat omnibus, modo quibusdam deneget, aliquando semel, aliquando saepius resipiscendi lapsis copiam faciat, atque adeo de instauratione eorum varie dicat, utrum testem habeant omni exceptione majorem, qui „Pastorem" laudant, adeo sollicite non inquiro. — §. 2. Ex Patribus antiquissimis ego Tertullianum produco, qui (*de poenit. 7, p.* 125): *Piget*, inquit, *secundas, imo jam ultimae spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio poenitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad poenitendum, et redundantia clementiae coelestis libidinem faciat humanae temeritatis.* Et paucis interjectis: *Collocavit in vestibulo poenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est?* Nec Tertulliano mitior Clemens Alexandr., nec mitiores Ambrosius, Augustinus, doctores catholici, quorum omnes post poenitentiam veniamque semel recuperatam in eadem aut aeque gravia crimina lapsos culpam inexpiabilem sibi contraxisse, testantur quorumque testimonia apud Dionysium Petavium leguntur in Epiphanianis *Tom. II. p.* 236 *s.* quibus addendus Cotelerius in *animadversionibus in Hermam, Tom. I. bibliothec. patrum apostolicorum.* Privatis doctorum testimoniis addo canonum hinc et inde conditorum decreta publica, qui-

bus tandem legis autoritatem obtinuit, quod usu et consuetudine antea invaluerat in ecclesia. In Hispania ne morientibus quidem, qui, acta publice poenitentia, iisdem inquinarentur criminibus, subveniendum decreverant 3, 7, 47 conc. Eliberatini canones, quo etiam facit illa episcoporum synodus, quae post baptismum graviter delinquentes modo semel ad poenitentiam admitti, voluit, cujus Socrates meminit hist. eccl. 6, 21. — §. 3. Mirantur profecto, qui veteris ecclesiae consuetudines ad seculi sui mores, tanquam ad normam, exigunt et a christiani amoris lege alienum futurum fuisse existimant, non ignovisse peccatori, lapsus secundi post poenitentiae argumenta veniam petenti. Quare cum ab omni illud lapsorum genus suae communionis consortio ecclesiam in posterum remoturam fuisse persuaderi sibi haud patiantur, in eorum tandem sententiam concedunt, qui secundo peccantibus poenitentia privata consultum fuisse dicunt. At quam tolerabilis hac ratione futura fuisset eorum, qui crimina instauraverant, conditio, si luctuosos poenitentiae publicae labores adeo facile effugere et in gratiam cum ecclesia redire potuissent illius privatae beneficio, quam dura ex adverso et fere inqua illorum, quibus semel peccantibus sine poenitentia publica reditus ad ecclesiam non patuit! Certe nemo unquam tam vecors fuit, ut mitiorem censuram expertos fuisse dixerit, qui eadem saepe patraverant et quidem horrenda facinora, quam qui semel iis obstricti fuerant. Hanc sententiam, ut omni antiquitatis testimonio destitutam jam diu exploserunt graviorumque peccatorum poenitentiam ab ecclesia secundo nec publice nec privatim datam fuisse, pluribus docuerunt ex recentioribus antiquitatum ecclesiae scriptores Gabr. Albaspinaeus Observ. 2, 5. et Jo. Morinus *de administr. sacram. poenit.* 5, *cap.* 27—29. — §. 4. Neque etiam rigor ille, quem in secundo et quidem enormiter peccantes ecclesia exercuit, ab aevi illius disciplina tantopere abhorruisse dicendus est, si quis animo repetat, qua alias severitate in peccatores plerosque canonibus animadversum fuerit, ut, qui semel modo crimina illa graviora, quae canonica vocabant, incurrerent, aut communione ecclesiae in posterum plane prohibiti, aut in poenitentium numero assidue degentes, non nisi in fine communione donati fuerint, ut homicidae in conc. Ancyrano can. 21., qui falso accusarent fratres, in Valentino, can. 14. et qui Christum negarent, in Basilianis ad Amphilochium canonibus, can. 73. Quae igitur poenitentia, quae poena crimini iterato ex consuetudine seculi sufficere poterat? Erroris autem merito postularentur, qui ecclesiam aut crudelem aut haereseos, quam in Montano et Novatiano ipsa damnavit, hoc nomine suspectam fuisse dicerent. Certe Novatiani veniae tribuendae potestatem omnem ecclesiae abjudicantes, ne quidem ad unam admittebant post baptismum lapsos in crimina poenitentiam. At vero illa, quam poenitentiam et pacem negabat relapsis, eam jam ante iisdem indulserat lapsis. Subinde peccare, subinde resipiscere, valde suspectum semper fuit ecclesiae. Quare nec ideo, quod adeo saucia membra tandem a corpore suo amputaverit, crudelis illa censeri debet, sicuti crudelis non est, qui urit et secat medicus, ne pars putrida morboque confecta reliqua corporis membra putredinis suae contagione inficiat. —

§. 5. In hunc rigorem excrevit prioribus secc. circa relapsos disciplina in ecclesiis plurimis, fere in omnibus. Ecclesiarum paucissimarum alia fuit ratio. In quibusdam enim ex potestate prudentiaque episcopi, inprimis si cum ingenti ecclesiae emolumento conjuncta esset lapsorum restitutio, crimen secundo patratum poenitentia etiam secunda expiare licuit. Cerdon, veritatis adulter, plus semel exomologesin fecit, autore Irenaeo contr. haer. 3, 4. Idem de Valentino et Marcione haereticis Tertullianus testatur de praescr. haer. 30. Et Origenes (homil. 15. in cap. 25. Levitic.): *In gravioribus*, ait, *criminibus semel tantum vel raro poenitentiae conceditur locus.* Digna sunt, quae animadvertantur, Origenis verba. Dari secundam graviorum criminum poenitentiam non negat, sed raro plus semel illam concedi ait. Quare hic locus insignis est, quia utrumque probat. Accesserunt tandem sequiori aetate canones Patrumque decreta, quibus paulatim ventum est ad nostri aevi consuetudinem, et unicique peccatorum post poenitentiam nunquam non indulta venia, quotquot ille vicibus lapsus atque relapsus esset. Forte haec indulgentia crimina iterantibus primum fieri coepit aetate Syricii, Rom. episc., qui eos in decretali sua ad Himerium, episc. Tarraconensem epist. 5. recipiendos esse decreverat, non prius licet quam moribundos; quod etiam postea probatum fuit conc. Ilerdensis doctoribus, qui relapsorum criminibus poenitentiae tempus vitam omnem praescripserant. — §. 6. Ex iis itaque, quae de rigore circa lapsos et poenitentes adducta et antiquitatis testimoniis abunde firmata fuerunt, luce meridiana clarius apparet, qua animorum contentione de conservanda in coetibus suis sanctiori disciplina veteris ecclesiae doctores laboraverint, qua ex adverso severitate in eos, qui gravioribus laborabant criminibus, animadverterint neminemque adeo suae communioni restituerint, nisi qui animi poenitentis vereque dolentis signa, quae de ejus conversione, quantum fieri posset, fidem facerent, ederet. Non dico, vere ad Deum semper converti, quibus adeo difficilis patet post peccata ad ecclesiam reditus. Hoc autem nemo negabit, rigoris hujusmodi exempla causam saepe praebere, ut aliorum, qui facile flecti poterant, cohibeatur audacia et peccandi licentia. Quam bene consultum fuisset ecclesiae, si quid austerioris hujus disciplinae posteriora servassent tempora. Verum cum ea seculorum decursu subinde mansuevit, in majorem subinde lenitatem deflexit, nemo etiam mirabitur, quod Christianorum nostrae aetatis vivendi ratio a primaeva Christianorum pietate, sanctimonia vitae morumque innocentia et probitate tantopere degeneraverit.

XLIV.

Albertus Frikius de Traditoribus*).

§. 1. *Ut sancta fuerit et intemerata ecclesia primis post Chr. n. temporibus, singulari luce fidei ac morum mirifice exsplendescens, nihil tamen non egit genius infernalis, ut illam de fastigio, ad quod adscendere videbatur, deturbaret ac per machinationes et instrumenta varia adfligeret.* — §. 2. *Cessit quidem hosti fraus atque malitia ex voto, ita tamen, ut funditus delere Christi nomen nunquam potuerit. Illud autem tempus ipsi maxime favere videbatur, quo varia suppliciorum genera in eos, qui Christo nomen dederant, ab imperatoribus paganis decreta atque immissa sunt. Effecit nimirum cruciatuum vel metus vel sensus, ut Christianorum longe plurimi vario sese polluerent crimine, ipsisque adeo adscriberentur, quos „Lapsos" ecclesia vocare et a sacris suis arcere solebat. Species horum memorabilis „Traditores"* [1]) *fuerunt, de quibus jam nobis agendum est.*

1) Quo breviores esse solent historiae ecclesiasticae scriptores, quando de Traditoribus agunt, eo frequentius ipsos cum sec. III. lapsis conjungere solent, quod tamen perperam omnino fieri, haec nostra tractatio ostendet. Ex illis vero, qui ex instituto de iis commentati sunt, praeter Tob. Pfannerum nemo mihi innotuit, cujus tamen observatio (*Observat. eccl. I. p.* 226 *ss.* exhibita) ita comparata est, ut Iliada nos post Homerum scripsisse nemo facile dicturus sit.

§. 3. *Infelix hominum genus peperit persecutio Diocletiani Caesaris, quae sicut annorum duratione, ita et suppliciorum acerbitate superavit vexationes illas omnes, quas a paganis imperatoribus excitatas in Dei coetum novimus. Non tamen illa ab initio ita crudelis fuit, atque in progressu, sed per praeludia varia ad summum immanitatis atrocissimae fastigium crevit.*[2])

2) De atrocitate vexationis Diocletianeae satis superque testantur illius aevi monumenta, cum maxime ecclesiastica; e quibus nunc unum audire placet Sulpitium Severum, qui hist. sacr. 2, 32. ita pronuncial: *Diocletiano et Maximiano imperantibus acerbissima persecutio exorta, quae*

*) Prodiit Lips. 1737. 4.

per 10. *continuos annos plebem Dei depopulata est. Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est neque majore unquam triumpho vicimus, quam quum* 10. *annorum stragibus vinci non potuimus.* Haec ipsa vero calamitas saepe quidem ab hostibus Christianorum petita, a Diocletiano ipso diu deliberata, tandem per varia praeludia inchoata est. Scilicet negari non potest, primis Diocletiani temporibus tranquillam fuisse ecclesiam christianam et ab omni hoste fere immunem. Docet id luculenter ac fuse Eusebius hist. eccl. 8, 1., qui tamen mox ignaviam suorum increpat, quam per varias contentiones, fraudes, simulationes, jurgia et tumultus ita prodiderint, ut Dei justitiam ad vindicanda scelera provocarent. Referunt huc omnium primo Theod. Ruinartus (in *praefat. generali ad acta martyrum sincera et selecta* §. *III. num.* 55. *p.* 60.) et Anton. Pagi (in *Critica historico-chronologica in Annales Baronii Tom. I. p.* 313), quod Diocletianus a. 293. primum decennalia imperii sui celebrans, se ut deum adorari et gemmas vestibus suis et calceamentis inseri jusserit; quum antea, teste Eutropio (brev. 9, 16.) *imperatores tantum saluturentur et chlamydem purpuream imperii insigne haberent.* Neque male id fieri rei ipsius consideratio evincit, quippe cum non licuerit hominibus christianis ejusmodi genus idololatriae committere. Quanquam proprie si persecutionis vocabulum sumatur, in hunc censum venire cultus iste a Diocletiano imperatus nequeat. Majori jure adnumerari persecutionis praeludiis poterit illud supplicium, quod de militibus sumtum est, de quo breviter Eusebius l. c. testatur his verbis: *ἐκ τῶν ἐν στρατείαις ἀδελφῶν καταρχομένου τοῦ διωγμοῦ*, quocum consentit plane Lactantius (*de mortibus persecutor. c.* 10.) qui tamen copiosus rem ita enarrat: „Cum Diocletianus, in Orientis partibus agens, immolaret pecudes et eorum jecoribus ventura quaereret, accidisse, ut nonnulli ministrorum ejus ex Christianis, immolanti adstantes domino, signo crucis sese munirent et fugatis ita daemonibus sacra perturbarentur. Monitus de his princeps a magistro aruspicum Tagi, ira furens, sacrificare non eos tantum, qui sacris ministrabant, sed universos, qui erant in palatio, jussit, et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti datisque ad praepositos litteris etiam *milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, et, qui non paruissent, militia solvi.*“ Revocavit hanc militum vexationem ad annum 297. Baronius (*Annal. eccles. Tom. II. a.* 297. §. 28. et cum eo Ant. Pagius in *Critica historico-chronol. in annales Baronii Tom. I. p.* 318. §. 10.). Illam autem calamitatem, quam excitavit Veturius, magister militiae, Eusebio (in *chronico ad eundem annum*) memoratam et a Baronio (*l. c.* §. 26.) recitatam, in annum demum subsequentem incidere Pagius contendit, quo etiam S. Marcelli centurionis martyrium evenisse arbitratur *l. c. p.* 319. §. 2. Ceterum si de ratione quaeras, cur delendos cum cura christianos milites Diocletianus decreverit, audire in hanc rem juvabit Eusebium, qui (hist. eccl. 8, 4.) istam ita exponit: *οὐκ ἀθρόως τε τῷ καθ' ἡμῶν ἐπαποδυομένου πολέμῳ, ἀλλ' ἔτι τῶν κατὰ τὰ στρατόπεδα μόνων ἀποπειρωμένου· ταύτῃ γὰρ καὶ τοὺς λοιποὺς ἁλῶναί ῥᾳδίως ᾤετο, εἰ πρότερον ἐκείνων καταγωνισάμενος περιγένοιτο.* Hoc tamen militum supplicium insecuta per aliquod tempus

est pax et quies. Ita enim diserte Lactantius (*de mort. persecut.* 10.): *Hactenus furor ejus et ira processit. nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit.* Nihil igitur adhuc contra fidem christianam et speciatim sacri codicis volumina tentatum, quod postea immani saevitia factum mox docebimus neque passos post Veturii adflictionem esse Christianos existimandum erit; adeoque et martyres illi, quos Baronius produxit, ante annum 303. passi non sunt, observante Pagio (in *Critica ad ann.* 301. p. 321. §. 3.). Imo nec in milites postea saevitum fuisse, quae jam adduximus, Lactantii verba evincere videntur.

§. 4. *Scilicet post agitata pessime in Christianos consilia, anno tandem 303 bellum indicere classicumque canere tyrannus incepit adversus publicos Romanae reipublicae, ut vocabantur, hostes.*[3]) *Etenim d. 23. Februarii Nicomediae, ubi sedem habebat imperator, non in templa saevire, sed propositis etiam deinceps ubique edictis hominibus, Christi fidem professis, sacrisque divinarum litterarum voluminibus interitum minari funditusque delere omnia constituit.*[4])

3) Illa jam adtingimus tempora, quae omnium confessione longe funestissima sacrae civitati contigerunt. Quamvis enim, ut jam monuimus, post militum christianorum cladem per breve temporis spatium pax data fuerit ecclesiae, non tamen illa fuit ita diuturna, quin multo acerbiora fata et durissima supplicia manerent illos, qui in castris Jesu militaturos sese profitebantur. Copiose rem tristissimam exposuerunt Eusebius (hist. eccl. 8, 2 *ss.*) et Lactantius (*de mort. persecut.* c. 10 *ss.*) praecipue consulendi ab illis omnibus, qui penitius nosse acerrimae vexationis historiam satagunt. Nobis vero sufficiet, si pauca tantum ex utroque scriptorum huc transferamus. Nimirum Diocletianus interjecto aliquanto tempore, postquam in milites saevierat, in Bithyniam venit hiematum, eodemque tunc Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos illum instigaret. Accidit hoc anno 302, adeoque interjecto spatio quatuor annorum post Veturii vexationem. Haec namque cum in annum 298. referenda sit, ipsa autem generalis persecutio anno 303. inchoata fuerit, necesse est, venisse Diocletianum anno 302. in Bithyniam atque per istam hiemem cum Galerio Maximiano de nece Christianorum deliberasse. Qua ratione autem consilium inierint ambo et Galerius a matre Romula superstitiosissima instigatus, Diocletianum ad scelus impulerit, e Lactantio jucundius, tanquam ex ipso fonte, haurientur, utpote verbis notatu dignissimis ab ipso descripta. Postea vero, quam Galerius in suas rapuit partes Diocletianum, et decreta est in Christianos persecutio, haec subjungit (*cap.* 12.) Lactantius: *Inquiritur peragendae rei dies aptus et felix, ac potissimum Terminalia deliguntur, quae sunt a. d. VII. Kalendas Martias; ut quasi terminus imponeretur huic religioni.*

Ille dies primus leti primusque malorum
Caussa fuit,

quae et ipsis et orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus

consulatum senibus ambobus octavum et septimum, repente adhuc dubia luce ad ecclesiam praefectus (recte enim ita scribi ostenderunt Critici) *cum ducibus et tribunis et rationalibus venit; et revulsis foribus simulacrum Dei quaeritur, scripturae repertae incenduntur, datur omnibus praeda: rapitur, trepidatur, discurritur. — — Veniebant igitur praetoriani, acie structa, cum securibus et aliis ferramentis; et immissi undique, tandem illud editissimum* (templum) *paucis horis solo adaequarunt.* His addenda, quae simili fere ratione quoad tempus tradit Eusebius (l. l. 8, 2.): ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας· Δύστρος μὴν λέγοιτο δ' ἂν οὗτος Μάρτιος κατὰ Ῥωμαίους, ἐν ᾧ τῆς τοῦ Σωτηρίου πάθους ἑορτῆς εἰσελαυνούσης, ἥπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα κτλ. Duo haec utriusque auctoris effata non in omnibus ita conspirant, ut nulla plane conciliatione indigeant. Quapropter data opera viri docti in id adlaborarunt, ut verum persecutionis initium ejusque annum et diem eruerent. Citatos videbis illos ex parte Jo. Alb. Fabricio (in *Luce salutari Evangelii p.* 141.) qui tamen illos pro sententiarum, quas tuebantur, varietate non disposuit. Scilicet diversam tueri opinionem eruditos de hac re, inter omnes fere constat, nonnullis ad ann. 302. aliis ad ann. 303. aliis ad 305. vexationis exordium referentibus. Mediam vero elegerunt plerique firmissimisque rationibus confirmarunt eandem. Hanc igitur et nostram plane facere nulli dubitamus.

4) Non satis erat Diocletiano, in regia sua publico templi usu spoliare Christianos, sed jam etiam publica per edicta exagitare ipsos coepit. Neque unico duntaxat id factum esse mandato, sed pluribus, probe tenendum est. Primum erat sine dubio, quod Nicomediae itidem post inchoatam persecutionem die postero publice proposuit. Uti enim ibi prima crudelitatis specimina dedit imperator, ita de eo ambigere eo minus licebit, quod Lactantius, qui ipse tunc temporis Nicomediae habitavit, hujus edicti mentionem immediate cum ipso calamitatis publicae initio conjunxit. Ita enim ille (c. 13.): *Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate; tormentis subjecti essent, ex quocunque ordine ac gradu venirent; adversus eos omnis actio valeret; ipsi non de injuria, non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent; libertatem denique ac voluntatem non haberent.* His consentiunt ea egregie, quae memoriae tradit Eusebius (hist. eccl. 8, 2.) dicens: καὶ ἡ μὲν πρώτη καθ' ἡμῶν γραφὴ τοιαύτη τις ἦν. Antea dixerat: τῆς τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς εἰσελαυνούσης, ἥπλωτο βασιλικὰ γράμματα, τὰς μὲν ἐκκλησίας εἰς ἔδαφος φέρειν, τὰς δὲ γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι προστάττοντα. καὶ τοὺς μὲν τιμῆς ἐπειλημμένους, ἀτίμους τοὺς δὲ ἐν οἰκετίαις, εἰ ἐπιμένοιεν ἐν τῇ τοῦ χριστιανισμοῦ προθέσει, ἐλευθερίας στερεῖσθαι προαγορεύοντα. Ex his igitur edictis, nam de diversis loquitur, unum aliquod primum fuisse fatetur Eusebius, minime proin contrarius iis, quae ex Lactantio protulimus. Quemadmodum vero jam supra observavimus, Diocletianum in exequendo consilio de abolendis Christianis gradibus uti voluisse, ita in praesenti novum hujus rei specimen deprehendi posse existimamus. Primo enim edicto, cum scilicet eo res

Christianorum jam devenit, ut publicis litteris contra illos ageretur, omnibus omnino, qui Christi nomen prae se ferre ausi essent, honores, libertatem et jura omnia, quibus antea fuerant gavisi, adimit non modo, sed et spem praecidit omnem, qua de recuperandis bonis ablatis aut vindicanda nominis honesti fama, per malos turpiter fortassis laesa, aut de restituendis amissis dignitatibus ali poterant. Immo et suppliciis dirissimis persequendos illos statuit nullave ratione ulciscendum interitum eorum, aut puniendos ex praescripto legis jubet, qui iniquius homines Christi sacra sequentes tractassent. Grande profecto malum, nec nisi christiano i. e. pio ac humili ferendum animo, mox auget *scelerum inventor et malorum machinator* (ut audit egregie *Diocletianus* Lactantio l. l. 7.) novo eoque impiissimo edicto, quo ecclesias ad solum usque diruendas et sanctissimos ipsius Dei libros flammis comburendos penitusque eradicandos esse praecipit. Ad ultimum tandem in eos saevit, quos magistros et praesides et exempla gregis Deo consecratae noverat, eosque primum ad carceres damnat, mox vero educi iterum atque vel ad spurca et nefanda sacrificia, diis offerenda, vel ad ultima supplicia eaque intensissima trahi vult. Ceterum antequam hic discedamus, duo adhuc potissimum erunt observanda. Primum quod ad edictorum contra Christianos promulgationem publicam adtinet, varietatem aliquam auctorum circa tempus, quo proponebantur, deprehendere licet. Lactantius enim die 24. Febr. prodiisse edictum ait; Eusebius vero scribit, propositum fuisse edictum mense Martio, adpetente festo Dominicae passionis; qui tamen mensem Xanthicum designat, quem Romani Aprilem vocant; et tandem auctor Chronici Alexandrini d. 25. Martii, ipso die paschatis id factum esse adfirmat. In componendis igitur hisce difficultatibus operam suam collocavit Steph. Baluzius (in *notis ad Lactantii l. c.*) et ita quidem feliciter, ut omnibus fere probatissimam illam reddiderit. Existimat vero ille, primo edictum illud propositum fuisse Nicomediae, ubi agebat Lactantius, velut in civitate regia, d. 24. Febr.; deinde missum ad ceteras imperii civitates, mense quidem Martio vulgatum in eo loco, ubi tum Eusebius habitabat, in Palaestina mense Aprili; Alexandriae vel alibi ipso die paschatis. Et haec quidem uti singulari sese specie commendat conciliatio, ita juvat eandem quoque egregie, quod Lactantius cap. 15. dicit: *Et jam litterae ad Maximianum et Constantium commeaverant, ut eadem facerent:* cum id saltim exinde pateat, edictum imperatoris prius in civitate regia, quam in aliis imperii urbibus, imo prius in Oriente, quam in Occidente propositum fuisse. Deinde et illud non omittendum, hac ipsa decennali persecutione istud quoque accidisse, ut, quod antea ignotum fuerat, civitatum edicta adversus Christianos et constitutionum imperialium rescripta, aeris tabulis incisa, mediis in urbibus proposita fuerint. Refert hoc diserte Eusebius (hist. eccl. 9, 7.), quanquam pressius ad Maximini tempora pertinere istud videatur.

§. 5. *Quod speciatim ad Sacrae Scripturae volumina eorumque combustionem adtinet, praecipua certe ac peculiaris illa fuit calamitas persecutionis a Diocletiano commotae.*[5]) *Quemad-*

modum igitur singulari principis edicto[6]) *combustio librorum, religioni christianae faventium, cauta fuit; ita per orbis Romani provincias universas, et Africam inprimis,*[7]) *tristi spectaculo divagata est haec tempestas atque per magistratus et judices iniquissimos executioni mandata.*[8])

5) Non defuerunt antiquioribus etiam temporibus, qui de libris supplicium sumendum statuerent neque fortassis alienum erit ab instituto nostro, nonnulla hanc in rem exempla proferre, quamvis et idem jam saxum volvisse cernam alios, nominatim Caes. Baronium (*annal. eccl. Tom. II. ad a.* 302. §. 16 *s.*) et Jac. Gretserum, qui singulari libro *de jure et more prohibendi, expurgandi et abolendi libros haereticos et noxios,* [*Ingolstadii* 1603. 4.] exposuit, quibus addendae etiam sunt *dissert.* Frid. Guil. Schuzii *de combustione librorum haereticorum, Lips.* 1696. Just. Henning. Boehmeri *dissert. de jure circa libros improbatae lectionis, Hal.* 1726. Occurrunt nimirum tum in s. litteris tum in Graecorum et Romanorum historia ejusmodi exempla, quae morem illum abolendi per flammas libros improbatos dudum ante Diocletiani tempora obtinuisse docent. Ita enim de Jojakimo, rege Judae, relatum legimus, illum petiisse, ut liber, quem Baruchus ad voluntatem Jeremiae prophetae conscripserat, sibi traderetur eumque cum accepisset ac ejus contenta ex parte audivisset, lacerasse scalpro librario et in ignem projecisse, donec consumeretur volumen integrum igne illo, qui in foco erat (*Jer.* 36.). Hoc cum uni tantum codici s. fatum acciderit, longe tristius illud est, quod sub Antiochi Epiphanis persecutione sacris Judaeorum voluminibus universis infligi per mensium intervalla ex regis mandato consuevit. Fidem hujus rei facit nobis non tantum illa Maccabaeorum historia, quae inter libros relata est apocryphos, sed etiam Flavius Josephus. Et illa quidem 1 Macc. 1, 56 ss. de hac regis pessimi crudelitate sequentia tradit: *καὶ τὰ βιβλία τοῦ νόμου, ἃ εὗρον, ἐνεπύρισαν πυρὶ κατασχίσαντες· καὶ ὅπου εὑρίσκετο παρά τινι βιβλίον διαθήκης, καὶ εἴ τις συνευδόκει τῷ νόμῳ, τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως ἐθανάτου αὐτόν. Ἐν ἰσχύϊ αὐτῶν ἐποίουν οὕτως τῷ Ἰσραὴλ τοῖς εὑρισκομένοις ἐν παντὶ μηνὶ καὶ μηνὶ ἐν ταῖς πόλεσι·* et 3, 48. *περὶ ὧν ἐξηρέυνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν.* Hic autem Archaeol. (12, 5. §. 4.) affirmat: *ἠφανίζετο δὲ εἴπου βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος, καὶ παρ' οἷς εὑρεθείοι, καὶ οὗτοι κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο.* Haec igitur combustio librorum sacrorum, non tantum *νόμου* vel Mosis librorum, sed totius *βιβλίου διαθήκης*, sive libri foederis, ut impia fuit ac nefanda, ita e contrario piam fuisse credimus illam et laudabilem librorum exustionem magicorum, quam sponte instituerunt ex Ephesiis illi, qui Christo nomen dederunt, antea *περίεργα* sectati et magicis artibus dediti Act. 19, 19. Apud Graecos vero gentiles ejusmodi morem etiam fuisse adhibitum, testatur Lactantius (*de ira Dei* 9.) de Protagora tradens, quod, cum sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua divinitas nec ne, ejus disputatio adeo impia et contra veritatem et religionem judicata fuerit, ut et ipsum Athenienses expulerint suis finibus et libros ejus in concione, quibus haec continebantur, exusserint. Ad Romanos autem quod adtinet, eos

pari modo etiam flammis tradidisse noxios, ut illis videbantur, libros, exemplo Numae Pompilii constat. Hujus enim cum libri septeni in agro L. Petillii Scribae, arcis lapideis inclusi, reperirentur, atque ad praetorem urbanum Q Petillium deferrentur, hominem, ut videtur, insulsum et praeter rem iniquum, cremati sunt forte non mali, senatu id jubente adhuc in litteris rudi, in conspectu populi universi, ex ea ratione, quod praetor se jusjurandum dare paratum esse ajebat, libros eos legi servarique non oportere. Referunt hanc rem copiose Livius (hist. rom. 40, 29.) et Lactantius (divin. inst. 1, 22.) qui tamen insipienter id factum pronunciat. Istum igitur morem comburendi libros, priscae Romanorum religioni adversos, retinuisse etiam imperatores paganos tempore persecutionis in Christianos excitatae, et speciatim quidem Diocletianum, extra omnem controversiam est. Velim tamen ante omnia probe discerni tempora, tum illud, quo tantum de libris Christianorum instituta est quaestio simplex et indignatio, cum combustione nondum conjuncta; tum illud, quo tradi jussi sunt iidem et ad rogum inique flagitati. Ad illud quod adtinet, diu ante Diocletiani aetatem, et quidem jam circa finem sec. II. vel initium III. ut alii volunt, imperantibus Sept. Severo et Antonino Caracalla indagatio librorum sacrorum facta est. Ita certe nos docent Acta proconsularia martyrum Scillitanorum, qui passi sunt Carthagine XVI. Kal. Augusti a. Chr. 200., quae acta servarunt nobis tum Baronius (*annal. eccl. Tom. II. ad a. C.* 302.) tum emendatiora et meliora Ruinartus (in *Actis martyrum sinceris et selectis p.* 86 *ss.*) qui illa ad a. 200. rectius retulit, judice Moshemio (*de aetate Apologetici Tertulliani et initio persecutionis Christianorum sub Severo*, §. 10.) In his Saturninus proconsul, vir admodum modestus, ad Speratum, qui princeps quodammodo horum martyrum erat, ait: *Qui sunt libri, quos aderatis legentes? ad quae respondit Speratus: Quatuor evangelia Domini nostri Jesu Christi, et epistolas sancti Pauli Apostoli, et omnem divinitus inspiratam scripturam.* Haec ipsa verba autem paullo aliter expressit Codex MS. Bibliothecae Colbertinae (apud eundem Ruinartum p. 89.): *Quae est, dicite mihi, res doctrinarum in caussa et religione vestra? Speratus Sanctus respondit: libri evangeliorum, et epistolae Pauli viri sanctissimi.* Ex his igitur constat, jam tunc temporis de libris Christianorum quaeri coepisse, sed fortuito quasi, non ex mandato imperatoris, neque etiam ideo, ut ad ignem poscerentur. Idem fortassis quoque accidit posthac, cum sub Decio turbaretur civitatis christianae tranquillitas, invidia potissimum philosophorum et calumniis, tum etiam judicum nonnullorum odio, qui cum infensissimos se Christianis maximam partem exhiberent, in libros quoque illorum saeviisse credendi erunt. Cum tamen principis edicto vel publica auctoritate illud non fuerit cautum neque expressa nos hanc in rem habeamus scriptorum illius aetatis testimonia, tutius rem in medio relinquimus. Referendum huc etiam, quod Lactantius (*de mort. pers.* 12.) primordia persecutionis Diocletianeae exponens, adhuc d. 23. Febr. a. 303. adeoque ante promulgatum imperatoris edictum Nicomediae accidisse tradit, *scripturas repertas incensas fuisse.* Potuit enim illud fieri vel sciente ac volente Caesare Augusto, cujus mandata

fortassis eo die nondum plene litteris fuerunt exarata, vel ex praefecti voluntate Christianis adversa, vel tandem ferente ita tumultu, quem longe maximum fuisse, sequentia verba satis luculenter produnt. Jam vero ad Diocletiani persecutionem quod spectat, proprium certe atque peculiare malum illius erat, quod ex imperatoris voluntate omnes Christianorum libri sacri ad flammas studiose fuerint conquirendi. Patet hoc ipsum tum ex iis, quae jam ex Eusebio observavimus, tum etiam ex actis martyrum, quae deinceps adlegabimus. Omnium vero luculentissimum est in hanc rem testimonium Augustini, qui expresse Diocletiani vexationem adpellat *persecutionem codicum tradendorum* (*contra Cresc. Donatist.* 3, 26). Quemadmodum itaque Augustini testimonium veritatem adserti nostri sufficienter comprobat, ita vel exinde quoque illa cognosci potest, quod hac tantummodo persecutione imperator publicis litteris traditionem codicum sacrorum mandaverit, id quod nullo antecedentium persecutionum tempore factum fuisse paullo ante ostendimus.

6) Multum omnino interesset nostra, si ex Eusebio atque Lactantio, scriptoribus hujus aevi maxima fide dignis, producere testimonia possemus, quae aperte ostenderent, singulari mandato Diocletianum librorum christianorum combustionem jussisse. Neque vero temere nos aliquid adserere credendum est, quando id adfirmamus. Ut enim de eo nihil dicam, quod a veritatis similitudine id non abhorreat, quandoquidem singulare poenae genus erat, quo adfici debebant Christiani, edicto speciali illud ipsum fuisse promulgandum; siquidem et includi poterat alii et conjungi cum poenis reliquis, quae infligendae ipsis ad principis nutum erant. Salva tamen adhuc est et integra res nostra, propterea quod tum ipse Eusebius (h. e. 8, 2.) de imperatoriis edictis in pluralium numero loquatur, dicens: ἤπλωτο πανταχόσε βασιλικὰ γράμματα, tum et acta s. Felicis episc. Tubyzacensis hoc ipsum disertis verbis testentur. Ita enim habent illa in exemplari, quod Steph. Baluzius (*Miscell. Tom. II. p.* 77.) edidit, et inter *monumenta vetera ad Donatist. Historiam pertinentia ad calcem Optati Milev.* repetiit Du Pinius p. 146: *In diebus illis, Diocletiano octies, et Maximiano septies Coss. Augustis, exivit edictum eorundem Caesarum vel imperatorum super omnem faciem terrae, et propositum est per colonias et civitates principibus et magistratibus, suo cuique loco, ut libros deificos extorquerent de manibus episcoporum et presbyterorum. Tunc programma positum est in civitate Tubyzacensi* cet. Consentiunt fere cum his eadem Acta, a Theod. Ruinarto p. 355. exhibita, adeo ut dubio locus haud relinquatur, quin singulari Diocletiani edicto librorum sacrorum traditio fuerit efflagitata. Jubebatur autem hoc ipso edicto, teste Eusebio l. l.: τὰς γραφὰς πυρὶ ἀφανεῖς γενέσθαι, quod certe ἐμφατικοτέρως dictum existimamus. Uti enim τὸ ἀφανίζειν generatim significat et proprie, *ab adspectu removere*, ita et *perditionis s. abolitionis* notionem sustinet. Cum igitur Diocletianus voluerit ἀφανεῖς γενέσθαι, sive ἀφανίζεσθαι τὰς γραφὰς, et quidem πυρὶ, patet exinde luculenter, non tantum occultationem aut remotionem e conspectu, sed potius plenariam abolitionem hic intelligendam esse. Neque tantum imperatoris voluntas huic interpretationi favet, verum et ipsa praxis, qua codices

longe plurimos tristissimo fato penitus igne periisse constat. Ceterum quod ad linguam attinet, qua consignatum hoc imperatoris edictum primum fuerit et juris publici factum, a vero non abhorrere censemus, quando graece conscriptum illud adfirmamus. Cum enim Nicomediae in Bithynia illud primo prodierit, necesse utique erat, ut illius religionis lingua adhiberetur, quo percipi voluntas imperatoris eo melius posset. Ad alias tamen imperii Romani regiones latine conversum missum illud fuisse non dubitamus, eo quod in illis, et potissimum in Africa, fere nullus linguae graecae usus extiterit.

7) Vocata est persecutionis hujus universalitas in dubium potissimum ab Henr. Dodwello (in *Diss. XI. Cyprianica* de *paucitate martyrum*). Sed confutavit eundem praeter alios solide ac erudite Theod. Ruinartus (*praefat. gener. in Acta martyrum* §. *III. num.* 59—62.). Negari certe non potest, non penitus immunes fuisse regiones aliquas ab hac tempestate, cum diserte illud antiqui scriptores et acta martyrum loquantur; vid. Sulpic. Severus *hist. sacrae* 2, 32.; Lactantius *de mort. p. cap.* 16. et Acta s. Felicis apud Optatum p. 146. Quamvis et id facile largiamur, non eodem modo ubique terrarum adversus Christianos fuisse saevitum, id quod speciatim in Gallia sub Constantio Chloro paulo mitius accidisse videtur, *qui* (teste Lactantio c. 15.) *ne dissentire a majorum praeceptis videretur, conventicula*, i. *e. parietes, qui restitui poterant, dirui passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* Quod vero in primis in Africa malum istud latissime serpserit, cognoscitur vel ex maximis tumultibus, qui in illa ecclesia ab isto tempore orti sunt. Praeterea confirmat eandem rem egregie Optatus Milev. (*de schism. Donatist. XIII.*) dicens: *ferme ante annos sexaginta, et quod excurrit, per totam Africam persecutionis est divagata tempestas.* Immo et monumenta illa vetera, quae suae Optati editioni Du Pinius adjecit, certissime ostendunt, persecutorum rabiem vehementissime ibidem fuisse grassatam atque per biennium continuatam.

8) Cum hoc fuerit per edictum imperatoris injunctum principibus et magistratibus universis officium, ut libros Christianorum ad ignem omnibus modis poscerent, non tantum ut credamus par est, ipsos nihil fecisse reliqui, quod ad voluntatem Caesaris Augusti explendam pertinere posse videbatur, verum et ipsa historia diserte hoc tradit. Erat enim illis haec imperatoris *jussio sancta* et *praeceptum sanctum* (uti vocatur diserte in Gestis Purgationis Felicis Aptungitani p. 164. *a.* apud Optatum) adeoque et sancte custodiendum. Inde etiam esse videtur, quod judices Caesareani, quando a martyribus poscebant codices atque hi dare illos multis verbis renuebant, dicere consueverint: *prius*, sive, *primum est, quod imperatores jusserunt, quam id, quod tu loqueris*; uti videre licet in Actis s. Felicis Tubyzacensis l. c. p. 146. b. Agebant igitur id strenue judices, ut libros sacros flagitarent et nisi ultro darentur, tum minis, tum acerbissimis tormentis e manibus fidelium extorquerent. Negandum quidem vix est, ut plurimum judices ab initio leni adloquio martyres compellasse; ut cum dicerent: *habesne scripturas dominicas?* sive: *da libros vel membranas, quascunque habes, ut possint*

igne aduri; prout Acta Felicis Tubyzacensis et alia docent: cum tamen magnam partem recusarent illam traditionem, mox ad supplicia et cruciatus truculentissimos itum est. Juvat hic audire, quae de ipsorum saevitia litteris prodiderunt scriptores celeberrimi notatu longe dignissima. Ita Optatus Milev. (3, 8.): *Quo tempore,* inquit, *fuerunt et impii judices, bellum christiano nomini inferentes; ex quibus in provincia proconsulari (ante annos sexaginta et quod excurrit) fuerat Anulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa crudelitas. Alii cogebantur templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas incendere, alii thura ponere.* Pari modo Lactantius (*de M. P.* c. 16.) inquit:

Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina possem,

quae judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt; et mox tria persecutorum nomina in medium profert, qui prae aliis iniquos sese Christianis exhibuerunt, Flaccini, Hieroclis atque Priscilliani. Jungenda hisce sunt etiam illa, quae idem (*cap.* 14. et inprimis etiam *Instit. divin.* 5, 11.) retulit, cum maxime memorabilia. Sic quoque de Anulini, Africae proconsulis, crudelitate immani testantur Acta Saturnini presb. et sociorum §. 4. p. 15. ad calcem Optati, et apud Ruinartum p. 385. Postquam enim diu cruciatibus vexaverat durissimis piissimos martyres, neque tamen quidquam adversus eos valeret, *in suis tormentis magis ipse Anulinus tortus est; cujus tandem rabies ferocitate saginata* dicitur. Ceterum quos hactenus generali nomine judices adpellavimus, non unius fuerunt ordinis, quanquam omnium unum erat officium, codicum scilicet tradendorum abolitio. Omnis tamen ordinis magistratus hic in censum venire nullum plane est dubium, eo quod ipsorum nomina prodant acta martyrum et belli sacri scriptores universi. Ita postularunt a Christianis ad rogum volumina sacra proconsules, curatores, praefecti, legati proconsulum, nonnunquam flamines, sive sacerdotes pagani, et ministri Caesarum alii. Immo ne quid eorum impietatem effugeret, cum Christiani cogerentur ab illis scripturas tradere ex praecepto imperatorum, milites etiam secum habere solebant, adparitores et officiales, centuriones videlicet et beneficiarios, ut patet ex epistola secundi Tigisitani ad Mensurium Carthagin., quam refert Augustinus (in *Brevic. Collat. Carthag. d. III. c.* 13. *p.* 386. *F.*). Quid? quod et servos publicos, ut Felix flamen bovem, in domus intromitterent, qui studiose illas perquirerent et sedulo codices investigarent; vid. Gesta apud Zenophilum p. 186. Ex quo deinde factum est, ut sanctissima volumina publicis in locis igne consumerentur, id quod in medio foro accidisse atque suis se vidisse oculis Eusebius hist. eccl. 8, 2. diserte testatur.

§. 6. *Si de causis quaeras, quibus commotus tantopere fuerit Diocletianus, ut scripta Christianorum comburenda conquireret, nihil fere certi producere nos posse in medium fatendum est, cum taceant illas tantum non plane scriptores coaevi ad unum omnes. Conjecturis itaque tantum locus erit cumque*

ingens Romanorum fuerit priscae religionis suae cura, vero non est absimile, imperatorem ideo potissimum libros sacros ad rogum damnasse, quod ipsos gentilitiae superstitioni adversos animadverteret[9]) *ac proinde pro atheis haberet, aut magicis,*[10]) *aut seditiosis,*[11]) *immo forte etiam simplicibus et barbaris,*[12]) *atque in universum nonnisi ad obfirmandos Christianorum contra Romanorum religionem animos scriptis, quibus e medio sublatis facilior deinceps futura sit illorum vel ad paganismum conversio vel universalis interitus.*[13])

9) Quanta fuerit gentilium cura, ne qui contra ipsorum leges aut theologiam aliquid inveherent, quod in reipublicae cedere posset perniciem, illa jam ex parte ostendunt, quae supra observavimus. Quamque fuerint ipsis leges illae sacrae, quibus hoc ipsum praecipiebatur, vel inde etiam cognosci potest, quod capitalem poenam infligere consueverint contra illas peccantibus. Inde vero planum est ac facile ad Christianorum sacros concludere libros, utpote qui non tantum deorum cultui ac multitudini favere non poterant, sed et falsitatis ipsa quam luculentissime convincebant; quo scilicet animo quamque benignis oculis tulerint illos homines, densissima religionis foedae caligine obruti, qui vanum omne ac profanum existimabant, quod a sua ratione deum colendi abhorreret. Ita profecto meretur hic adnotari Aureliani imp. in Christianos odium immane, ob spretos ab eis libros Sibyllinos et neglectam eorum inspectionem, quam tamen Romae maximi habitam antehac et nonnisi in praesentissimis periculis susceptam fuisse constat (vid. Flav. Vopiscus in *Aureliano c.* 20.). Nimirum vix dubium est, jam tum temporis in senatu extitisse Christianos, qui exploserint vanam Sibyllinorum inspectionem ab imperatore postulatam, fallacem quippe et in divinam providentiam injuriam. *Miratur ergo* (verba sunt Claud. Salmasii ad h. l.) *Aurelianus* sua in epistola, *tam diu dubitasse patres conscriptos de aperiendis libris Sibyllinis, perinde quasi in Christianorum ecclesia sententias dicerent, non in deorum omnium templo tot religionibus sacrato. Christianos enim impiorum et ἀθέων numero habebant, qui male de religionibus sentirent, et nullos deos colerent, nulla templa in honorem divorum exstructa haberent. Incusat igitur senatores Aurelianus eo nomine, quod tamdiu sententiis suis distulerint rem piam et ad religionem pertinentem et deorum honorem cultumque spectantem, librorum nempe Sibyllinorum inspectionem.* Mittimus reliqua et lectorem nostrum ad ipsum Salmasium ablegamus, qui etiam ibidem elegans Justini Mart. testimonium produxit, ex quo pro atheis et omnis religionis hostibus habitos fuisse tunc temporis Christianos, oppido luculenter patet. Quis vero dubitet, hanc quoque occasionem natam malignis hostibus, ut, cum oracula Sibyllarum, fatales ac divinos suorum libros, nonnisi ab atheis sperni posse crederent, hi virus suum omne in libros S. S. vere divinos effuderint, velut priscam solventes religionem ac proinde in perniciem reipublicae datos, nec nisi rogo igneque dignos et per illum aeterna nocte sepeliendos. Certe Diocletianus, qui Aureliani maximus fuit venerator et dignus ante alios, quem in principatu sequeretur, vel inde, ut conjicio, stimulos quoque tales

accepit, ut igne libros sacros delendos censeret: quamvis negare nolim, etiam hac in parte multum adscribendum esse furori Galerii Maximiani Caes., quem praecipuum Diocletiani incentorem ad movendam in Christianos persecutionem fuisse constat. Et quid mirum, scripta eorum pro impiis ac atheis habita, qui ipsi, cum essent sanctissimi, athei et profani nunquam non judicati sunt?

10) Antiqua satis erat, quam in Christum ejusque adseclas evomuerunt gentiles, magiae calumnia, et ita quidem inepte, ut ipsum Servatorem sanctissimum libros de magia ad Petrum et Paulum apostolos scripsisse perhiberent; vid. Chr. Kortholti *Paganus obtrectator* (3, 4. §. 1.). Cum enim illi stupenda et vere divina miracula non agnoscerent, uti quidem par erat, pro talibus, nihil ipsis prius fuit, quam ut magicis artibus patrata esse eadem dicerent. Longe itaque sapientissime agere sibi videbantur, si et illos libros pro talibus haberent, quibus tradi et extolli artes istas credebant; neque tantum in istum censum referrent, sed et proscriberent et igne exstirparent. Ita jam Alexandri Severi tempore, Caesaris optimi et Christianis faventis, sententiam tulerunt hostes nominis christiani jurati, Ulpianus et Paulus ICti, in magicae artis libros, et igne cremandos illos judicarunt, potissimum S. Scripturam hoc nomine turpiter infamantes, ut forte paulo facilius invidiam conflarent Christi civibus apud imperatorem, quem non iniquum sed benignum erga illos hactenus non sine invidia conspexerant. Ipsa eorum verba exhibent Caes. Baronius (*Annal. eccles. II. ad a.* 302. §. 20.) et Jac. Gretserus (*de jure et more prohibendi libros haereticos et noxios* 1, 2.). Non igitur mirum fuerit, cum jamdudum in magicorum librorum numerum relata fuerint sacra volumina, eadem etiam a Diocletiano, ut magica, conquisita et igne concremata fuisse et quidem eo minus, quo facilior pro timore suo esse poterat, mala sibi quaeque ex illis ominandi.

11) Quomodo ceu inconvenientem et maxime contrariam statui reipublicae christianam religionem traduxerint homines pagani, singulari tractatione exposuit Kortholtus (l. l. 1, 8.). Verum non id tantum egerunt, sed etiam ex clandestinis atque nocturnis illorum conventibus pessima quaevis sibi sunt ominati. Quo factum est, ut, quoties publica accideret rei publicae calamitas, in Christianos omnis culpa mali devolveretur; id quod vel in hac quoque persecutione strenue fecit Galerius, cum regium Nicomediae palatium ipse per ministros incendisset (vid. Lactantius *de m. c.* 14.). Immo nihil plane sunt veriti, factiones, conspirationes et laesae potissimum crimen majestatis impune Christianis impingere, eo quod neque per Caesaris genium jurare neque divinos illi honores exhibere voluerint. Atque hinc dubium quoque nullum est, quin Diocletianus libros sacros pro seditiosis habuerit vel ejusmodi scriptis, quae debitam imperatori obedientiam dandam impedirent atque negarent, quaeque si igne tollerentur, vel hoc nomine et suae auctoritati et reipublicae saluti consuli quam optime posse existimaverit.

12) Quemadmodum dudum praedixerat de sanctissima evangelii doctrina Paulus 1. *Cor.* 1, 23. *ὑμεῖς κηρύσσομεν Χριστὸν ἐσταυρωμένον, Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν*, ita eodem loco habita

deinceps quoque fuit coelestis veritas iis temporibus, quibus maxima bella adversus Christianum nomen saevierunt. Non enim tantum inepte creduli sunt a gentilibus habiti Christiani, quando fidei suae mysteria proponebant, sed et stupidi et ratione carentes et barbari, si de libris illorum aut stili genere quaereretur. Addimus nos, quando Celsus, canis ille Christianorum, S. Scripturam una cum aliis sui furfuris hominibus ceu *ἰδιωτικοὺς λόγους* et sermonem *ἀγροικότερον* risit, in ipsis quoque martyrum actis nos vestigia eorum deprehendere, qui simplicitatem, Christianis alias objici solitam, libris quoque sacris tribuere videntur. Ita certe ad Felicem episc. Tubyzacensem, martyrem pium ac fortem pro sacrorum voluminum conservatione, tum legatus proconsulis, tum ipse proconsulis Anulinus dixerunt: *Quare scripturas supervacuas non reddis? Habes scripturas supervacuas?* ad quae cum Felix respondisset: *Scripturae, quae a nobis habentur, non sunt supervacuae;* patet exinde, illum impactam temere libris sanctissimis simplicitatis stupidae ac barbarae maculam hoc ipso ab iisdem amoliri voluisse. Cum itaque pro simplicibus habuerint gentiles volumina sacra et supervacuis, quae non solum sapientiam ipsis tantopere depraedicatam non juvarent, sed potius adtererent et longe plurimos homines ab eadem avocarent, consultissimum videri poterat, si igne cremarentur, ut vel inviti Christiani ad amplectendam religionem paganam traducerentur, aut saltim non amplius haberent, quod nutrimentum pristinae simplicitati praeberet.

13) Saltim de sublato penitus et exstincto Christianorum nomine triumphum quasi, licet ante victoriam, cecinisse Diocletianum et publica erexisse trophaea, testantur duae inscriptiones Cluniae in Hispania in nobili columna scriptae (ap. Baronium *Annal. Eccl. Tom. II. ann.* 304. §. 8. et Jan. Gruterum in *Corpore inscriptionum*, *Tom. I. p.* 280. *num.* 3. 4.) quarum una haec est:

DIOCLETIANUS. IOVIUS. ET
MAXIMIAN. HERCULEUS
CAES. AUGG
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM
ET
NOMINE. CHRISTIANORUM
DELETO. QUI. REMP. EVER
TEBANT

Altera vero brevior ita se habet:

DIOCLETIAN. CAES
AUG. GALERIO. IN. ORI
ENTE. ADOPT. SUPERS
TITIONE. CHRIST
UBIQ. DELETA. ET CUL
TU. DEOR. PROPAGATO

Cetèrum quam inique gentiles egerint, scripturas divinas exurentes, suo jam tempore graviter ostendit Arnobius (*adversus gentes* 4, *p.* 90. ed.

Elmenh.: *Quodsi haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius litteras, hos exurere debuistis olim libros, istos demoliri, dissolvere theatra haec potius, in quibus infamiae numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui in quibus summus oratur Deus, pax cunctis et venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, et resolutis corporum vinctione; in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiaris communicatores rei et cum omnibus, quos solidet germanitatis necessitudine copulatio. Verum ita se res habet, ut, quoniam plurimum gladiis et potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia judicetis, et esse pro Diis pios, quorum potentius primi opinionum obscoenitate foedastis.*

§. 7. *Illi igitur omnes, cujuscunque fuerint generis, qui a persecutoribus requisiti aut coacti sacros V. et N. T. codices, vel quaecunque alia, tradiderunt gentilibus ad ignem, sive noxium rei christianae usum, Traditorum*[14]) *nomine infamati fuerunt; quanquam non constet, quo anno nomen illud certam atque definitam originem obtinuerit.*[15])

14) Cum longe frequentissimum fuerit, praesertim in Africa, ut persecutores poscerent e Christianorum manibus libros igni tradendos, plurimos quoque fuisse, qui pessimae jussioni morem gesserunt, evincit vel solius Optati Milev. fides, qui (de schism. Donatist. 1, 13.) refert: *In Africa duo mala et pessima admissa esse constat, unum in traditione, alterum in schismate; sed utraque mala et uno tempore et iisdem auctoribus videntur esse commissa. — — Nam ferme ante annos sexaginta et quod excurrit per totam Africam persecutionis est divagata tempestas; quae alios fecerit martyres, alios confessores, nonnullos funestam prostravit in mortem, latentes dimisit illaesos. Quid commemorem laicos, qui tunc in ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid ministros plurimos? quid diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi illis temporibus, ut damno aeternae vitae, istius incertae lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt.* Hi igitur, eo quod scandalo turpissimo sacra volumina paganis comburenda tradererent, invidiosissimo *Traditorum* nomine insigniti sunt. Neque tamen in aliis etiam orbis Romani provinciis defuisse ejusmodi homines censendum est, qui minarum et tormentorum atrocitate fracti eodem sese crimine polluerunt. Cum enim universalem fuisse Diocletiani saevitiam recte contendant viri docti, et proposita non tantum super omnem faciem terrae dicantur illius edicta, sed etiam variis in terris ac urbibus adfixa, dubium fere nullum est, quin et praeter Africam aliae regiones foverint atque habuerint suos *Traditores*. Excipienda tamen hic inprimis est Gallia, utpote quam ipsimet Donatistae immunem ab hoc facinore pronunciarunt, in sua ad Constantinum imp. epistola, ob hanc ipsam Traditorum causam examinandam scripta, apud Optatum Milev. 1, 22. Immo ipse Augustinus graviter reprehendit Donatistas, quod hominibus toto terrarum orbe

dispersis crimen hoc imputare voluerint, de quibus utrum commiserint plane non constet. Jam vero quid ipsa fuerit traditio, ex ipsa vocis notione propria tam clare elucet, ut illam uberius explicaturi oleam perdere velle atque operam judicandi essemus. De graeco tamen nomine aliquid addere forte non supervacaneum erit, eo quod singulari cum emphasi rem hanc elegantissima lingua exprimat. Rara tamen ejus vestigia sunt, et nonnisi ex actis martyrum haurienda. Ita in actis Theoduli Thessalonic. lectoris, quae extant apud Bollandum (in *Actis Sanctorum IV. April. p.* 321 *ss.*) mentio fit §. 13. *ἐκδόσεως τῶν γραφῶν*, uti traditionem illam Faustinus praesul appellavit, quam vero Theodulus renuebat, *τοῦ Θεοδούλου μηδὲν πρὸς τὴν ἔκδοσιν τῶν γραφῶν ἐκδιδόντος*, ne *προδότης* haberetur. Distinctio igitur videtur interesse inter *ἐκδοσιν* ac *πρόδοσιν*, quamvis utrumque vocabulum ex eadem radice descendat. Nimirum proprie non tam turpem sensum habet *ἔκδοσις* ac *πρόδοσις*, eo quod illa saepius accipitur de traditione licita, ad arbitrium et usum alterius commodumque inde accipiendum, ut cum commodatur alteri; ut adeo *ἐκδιδόναι* idem sit ac *ἐκμισθοῦσθαι* sive *μισθώσασθαι ἐκδόσεις elocare*; quo sensu etiam occurrit *ἐκδιδόναι* Matth. 21, 33. 41. et apud Xenophontem atque Polybium observante Raphelio (in *Annot. philol. in N. T. ex Polybio et Arriano collectis p.* 92 *ss.*). Et ad hujusmodi *ἔκδοσιν* licitam videtur Paulus Ephesi quoque libros accepisse magicos ab iis, qui conversi sunt, et deserentes artes magicas, libros suos congestos ipsi publice combusserunt Act. 19, 19. Alio autem sensu *ἐκδοσιν τῶν γραφῶν* a Theodulo petiisse Faustinus existimandus erit, scilicet ad rem illicitam atque malam, nempe combustionem, quam ideo Theodulus fortiter recusavit, ne *προδότης τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος* evaderet. Hanc etenim *τοῦ προδότου* notionem propriam esse, ut *proditorem deliberate ac voluntarie agentem* denotet, Lexicographi docent, quam ipsam notionem etiam in evangelica historia de Juda Christi proditore occurrere video Luc. 6, 16. coll. Act. 7, 52. II. Tim. 3, 4.

15) Antiquioribus jam extitisse temporibus homines, qui Traditoribus hujus aevi praeluserint, paulo superius ostensum est. Nullum tamen in illis vocabuli usum extitisse, constans scriptorum evincit silentium. Igitur hoc demum tempore quaerendi vocis natales, quo frequentissime repetita codicum traditio, et ipsum nomen omnium in ore fuit. Hic vero praecipue audiendus est Augustinus, qui (*de bapt. contra Donatistas* 1, 2.): *Post passionem*, inquit, *B. Cypriani quadraginta, et quod excurrit, annis peractis, traditio codicum facta est, unde coeperunt adpellari Traditores.* Quae verba cum certam nominis Traditorum originem constituere videantur, in dubio tamen et suspenso rem omnem relinquunt. Caesar quidem Baronius (*Annal. Eccl. Tom. II. ad ann.* 302. §. 16.) testimonium illud Augustini excitans, adeo nihil vidit difficultatis, ut sibi potius plana esse omnia dicat. Ille enim contendit, Cypriani martyrium sub Fusco et Basso coss. anno Domini, secundum rectam a se institutam chronologiam, ducentesimo sexagesimo primo accidisse, ut adeo, si ab eo anno usque ad annum 302. numerus supputetur, anni fiant quadraginta et unus vel duo, si ambo, qui extremi sunt, anni numero inclu-

dantur. Verum ut taceam, quod supra jam monui, non anno 302. sed sequenti demum persecutionem fuisse inchoatam; falsus praeterea in eo est Baronius, quod Cypriani martyrium ad annum 261 retulerit, cum jam anno 258. d. 18. Cal. Octobris Cyprianum passum fuisse ipsa martyrii illius acta proconsularia ostendant (ap. Ruinartum in *Actis mart. sinceris et select. p.* 218.). Quamvis vero certum sit, S. Cyprianum ann. 258. martyrii coronam accepisse, nondum tamen inde plena lux accedit tempori, quo Traditorum nomen ortum est. Obscurum quidem nemini esse potest, in ann. 303. persecutionis initium incidere, adeoque si a passione S. Cypriani usque ad istum annum computus fiat, redire exinde annos 44. Verum ne sic quidem definitam nominis originem ex illo loco liquere manifestum est, cum illud *unde*, quod Augustinus adhibuit, etiam istam sustinere queat significationem, ut quidem designet *ab illo tempore, circa illud tempus*; quo profecto definitum ac certum annum designari nemo facile adfirmabit. Interim plane non dubito, haud longe ab isto tempore, quo criminis notio invecta est, quaerendam quoque Traditorum nominis esse originem. Certe anno 305. istud jam obtinuisse, quam clarissime ostendunt acta conc. Cirtensis in Numidia habiti, *quo episcopi, interrogante Secundo, Numidiae Primate, tradidisse confessi sunt*, observante Optato Milev. *de schism. Donatist.* 1, 14. Hoc ipsum vero concilium ann. 305. habitum fuisse, contra Baronium luculenter admodum evicit Henr. Valesius *in notis ad Eusebii hist. eccl. p.* 163.

§. 8. *Requirebantur nimirum a persecutoribus ad traditionem omnes illi, cujuscunque fuerint ordinis,*[16]) *sexus*[17]) *atque aetatis,*[18]) *qui codices sacros aliaque, vel publica auctoritate vel ut privati*[19]) *habebant. Cumque ex his omnibus prostent exempla eorum, qui jussis morem gerentes traditionis crimine sese polluerunt: alii e contrario fuerunt, qui non solum tradiderunt, sed ipsi quoque volumina sacra combusserunt.*[20])

16) Accedimus hic omnium primo ad ordinem ecclesiasticum, cui non tantum primas in veteri ecclesia partes tributas constat, sed prae aliis etiam infestam fuisse hanc persecutionem, ex iis manifestum est, quae supra de edictis Diocletiani observavimus. Et ante omnia quidem ad episcopos convertenda oculorum est acies, utpote qui prae aliis spectari merentur, eo quod ipsi primi ad traditionem quaesiti, principes quoque peccarunt. Hic vero potissimum probe observanda sunt, quae de iis refert Optat. Milev. (*de schism. Donat.* 1, 13.) dicens: *Ipsi apices et principes omnium, aliqui episcopi, illis temporibus, ut damno aeternae vitae, istius incertae lucis moras brevissimas comparurent, instrumenta divinae legis impie tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Rusiccadensis, Donatus Calamensis, et homicida Purpurius Limatensis et Menalius* cet. Ex hoc igitur loco quam certissime constat, fuisse illo tempore non eos tantum, quos nominatim recenset Optatus, sed plures quoque alios episcopos, qui Traditores fuere. Confirmant hoc ipsum et Augustinus plurimis in locis aliique, et inprimis etiam acta martyrum varia, quae hac tempestate potissimum episcopos a persecutoribus ad

traditionem strenue compulsos fuisse testantur; tum ostendit quoque famosissimi Donatistarum schismatis historia, quod ob traditores episcopos ortum, in ecclesia Dei diuturnas cum maxime easdemque tristissimas turbas excitavit. Sufficit nobis interim ostendisse, non immunes fuisse traditionis episcopos, sed abreptos potius poenae metu, persecutorum nutui morem gessisse; praesertim cum ipsi quoque codices secum habere consueverint, ut patet exemplo Felicis Tubyzacensis (vid. Acta s. Felicis *ad calcem* Optati *p. m.* 146.). Pedem igitur ad presbyteros promovemus, quos itidem ad codicum traditionem vocatos esse ex dicendis constabit. Et primum quidem extra controversiam est, antiquioribus jam temporibus ac aevo apostolico proximis sacram hanc fuisse presbyterorum curam, ut libros sacros studiosissime in ecclesiarum usum adservarent. Evicit hoc ipsum luculentissime ex antiquissimo s. Irenaei testimonio Jo. Frikius in *Comment. theologico-critica de cura veteris ecclesiae circa canonem S. Script. et conservandam codicum puritatem p.* 51. Jam vero dubium nullum est, idem negotium concreditum quoque hujus aetatis presbyteris fuisse, ut principem velut curam et quasi inspectionem haberent in sacra volumina, quae publico ecclesiae usui destinata reponebantur. Frequentissima certe presbyterorum est mentio in actis martyrum, qui hoc tempore passi sunt; et testatur etiam diserte Optatus loco jam supra excitato, inter presbyteros quoque, in secundo sacerdotio constitutos, Traditores extitisse. Ita in civitate Tubyzacensi cum proponeretur programma sive edictum imperatoris contra codices, statim Magnilianus curator istius civitatis jussit ad se perduci presbyteros, et ex ipsis de sacris voluminibus percunctatus est (vid. Acta s. Felicis Tubyzacensis ad fin. Optati *p. m.* 146.). Pariter quoque in civitate Alutinensi adprehensus a stationario milite dicitur Saturninus presbyter, qui et ipse una cum sociis martyrium subiit; uti ostendunt Acta Saturnini cet. *ibidem p.* 151., quae licet e Donatista quodam composita fuerint, pro genuinis tamen maximam partem et sinceris hodieque habentur: unde et expressit illa Ruinartus (*in Actis martyrum sinceris et selectis p.* 382 *ss.*). Porro de diaconis etiam nonnulla dicenda nobis erunt, quamvis paucissima. Hos ipsos vero pariter ad traditionem a persecutoribus fuisse impulsos, idem quoque Optati Milevit. locus ostendit, saepius jam a nobis adlegatus. Ita vero ille: *Quid commemorem diaconos in tertio sacerdotio constitutos*? Necesse igitur est, nonnullos quoque hujus ordinis viros tradidisse paganis volumina sacra flammis exurenda, quandoquidem hic expressum de iis sermonem habet noster, qui crimine illo sese commacularunt. Patet hoc quoque ex actis S. Euplii diac., qui ob recusatam S. Scripturae traditionem a. Chr. 304. in Catanensium civitate Sicula passus est (vid. Baronii *Annal. eccles. Tom. II. ann.* 303. §. 146. et Ruinarti *Acta martyrum sincera et selecta p.* 406 *ss.*). Addenda hic merito, quae Prudentius de martyrio Vincentii archidiaconi Caesaraugustani hymno V. libri *περὶ στεφάνων n.* 54 *ss.* ex ore Daciani Praetoris refert:

Si tanta callum pectoris
Praedurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abomineris tangere:

Saltim latentes paginas
Librosque opertos detege,
Quo secta pravum seminans
Justis cremetur ignibus.
His martyr auditis, ait:
Quem tu, maligne, mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis hoc ipse justius.
Romphaea nam coelestium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

Quae cum tam aperta sint, ut clariora esse nequeant, nihil est, quod de quaesita traditione ab archidiacono facienda dubitemus, quamvis nihil de sacris libris in actis nec apud Augustinum inveniatur. Quid vero sibi velit Optatus, cum diaconos tertium sacerdotii genus vocavit, explicarunt non solum ejus commentatores, Mericus Casaubonus et Du Pinius; sed etiam Jos. Binghamus (in *Originibus eccles. Vol. I. p.* 285. ed. Grischovii).

Quae hactenus de traditione ab episcopis, presbyteris atque diaconis efflagitata diximus, ea quoque ad inferiorum ordinum clericos aliasque personas ecclesiasticas pertinent. Ab his enim pariter postulatos fuisse libros sacros aliaque ecclesiae *κειμήλια*, fidem nobis faciunt certissimam acta martyrum et gesta proconsularia. Producemus hic in medium primo loco lectores, quippe quorum officium fuit, non legere tantum coram populo scripturas, sed easdem quoque adservare. Ad prius quod adtinet, nemo istud in dubium vocabit, qui ordinis hujus institutionem hujusque rationem penitius cognitam habet; utpote quos eundem in finem sec. III. in ecclesia constitutos fuisse constat. Posterius autem comprobant, ni fallor, sufficienter gesta apud Zenophilum consularem, *ad calcem* Optati *inter monumenta vetera ad Donatist. histor. pertinentia* a Dupinio exhibita, itidemque *in Append. tom. IX. Operum* Augustini expressa. Haec enim ut ostendunt, poposcisse Munatium Felicem, flaminem, perpetuum curatorem coloniae Cirtensium, a Paulo episc., ut scripturas legis et si quid aliud haberet, proferret; ita Pauli quoque responsionem hanc exhibent: *Scripturas Lectores habent*, quam deinceps simili formula confirmarunt Catulinus et Marcuclius, subdiaconi (uti vocantur), dicentes: *Lectores habent codices.* Addenda his quoque passio Theoduli Thessalonicensis, juvenis, (cujus supra jam fecimus mentionem) quem itidem Lectorem fuisse ostendit Franc. Maria Florentinius in *notis ad Martyrologium Hieronymianum p.* 418. Conferenda et passio S. Pollionis (ap. Ruinartum p. 404.) qui primicerium se vocat lectorum, qui eloquentiam divinam populis legere consueverunt. Vix ergo dubium est, quin specialis lectoribus codicum fuerit cura demandata illique quasi bibliothecarii sacri habiti sint, quos tamen presbyteros in hac parte superiores, et quasi inspectores suos habuisse credimus. Facile propterea fuit lectoribus, tradere libros sacros sibi concreditos: atque hoc ipsum quoque illorum nonnullos fecisse, exempla

Eugenii et aliorum in iisdem, quae allegavimus, actis obvia, satis luculenter demonstrant. Non licet nobis in recensendis reliquis ordinibus inferioribus eidem, qua hucusque processimus, viae insistere, ne lectori taedium creet, cum praesertim non aeque memorabiles illi in ecclesia fuerint. Brevibus igitur tantum observamus, postulatos fuisse ad traditionem subdiaconos, fossores et sarsores. Ex istis prae aliis celebris est Silvanus, postea Cirtensis episc., quem citata gesta apud Zenophilum Traditorem fuisse illo tempore, quo subdiaconi fungebatur munere, manifeste ostendunt. Illos atque hos eadem acta nominatim itidem exprimunt, ut adeo nullum plane dubium sit, quin non modo flagitati fuerint horum ordinum viri ad traditionem, sed etiam rei criminis istius quam certissime habendi sint.

Reliquum est, ut nunc etiam ad ordinem politicum et herilem progrediamur, et ab hujusmodi hominibus postulatam fuisse traditionem ostendamus. Nimirum probe tenendum est, non clericos tantum sed et laicos in quaestionem de codicibus vocatos fuisse. Neque cum Celso tibi persuadeas velim, infimam tantum plebem et faecem quasi generis humani sacris Christianorum addictam fuisse, cum et magnarum dignitatum viros Christi castra sactatos fuisse passim legamus. Sic in ipsis Diocletiani ministris Christianos fuisse, omnium clarissime, si quid conjicio, ex Lactantio et Eusebio patet. Videmus certe, Carthagine senatorem Abitinensem, Dativum, passum sub Anulino propter s. litteras cum sociis longe plurimis, quorum acta producunt Ruinartus (*l. c. p.* 382 *ss.*) et Du Pinius ex Baluzio (*ad calcem* Optati *p. m.* 150 *ss.*) plus semel jam nobis citata. Pari modo in gestis apud Zenophilum (*p. m.* 168.) refertur, ad domum Coddeonis mariti cum venisset Felix, flamen, curator Cirtensis coloniae perpetuus, postulasse eundem, ut codices proferrentur, cujus et mandatis Coddeonis uxor morem absque mora gessit. Quae omnia profecto, non immunes fuisse laicos ab illa inquisitione aperte ostendunt, quamvis non tam multa hujus generis traditorum exempla occurrant, forte tamen non digna scriptoribus visa, quae longius essent enumeranda.

17) Omnibus omnino hominibus, qui christianam fidem profitebantur, gravem fuisse atque infestam Diocletiani persecutionem, ex iis, quae supra de edictis diximus, manifestum esse potest. Atque hinc factum est, ut a sexu quoque muliebri codices sacros requirerent persecutores. Fidem hac in re nobis faciunt, quae paulo ante adduximus gesta apud Zenophilum consularem, (*p. m.* 168 *b.*) ubi Coddeonis uxor ad Felicem sex codices protulisse dicitur. Inprimis vero confirmant Acta Sanctarum Agapes, Chioniae, Irenes cet. a Ruinarto in *Actis martyrum sinceris et selectis p.* 392 *ss.* exhibita, quae negatam constanter ab Irene traditionem Scripturarum praedicant, ob quam deinceps etiam, ut et recusatam fortiter immolationem Diis paganorum offerendam, *in consulatu Diocletianii Augusti IX. Maximiani autem Aug.* 8. *Kalendis Aprilis igne consummata est.*

18) Non a virilis tantum aetatis hominibus, sed etiam juvenibus ac

infantibus postulatos fuisse codices, ostendunt acta Saturnini et sociorum, ad finem Optati adnexa saepiusque nobis jam citata. In iis enim sistuntur Saturninus junior, lector diserte *adolescens* et *juvenis* vocatus (§. 12. ex ed. Baluzii, et §. 14. ad Ruinarti exemplum) ac Hilarion sive Hilarianus, infantis puerique nomine insignitus, et vel inde maxime celebris, quod aetatem suam parvulam ingenti devotione vincebat, quae ipsa actorum verba sunt. Observanda tamen, quae hic optime monet Baronius *ad ann.* 303. §. 36. dicens: *Cum hic audis infantem, ne existimes puerum hunc esse nuper natum, qui fari nesciat: nam loquendi usus erat apud Afros, ut quosque pueros infantes dicerent.* Ita infantes olim sive pueros in ecclesia fuisse lectores constitutos, antequam id Justinianus vetaret, variis exemplis comprobat Jos. Binghamus (*Orig. Eccl. Vol. II. p.* 34 *ss.*), inde moris hujus originem derivans, quod parentes filios suos nonnunquam ab incunabulis Dei ministerio dedicaverint et sic per inferiores ordines ad majora officia praeparaverint; secus tamen, non rectius, sentente Baronio, qui ut hypothesi suae inserviat, jam ab apostolorum temporibus clericos in sacris ordinibus constitutos, etiam in Africana ecclesia caelibatum servasse adserit; quod quam frustra dicat ac inepte, alii judicent.

19) Id quidem est, quod male habet religionis pontificiae defensores, qui, dum ab episcopo Romano laici sacri codicis lectione prohibentur, huic ipsi impietati suae ex antiqua ecclesiae vetustioris consuetudine fucum facere volunt, contendentes, eundem quoque morem in illa obtinuisse. Verum quam frivole haec dicantur, longe clarissimis ostendi potest argumentis. Habuit certe ecclesia unaquaeque suos codices publicos, laicorum usui, si qui eorum adhibere illos vellent, destinatos. Quid enim clarius esse potest illo Irenaei testimonio, quo ad presbyteros amandat illos omnes, qui exempla scripturae integra et non corrupta evolvere cupiunt, quippe publica auctoritate constitutos sacrorum voluminum custodes. Immo vero et sequioribus seculis idem fuisse institutum, ut biblia lingua vulgari in commodo ecclesiae loco posita essent pro populo, ut pro lubitu, si qui pia inclinatione eo ferrentur, scripturarum lectione ante vel post divini officii tempus animum occupatum habere possent, observavit Binghamus *Orig. Eccl. Vol.* 5. *p.* 44 *ss.* et exemplis admodum illustribus evictum dedit; quanquam in eo rem mihi acu tetigisse non videatur, quod Constantinum M. ob illam tantum causam mandasse credat, ut quinquaginta exemplaria bibliorum in usum eccl. Constantinopalitanae conficerentur; cum exinde potius ansam cepisse existimem imperatorem, quod per Diocletiani rabiem tot codicum S. millia perierint. Verum quae publica ecclesiae cura fuit laicorum, eandem et hi ipsi adhibuerunt, ut domi cum suis legerent relegerentque Dei eloquia atque sic ad publicum cultum animos suos praepararent et componerent. Ostendit illud quoque manifestissime Binghamus (*l. c. p.* 96 *ss.*) et ex ipsis martyrum actis, qui sub hac persecutione vitam quam codices S. perdere maluerunt, evicit, a nemine unquam, nisi paganis persecutoribus illam Christianorum libertatem fuisse violatam ut adeo certissimum fit, habuisse olim laicos et assidue domi lectitasse

S. Scripturam, quam alioquin ad traditionem quaerere et manibus illorum eripere gentiles non potuissent.

20) Fidem hujus rei facit nobis apertum Optati Milev. testimonium, qui (3, 8.) *alii cogebantur*, inquit, *templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas incendere.* Eo usque enim processit impius persecutorum furor, ut etiam concitarent eorum aliquos, qui tradiderant, quo ipsi in ignem sacra volumina mitterent. Speciatim id de Victore Rusiccadensi adfirmat Augustinus (*contra Cresconium Donatist.* 3, 27.) et alios etiam Africae episcopos hujus criminis a Donatistis, temere licet insimulatos fuisse, observavit Pfannerus (*Observ. de Traditoribus* §. 5. *p.* 237 *ss.*) cum tamen ipsi potius Donatistae in oppido Bagaiensi codices quoque sanctos in ignem misisse ab episcopis catholicis fuerint convicti. Fortassis cum hac ipsa traditione atque exustione conjuncta quoque fuit Christi negatio aut exsecratio. Certe jam antiquissimo tempore petitam fuisse ejusmodi exsecrationem Christi ab ipsius confessoribus, ostendit epistola ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi (apud Ruinartum in *Actis martyr. sincer. p.* 38.) in qua proconsul Polycarpum ita compellasse dicitur: *λοιδόρησον τον Χριστον, et te dimitto.* Eodem modo etiam Plinius notissima illa ad Trajanum refert, *se petiisse, ut Christiani maledicerent Christo.* Dubium igitur vix est, quin etiam a Traditoribus, si non omnibus, aliquibus tamen et iis praesertim, qui ipsi scripturas incendere cogebantur, idem fuerit postulatum. Optatus certe Milevitanus conjungere ista videtur loco mox citato; et magis adhuc confirmare Dulcetius praeses, ad SS. Agapen, Chioniam et Irenen inquiens: *cumque ad hodiernum diem jussae a stationariis ac primis militibus, Christi negationem scriptam profiteri, facere id recusetis; propter ea poenas vobis dignas accipite* (ap. Ruinartum p. 394.). Saltim illud nemo temere inficiabitur, traditionem istiusmodi ad Christi *λοιδορίαν* vel publicis maxime paganorum convitiis turpissimisque scommatibus tractam fuisse, quando sese tam egregie scilicet de publicis Deorum hostibus triumphantes magno cum voluptatis sensu viderunt.

§. 9. *Ut postulati, ita traditi quoque potissimum sunt codices bibliorum sacri;*[21]) *instante tamen et urgente judicum potestate,*[22]) *libri quoque ecclesiastici alii, itemque acta et cohortationes martyrum,*[23]) *vasa tandem sacra et instrumenta omnis generis ecclesiastica.*[24]) *Quae omnia ut suis singula locis poni consueverant,*[25]) *ita inde studiose eruta, ingenti rei christianae jactura perierunt.*

21) Certum illud est et extra omnem dubitationis aleam positum, S. Scripturae libros tradendos fuisse atque comburendos, idque factum quoque diligenter et Eusebius et acta martyrum testantur. Ille quidem (hist. eccl. 8, 2.) *τὰς ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας*, sui se ipsum oculis vidisse ait; haec autem plus simplici vice immani saevitia factum idem certissime confirmant. Traditae igitur sunt *αἱ γραφαὶ*, quod nomen vel maxime usurpasse persecutores credibile est, eo quod non tantum *πληθυντικῶς* ita vocari

antiquitus paginae sacrae consueverint, sed inprimis, quod plane ipsis incognitum fuerit librorum sacrorum discrimen et canon, ut adeo generaliori voce usi fuerint, quae intercidere aut effugere ipsorum malitiam aliquid prohibere videbatur. Occurrunt tamen in martyrum actis etiam alia nomina, quibus sacri codices insigniebantur, itidem a nobis cum cura adnotanda. Sic vocantur v. g. *scripturae deificae*, *libri dominici*, *instrumenta deifica*, *religiosissimae scripturae* etc. (vid. acta felicis Tubyzacensis p. m. 146. 147. et gesta purgationis Felicis Aptungitani p. m. 165 b.). Ego tamen facile crediderim, ejusmodi denominationes honorificas neque ab imperatore, neque a praesidibus provinciarum aliisque judicibus ex animi sententia fuisse adhibitas, cum supervacuas potius, inanes et stultas, immo noxias Christianorum scripturas judicaverint; sed potius ab illis profectas fuisse hominibus, qui acta illa consignarunt. Ita certe Faustinum dicere legi ad Theodulum Thessalonicensem; *necesse est*, *ut*, *quas Christiani scripturas adpellant, in medium proferas* (ap. Bollandum in *Actis Theoduli* §. 12. *d. 4. April. p.* 321.). Ex Christianorum igitur sententia ita locuti sunt, ut manifestum est; vel si hoc concedere nolis, nihil certe praeter singulare Afrorum dicendi genus inde exsculpere poteris.

Jam vero ad ipsos S. Scripturae codices quod attinet, non unius illos generis fuisse, quilibet vel me non monente intelliget, harum rerum non plane ignarus. Ut enim ad publicum in sacris coetibus Dei cultum consecrati fuerunt aliqui, ita distabant illi multum ab iis, qui in laicorum manibus erant, tum accuratione diligentissima, tum nitore et externi splendoris adparatu. Necessarium profecto illud erat et adprime utile, vel ob hanc unicam rationem, quod ad ista exempla, quae in ecclesiis publice adservabantur, examinanda fuerit fides aliorum codicum et nonnunquam emendanda. Qua vero id fieri potuisset ratione, nisi quidem de illorum auctoritate integerrima plenissime constaret, ego certe non video; sed vereor potius, ne maximum inde damnum et confusio, addo et fidelium periculum, fuerit certo exspectandum, si quidem ista cura fuerit segnius adhibita. Laudatur eapropter etiam patrum Africanorum cura circa custodiendam codicum integritatem ab haereticorum depravatione. Differebant autem codices externo quoque nitore ac formae concinnitate, cujus quippe veteres studiosissimos fuisse dudum viri docti observarunt; cfr. Ch. G. Schwarz *de ornamentis librorum apud veteres usitatis*. Ita certe Catulinus subdiaconus (in gestis apud Zenophilum p. m. 168 b.), *codicem unum pernimium majorem*, et Projectus lector *quinque majores et minores duos* protulisse dicuntur, cum Felix flamen illos exposceret. Inprimis vero illud probe attendi meretur, quod illis temporibus pauci fuerint codices, qui integram S. Scripturam ejusque libros universos exhiberent et rariores nec nisi paucissimorum versati manibus. Quemadmodum enim tunc temporis nondum in ecclesia calligraphorum usus adeo frequens obtinuit; ita pretiosissimos fuisse ejusmodi codices S. S. integros nec nisi magno aere coëmendos, vel exinde satis manifestum esse videtur, id quod etiam exempla varia confirmant. Fortassis haec codicum raritas nimiumque pretium occasionem

quoque dedit Constantino M. imp., ut de conficiendis L codicibus esset sollicitus. Interim tamen et illud certum est, omnes S. S. libros seorsim fuisse scriptos lectosque publice pariter atque privatim a sedulis sacrorum voluminum scrutatoribus. Quo factum est, ut nonnulli libri, quos conjunctim scribere moris erat, certis fuerint insigniti nominibus, v. g. IV. evangelia τοῦ ἐναγγελίου, et apostolorum epistolae τοῦ ἐπιστολικοῦ. Jam cum a clericis aliisque ad traditionem poscerentur codices, flagitati certe sunt, quoscunque habebant, omnes. Non enim illud tantum ex judicum adloquiis consuetis adparet, cum dicebant: *Proferte scripturas, quas habetis, omnes*; sed etiam ex universali imperatoris voluntate, omnibus omnino codicibus studiose exitiali; ut adeo tradenda volumina fuerint, si adessent, omnia, pauciora vero, ubi pauciora adservata sunt. Forsan et illud accidit, ut a Christianis antea sciscitati fuerint pagani, quosnam libros pro divinis haberent, pronti quidem Scillitanos martyres hac ratione interrogatos fuisse supra observavimus.

22) Diserte Augustinus eos, quibus obstetricantibus codicum traditio facta est, *urgentes impias potestates* vocat, *quibus libri ecclesiastici tradili sint*, (*contra Gaudent.* 1, 37.) Itaque vel hoc unum sufficere potest testimonium, quod evincat, judices saepissime plurima praeter imperantium voluntatem egisse longiusque extendisse, ac par erat, dominorum praecepta. Sic periisse quoque credimus plurimos ecclesiarum libros liturgicos, lectionaria similiaque scripta, ob judicum in Christianos odium, quae alioquin servare a flammis imperatorum salva voluntate potuerant, utpote quae S. S. libros inprimis cremare jussit.

23) Solebant Christiani ejusmodi martyrum acta vel magno pretio a notariis publicis redimere, vel ipsa inter conflictum tormentorum et adstantis populi turbam per suos conscribenda curare. Unde lecta sunt deinceps publice in ecclesiis, praesertim Africanis, ut per illa concio fidelium universa ad piam imitationem tantae fortitudinis jugiter incitaretur; vid. Binghami *Orig. Eccles.* 2, *p.* 75.; 5, *p.* 296.; 9, *p.* 137. et Petr. Zornii *dissert. de Notariorum in prima ecclesia usu singulari et origine, quod ad acta martyrum et sanctorum consignata attinet* (opusc. sacr. T. II. p. 657.). Illa ipsa vero acta tam sancte habita tamque studiose conservata ad flammas quoque tradita fuisse certum est. Ita enim a Felice Tubyzacensi Magnilianus non libros tantum, sed et membranas postulabat igne adurendas (in actis s. Felicis p. m. 146.), utpote quibus acta martyrum praecipue inscribere moris erat. Hinc et ingentem jacturam egregie deplorat Prudentius (*περὶ στεφ. hym. I. v.* 73 *ss.*) dicens:

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa exstinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita saecula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

Pari modo et episcoporum aut aliorum martyrum ad suos cohortationes igne crematas fuisse existimamus, quas vel ipsi in vinculis conscripserunt, vel inter tormenta ex illorum ore Christiani ταχύγραφοι exceperunt.

Uti enim scripta illa omnia, quae obfirmare Christianos in tenenda fidei professione poterant, flammis adjudicata sunt; ita profecto eodem fato interiisse martyrum cohortationes credendum est, praesertim cum ipsi martyres tum hymnorum cantatione, tum Scripturae adpellatione identidem prohibiti fuerint.

24) In summo vasa sacra honore veteribus habita fuisse negari nequit, adeo ut non singularem tantum ipsis locum sacrum tribuerint, sed etiam publica auctoritate constituerint illorum custodes sive σκευοφύλακες, quos presbyteros inprimis atque diaconos esse voluerunt; vid. Binghami *Orig. Eccles.* 2, *p.* 73 *s.* et 3, *p.* 337 *s.* Unde cum tradenda essent, ab illis potissimum ea efflagitata fuisse legimus, quanquam et ab episcopis aliisque clericis minoribus postulata sint. Tradidit certe impia illa Cirtensium turba clericorum quam plurima vasa sacra et instrumenta ecclesiastica, quae studiose antea fuerant conservata, scilicet ut manibus tandem gentilium persecutorum in rapinam cederent. Sic enim docent ipsa acta publica (in gestis apud Zenophilum p. m. 168.), scriptum fuisse catalogum eorum, quae apud Felicem flaminem illi congesserant: nimirum calices duos aureos, item calices sex argenteos, urceola sex argentea, cuccumellum argenteum, lucernas argenteas septem, cereofala duo, candelas breves aeneas cum lucernis suis septem, item lucernas aeneas undecim cum catenis suis, tunicas muliebres 82, mafortea 38, tunicas viriles 16, caligarum virilium paria 13, et muliebrium 47, coplas rusticanas 19; conf. Binghamum *Orig. Eccl.* 3, *p.* 292. Ita quoque in gestis purgationis Felicis Aptung. p. m. 164 a. Alfius Caecilianus confitetur, ex loco, ubi orationes celebrari consueverint, tulisse se cum Galatio et reliquis sociis suis cathedram et epistolas salutatorias et ostia omnia fuisse combusta. Forte huc quoque pertinet, quod Secundus Tigisitanus in sua ad Mensurium Carthagin. epist. responsoria scribit, petiisse a se post codices sacros persecutores ecbola quaedam, quae tamen itidem non dederit, apud Augustinum (in *Brevic. Collat. cum Donat. d.* 3. *c.* 8.). Malim enim ecbola cum doctissimis Monachis Benedictinis in *nota ad h. l.* de ejectamentis intelligere sive rebus, quarum nullus est usus, quam de fragmentis divinorum codicum cum anonymo illo interprete Augustini, quem citavit Car. Du Fresne in *Glossario ad scriptores mediae et infimae latinitatis s. voc. ecbolum.* Fuerunt enim aliae voces in promptu, quae si hic vocabuli sensus esset notandus, eum declarare potuerant, et ostendit insuper locus parallelus, a viris illis eruditis ex *lib.* 3. *contra Cresconium c.* 29. advocatus, clarissime, ni fallor, ecbola ad nativam suam originem pro ejectamentis habenda esse.

25) Digitum nos hic in tabularia ecclesiastica veterum intendere neme non videt, de quibus licet non eadem omnium ubique doctorum sit sententia, extitisse tamen illa non Diocletiani tantum aevo, sed antiquioribus quoque temporibus, haud quisquam temere inficiabitur. Non falli certe, quicunque vetustissimo Ignatii testimonio inducti credunt, in ecclesiis olim celebrioribus tabularia ejusmodi extitisse, facillime animadvertet, cui legere illa placuerit, quae ad explanandum effati Ignatiani sensum copiose monuit Jo. Frikius *de cura veteris ecclesiae*

circa canonem etc. 4, §. 5. *et* §. 16. Ad sequiora vero quod attinet tempora, omnium clarissime hoc ostendit eruditissimus Binghamus (*Orig. Eccl.* 3, p. 270 *s.*). Immo in hac ipsa, quam prae manibus habemus, Traditorum historia plus simplici vice bibliothecarum vel archivorum mentionem factam a scriptoribus deprehendimus; vid. gesta apud Zenophilum p. m. 168. quae bibliothecam Cirtensem commemorant, quam penitus evacuavit Silvanus Traditor. Ita quoque acta Saturnini (§. 1. ex ed. Baluzii p. m. 151. ad calcem Optati, et ipse Augustinus in *Brevic. Collat. Carthag. c.* 17.) ad archiva ecclesiastica provocant. Nolim igitur negare, primos servatoris testes fabularia habuisse. Singulari *dissertatione de ἀρχείοις sive tabulariis sacris veterum Christianorum* (*Altdorf.* 1722. *edita*), exposuit M. Joh. Car. Beheim. Vasa autem sacra et instrumenta ecclesiastica alia itidem loco peculiari adservata fuisse, quam *sceuophylacium* adpellarint veteres, nemo certe dubitare potest, qui attente legerit ea, quae de his Binghamus habet *Orig. Eccl.* 3, *p.* 262 *ss.*

§. 10. *Conservandis tamen codicibus laudabilem alii operam impenderunt, ita quidem obviam euntes traditioni, ut vel occultarent scripturas,*[26]) *vel memoriae mandarent,*[27]) *vel per piam fraudem alia supponerent scripta,*[28]) *vel tandem secum habentes sacra volumina, atque tradere recusantes, mortem ipsam oppetere haud vererentur.*[29]) *Minime tamen probanda videtur illorum temeritas, qui, non rogati a magistratibus codices quidem sese habere, sed tradere nolle ultro professi sunt.*[30])

26) Quo vehementior fuit persecutorum cura, ut omnes ubique S. S. codices flammis abolerent, eo magis necessarium erat, ut pro conservandis iisdem omne adhiberent studium, quibus divina veritas curae fuit cordique, ni quidem traditorum inseri catalogo, ceu Dei proditores, voluerant. Atque hinc nata etiam scripturas occultandi occasio; quem quidem morem et gentilibus olim usurpatum fuisse, ostendere possunt Numae Pompilii libri in agro L. Petillii scribae inventi, arcae lapideae inclusi, et a Christianis ante persecutionem Dioclatiani adhibitam luculenter Origenis exemplo doceri potest. Ut enim Eusebius (hist. eccl. 4, 18.) vehementer probat atque collaudat illius diligentiam in conquirendis ac investigandis, si qui laterent, ebraeis graecisque sacrarum paginarum codicibus positam; ita speciatim eum interpretationes nonnullas Scripturae ab Aquilae, Symmachi ac Theodotionis versionibus diversas reperisse refert, ἃς οὐκ οἶδ' ὅθεν ἐκ τινων μυχῶν τὸν πάλαι λανθανούσας χρόνον ἀνιχνεύσας εἰς φῶς προσήγαγεν. Porro is narrat, eundem Originem aliquam psalterii graeci interpretationem Hierichunte invenisse, cui ipse inscripserit, eandem ibidem in dolio temporibus Antonini Caracallae, qui Severi filius fuit, repertam fuisse: ἐπὶ μιᾶς αὐθις σεσημείωται· τὸς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένης ἐν πίθῳ. Ex his igitur verbis apparet, duplici potissimum occultandi more veteres usos, tum μυχοῖς tum πίθοις; cumque μυχὸς *penetrale sive locum intimum et prorsus occultum*, πίθος vero *dolium* proprie significet, apparet

inde, maxime idoneos illos fuisse modos, per quos libri poterant occultari. Non jam proferam, etiam extra persecutionis publicae tempora non in propatulo atque aperto loco, sed in arcano et secretario collocata fuisse S. S. volumina, quod quidem et Lactantii (de m. p. c. 12.) verba docere videntur, cum initia persecutionis enarrans inter alia inquit: *simulacrum Dei quaeritur; scripturae repertae incenduntur;* sed illud potius commemorabo, durante ipsa persecutione Cirtae in Numidia, *cum ventum esset in bibliothecam, inventa in triclinio fuisse quatuor dolia et orcae sex*, ex quibus deinde Catalinus aliique traditores *protulerunt instrumenta dominica, etiam quae diligenter fuerant occultata,* ut Augustinus ait (*epist. LIII. ed. Benedict.*). Neque tantum circa codices sacros occupatam hanc occultationem fuisse credendum est, sed circa alia etiam ecclesiae sacra, praesertim vero acta et ossa martyrum. Certe in doliis olim sepultos fuisse et homines et libros, non tantum Numae docet exemplum, sed et schema hujusmodi sepulturae exhibet Paulus Aringhius (in *Roma subterranea T. II. p.* 245.) et quod ad martyrum acta spectat, idem Aringhius (*lib. cit. T. I. p.* 148. §. 4. *et p.* 169. §. 28. 29.) ubi vero probe observandum, non ordinariam hic intelligi occultationem, quae sub aris facta est, sed extraordinariam, ne scilicet a persecutoribus libri sacri et ecclesiastici auferrentur. Eandem occultationem in angulis quoque fieri solitam, ostendunt eadem gesta apud Zenophilum, in quibus *l. c.* Silvanus capitulatam et lucernam argenteas *post orcam invenisse* dicitur.

27) Supersunt profecto exempla eorum, quos et memoriae mandasse et ex eadem recitasse S. S. universam, veterum multi tradunt. Celebres hac in parte prae aliis, quorum plurimos Palladius in *historia Lausiaca* exhibet, nominantur S. Antonius M. Abbas in Thebaide, Hilarion, Ammonius, Marcus, Johannes aliique, quos tantum valuisse memoria perhibent auctores, ut vel integram Scripturam vel bene magnam illius partem recitare potuerint; unde quoque ἀποστηθίζοντες dicti; vid. Binghamum (*Orig. Eccl.* 3, *p.* 76 *s.* 5, *p.* 108 *s.*). Nostrum hic non est, in fidem harum rerum operose inquirere, cum perinde nobis esse debeat, quam quisque foveat de illa re opinionem; si etiam concederemus, fieri non solum potuisse, sed et factum esse, ut nonnulli codicem sacrum memoriae tradiderint, id tamen durante Diocletiani persecutione exerceri potuisse vero non videtur esse simile. Ut enim improvisa haec fuit et inexspectata, ita fieri non potuit, ut ab eo statim momento, quo initium illa vexatio cepit, scriptura edisceretur; neque potuit etiam illa memoriae traditio ob illius iniquitatem flagitari, neque promiscue ab omnibus peti, sed a felicioribus tantum ingeniis vel iis quoque, quibus externi sensus defectum memoriae promptitudine Deus compensare voluit. Licet vero penitus negare nolim, extitisse homines, qui tam felici memoria fuerint gavisi, cautione tamen maxima opus esse arbitror, ne justo leviores in credendis hujusmodi rebus simus, quarum saepius vacillare fides historica, aut plane etiam fallere ob factam depravationem solet. Saltim vix ego crediderim, multum fidei tribuendum esse ejusmodi ἀποστηθίσει, cum tutiores adfuerint modi, per quos divina servari oracula ab interitu

felicius poterant. Rectius certe hac de re sentire videtur auctor actorum Saturnini presbyteri et sociorum, qui, dum (§. 9. p. m. 153.) Emeriti responsionem ad proconsulis quaestionem, num Scripturam aliquam in domo sua haberet? hanc adfert: *habeo, sed in corde meo*; deinceps ita pronunciat: *O martyrem Apostoli memorem, qui legem Domini conscriptam habuit, non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus! O martyrem legis sacrae idoneum diligentemque custodem, qui traditorum facinus perhorrescens, scripturas dominicas ne perderet, inter secreta sui pectoris collocavit!*

28) Testatus illud est de se Mensurius Carthagin. episc. in epistola ad Secundum Tigisitanum exarata; in qua scripsit, se codices sacros, ne a persecutoribus invenirentur, abstulisse atque servasse, et horum loco in basilica Novorum *scripta haereticorum* reliquisse; quae cum invenissent persecutores et abstulissent, nihil amplius a se postulasse (ap. Augustinum in *Brevic. Collat. c.* 13. *p.* 386. *C.*). Pia certe haec fraus fuit Mensurii et ecclesiae profutura et sibi, ne ad supplicium raperetur et servarentur tamen sacri codices a flammis, quanquam non omnis plane expers culpae censendus sit Menaurius, eo quod turpi simulatione et episcopo tanto indigna, tradidisse codices sacros videri volebat gentilibus, imminentem, si secus faceret, mortis metuens poenam nec pro Dei verbo pati paratus: et placere tamen orthodoxis fidei confessoribus, quod morem dictis paganorum nequaquam gesserit. Eodem fortassis loco habenda quoque erit Donati Calamensis confessio, in Cirtensi conciliabulo exhibita, quod scilicet *codices medicinales* tradiderit, (ap. Augustinum l. l. c. 27.). Haec ipsa vero scripta supposititia, v. g. haereticorum, retenta nonnunquam videntur a judicibus, quibus deinceps contra Christianos gentilium philosophos usos esse constat.

29) Horum cum plane iniri numerus nequeat, nemo quoque eorum catalogum a me desiderabit; cumque fieri non potuerit, ut singulorum memoriam prosequi licuerit, Romana ecclesia una die, nempe II. Januarii, eandem hoc praeconio celebrat: *Romae commemoratio plurimorum sanctorum martyrum, qui spreto Diocletiani imperatoris edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt* (vid. Baronii *Annal. Eccl. Tom. II. ann.* 302. §. 22.). Inter primos, qui in Africa propter codices s. passi sunt, refertur Felix episc. Tubyzacensis, cujus acta, saepissime nobis citata, fundamentum fere sunt historiae Traditorum, propterea quae a Dupinio *monumentis veteribus ad Donatist. historiam pertinentibus in Appendice* Optati inserta. Ex his vero apparet, habuisse quidem Felicem S. Scripturae codices, sed tradere noluisse, quod *melius esse* existimaret, *se igne aduri, quam Scripturas deificas*; neque etiam tradidisse, sed capite truncatum fuisse. Eadem quoque mens fuit Irenes, feminae gloriosissimae, quae Dulcetio praesidi quaerenti: *quisnam tibi auctor fuit, ut membranas istas atque scripturas ad hodiernum usque diem custodires?* laeta respondit: *Ille Deus omnipotens, qui jussit nobis ad mortem usque ipsum diligere; qua de causa non ausae sumus, Deum prodere, sed malumus aut viventes comburi, aut quaecunque alia nobis acciderint perpeti, quam talia scripta prodere* (vid. Ruinarti *Acta*

martyr. sincera et selecta p. 394. §. 5.). Omnium fere luculentissime suam declaravit sententiam S. Euplius: ille enim non modo liberrime professus est, se evangelia ad judicem deportasse, sed etiam Calvisiano interroganti: *quare apud te habuisti et non tradidisti has lectiones, quas imperatores vetuerunt?* respondit: *quia Christianus sum et tradere non licebat; magisque expedit mori, quam tradere. In his vita aeterna est. Qui tradit, vitam aeternam perdit. Ut eam non perdam, vitam meam do.* Immo et adpenso ad ejus collum evangelio, cum quo apprehensus fuerat, post superatos fortiter martyrii cruciatus tripudians quasi et exsultans cervicem ferro praebuit. Cum igitur tam nobile initium dedissent martyres illi defendendi codices librosque sacros, mox laudabili zelo ipsos alii sunt imitati, qui conservando eos et pro ipsis sanguinem suum effundendo fortiter vitam finiere. Nolumus vero hic plura addere, aut an recte fecerint, qui mori, quam tradere maluerunt, multis hic disquirere, cum hoc ipsum potius excutiendum sit, quando de ipso traditionis crimine agemus.

30) Ut enim hi ipsi adfectasse martyrii gloriam rectissime censendi sunt, et vel ob hanc rationem non laudandi, ita maximum inde subnasci aliis quoque damnum potuit et innumera mala suboriri. Quo factum etiam est, ut Mensurius Carthag. episc. in sua ad Secundum episc. Tigisitanum epistola eos, qui se offerent persecutionibus, non comprehensi, et ultro dicerent, se habere scripturas, quas non traderent, a quibus hoc nemo quaesierat, displicere sibi adfirmaret, et ab eis honorandis se Christianos prohibuisse (ad. Augustinum in *Brevic. c.* 13.). Noluit igitur Mensurius temerarios ejusmodi homines nec nisi suae gloriolae cupidos pari cum martyribus loco haberi parique honore affici, qui vitam deserere, ubi minime opus erat et fidei nulla poscebatur confessio publica, nulli dubitabant.

XLV.

Onuphrius Panvinius de ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos et eorundem coemeteriis.*)

Praefatio. Apud omnes gentes Romanas, Graecas, Hebraeas, Aegyptias, et alias barbaras nationes statos sollemnesque sepeliendorum mortuorum ritus et cerimonias fuisse, in *libris*, quos 60 *antiquitatum Romanarum* scripsi, diffuse ostendi singulasque commentariis et tabellis aeneis, res ipsas exprimentibus, illustravi. Quod si profanos sepulcrorum ritus memoriae commendavi, sacras veterum Christianorum in eadem re pulcherrimasque observationes, quas passim adnotavi, silentio praeterire nefas esse duxi. De quibus jam justum commentarium feci, quem in epitomen hic redactum communi studiosorum utilitati publicare constitui, in quo brevissime, quae sancti patres nostri, antiqui religionis christiauae propagatores, de sepeliendi ritu scripserint, aperiam. De religiosis igitur sepulturae Christianorum ceremoniis disputaturus, ab hominis christiani aegrotantis actis sollemnibus incipere operae pretium videtur, deinde aliqua prosequar, quae ad hoc argumentum convenientia esse judicabo.

Cap. 1. De confessionis, eucharistiae et extremae unctionis sacramentis animaequae morituri commendatione. Hominem christianum aegrotantem presbyteros ecclesiae usque ab apostolorum temporibus visitasse, pro eo orasse, ipsius confitentis peccata audiisse et dimisisse, eucharistiam porrexisse extremaeque unctionis sacramento donasse, docent tum S. Jacobus apostolus, tum alii patres apostolorum temporibus vicini. Ille quidem ep. 5, 14—15. sic poenitentiam et extremam unctionem commemorat: „Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et adlevabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei;“ confessione scilicet peccatorum: quam cum saepe, tum extremo vitae facere solitos fuisse, idem Jacobus innuit, cum subjicit (v. 16): „Confitemini ergo alii aliis peccata vestra

*) Prod. Lovan 1572, 4; rec. Rom. 1581, 8; Lips. 1717, 4.

et orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua." De confessione passim omni tempore usurpata Act. cap. 19, 18.: „Multi credentium veniebant confitentes et adnuntiantes peccata sua." Eandem veteres patres, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, item Sozomenus et alii saepe commemorant. Ludovicus Pius imp. aegrotus quotidie confessionis suae munus, sacrificiumque spiritus contribulati et cordis humiliati Deo offerebat, Annonius ex *Ademaro de rebus gestis Francorum* 5, 19. De sacramento eucharistiae paulo ante obitum sumpto, exstat exemplum apud Eusebium (hist. eccl. 6, 44.) de Serapione, qui non nisi ea suscepta mori potuit. Verba sunt haec: „Serapio quidam erat apud nos fidelis senex, qui diu quidem inculpate vixerat, in persecutione vero ceciderat. Hic saepenumero recipi petierat, verum nemo illi attenderat, sacrificaverat enim. In morbo autem constitutus, totum triduum mutus et sensuum facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die nonnihil convaluisset, nepoti ex filia ad se vocato dixit: Quousque o fili detinetis me? Obsecro properate, et me velociter absolvite. Voca ad me aliquem ex presbyteris. Quibus dictis, iterum obmutuit. Cucurrit puer ad presbyterum, erat autem nox. Presbyter aegrotabat ideoque ire cum puero non poterat. Quoniam vero mandaverat, morituros, si petant, et maxime si etiam ante suppliciter petierunt, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum eucharistiae puero dedit jussitque, ut id infunderet et in os senis instillaret. Puer redit, adferens eucharistiam. Cum autem e vicino esset, antequam ingrederetur, rursus Serapion: Venis, inquit, fili? Presbyter quidem venire non potest, tu vero confestim facito, quod ille praecepit meque dimitte. Infudit puer ac simul ori senis instillavit. Qui cum parum gustasset, mox spiritum reddidit. An non perspicue senex hic tantisper detentus fuit, donec absolveretur et a peccato liberatus coram multis, quae fecerat, confiteri posset." Ita Dionysius Alexandrinus in epistola ad Fabium l. l. apud Eusebium. Refert Gregorius Nazianzenus in *oratione in funere patris*, patrem suum sacerdotem ardentissima et diuturna febri exhaustum, ab ancilla aliquando synaxis tempore deductum manu in conventum ecclesiasticum, in quo pro more eucharistiam, sed paucissimis, et quibus tum per morbum potuit, verbis, consecratam, aliis et distribuerit et ex ea participarit ipse quoque. Reversum vero ad lectum ciboque parum ac sommo refectum, melius statim habuisse ac pristinae tandem sanitati ex integro fuisse restitutum. Tale quiddam et de sorore sua Gorgonia recitat in *oratione in funere sororis*. Hoc vero de fratre suo Satyro Ambrosius commemorat in *oratione in funere ejusdem*: „Priusquam (inquit) perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur navi, scopuloso inlisa vado, et urgentibus hinc atque hinc fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii exiret e vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suae consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in oratorio, et oratorium involvit in collo atque ita se dejecit in mare et servatus est." Carolus M. paulo ante obitum sacratissimam suscepit

eucharistiam, ut tradit in *ejus vita* Eginhardus. Ludovico Pii imp. aegrotantis cibus fuit per 40 dies dominicum corpus, Annonius *ex Ademaro l. l.* Haymo *in 4 caput I. ad Thessalonic.*: „Qui signo crucis sunt muniti atque sacramento corporis et sanguinis ejus, in die mortis, illi venient cum Christo in gloria ad judicium." *Idiota* (*cap.* 20 *de sancta Maria virgine*) petit a Deo, ut sibi concedat in hora mortis devotam eucharistiae susceptionem, quae, quia nos pro via ad aliam vitam euntes confirmat, viaticum adpellatur. Extremae unctionis regulas Innocentius papa (*ep.* 1. *ad Decentium, Eugubinum episc. cap.* 8.) tradit sic: „Sane quoniam de hoc sicut de ceteris consulere nos voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Caelestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati apostoli Jacobi epistola conscriptum est: Infirmatur qui in vobis? inducat presbyteros etc." Quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si episcopus aut potest aut dignum ducit aliquem a se visitandum, et benedicere et ungere chrismate sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam impoenitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? Gregorius Turonensis episc. (*hist. Franc.* 6, 6.) auctor est, Hospitium oleo benedicto usum esse in sanationibus infirmorum miraculosis. „Hospitius (inquit) adprehensa manu caesarie cujusdam aegroti, attraxit caput illius in fenestram adsumptoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam ejus ori verticique capitis infudit, dicens: In nomine Domini mei Jesu Christi aperiantur aures tuae, reseretque os tuum virtus illa, quae quondam ab homine surdo et muto noxium dejecit daemonium. Et haec dicens, interrogat nomen. Ille vero clara voce ait: sic dicor. Cum haec vidisset diaconus, ait: Gratias tibi immensas refero, Christe, qui talia per filium tuum dignaris ostendere." Synodus Cabilonensis II. cap. 48: „Secundum beati Jacobi apostoli documentum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis in vobis? inducat etc. Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, quae animae corporisque medetur languoribus." Et Beda (2, 6.) Marcum, aegrotos oleo consecrato inungere solitum, indicat. Carolus M. constituit, ut presbyter in ampulla oleum ferat ad inungendum infirmos (*de legibus Francorum* 1, 156.). Haymo *super evangelia* de aegrotantium unctione per oleum a pontifice benedictum affirmat, quod ab apostolis sit ea consuetudo ecclesiae tradita, quae usque ad nostra tempora continuata, novissime in concilio Tridentino unum ex septem ecclesiae sacramentis esse, contra haereticorum sententiam confirmatum est. Div. Gregorius (*homilia*

evang. 25.) auctor est, morem suo tempore fuisse, ut homines ad morientes, quos sancte vixisse existimarunt, in agone positos, cucurrerint eisque animas suas commendaverint. „Stephanum (inquit) patrem monasterii Reatinae urbis virum sanctum, cum dies mortis egredi de corpore urgeret, convenerunt multi, ut tam sanctae animae de hoc mundo recedenti suas animas commendarent.“ Idem refert (*hom.* 37.) solitos esse orare pro iis, qui animam jam agerent. „Monachus quidam (ait) cum extremum diem ageret, convenerunt fratres, ut egressum illius orando protegerent. Qui tanto pro eo coeperunt enixius orare, quanto eum jam videbant sub celeritate discedere.“ Episcopi etiam et presbyteri solebant aegrotantes visitare, ut passim ex antiquis historiis constat. Tradit Metaphrastes, Joannem eleemosynarium episcopum Alexandrinum magna cura ad aegrotos accessisse ac saepe oculos morientium suis manibus clausisse. Quid vero praeterea apud aegrotos sacerdotes egerint, ex iisdem monumentis intelligitur. De Adunato (in *gestis Metensium episcoporum*) scribitur, quod adstantes circa lectum ejus evangelia legerint et psalmos hymnosque cecinerint. Apud Audomarum vero preces fecerunt ad Deum, quibus animam aegrotantis Deo commendarunt (Vincentius 23, 108.). Sic quoque confessiones interdum flagitarunt ab aegrotis illisque eucharistiae sacramentum exhibuerunt, ut idem Vincentius 23, 95. tradit de Philiberto. Et in *gestis Metensium* exstat formula confessionis, quam Amatus ante agonem recitasse dicitur, his verbis: „Amatus antequam animam exhalaret, jussit sibi praelegi epistolam papae Leonis ad Flavianum, in qua fides catholica continetur. Ea praelecta dixit: Sic credo. Trinitas ineffabilis: sic confiteor. Deus omnipotens: ita de te sentio. Fili Dei Jesu Christe, qui pro nostra salute dignatus es venire in hunc mundum: sic de te intelligo. Deus aeterne Spiritus sancte, unum Deum in trinitate trinumque in unitate confiteor. Ita edoctus de tua sentio incarnatione piissime Christe, quod adsumpta carne sint duae naturae unitae in unam personam.“ Ludovicus Pius imp. moriens, Diogenem episcopum Metensem accersivit et ab eo benedictionem petiit (Annonius 5, 19.). Morientes testamentum condere solebant et aliquid ex suis facultatibus ecclesiae relinquere, quod testatur S. Gregorius (*epist.* 8, 6.): „Quendam testatorem duas unicas substantiae suae ecclesiae S. Gregorii legasse, ubi sepeliri voluit.“

Cap. II. De corpore mortuo. Veteres Christiani hominem, ut primum mortuus esset, lavabant, Act. 9, 37.: „Cum Tabitham Dorcadem mortuam lavassent, ejus corpus in coenaculo posuerunt.“ In *historia de pestilentia Alexandrina* Dionysius episcopus ad Hieracem scribit de Christianorum funeribus: „Sanctorum corpora supinis manibus ac sinu exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt unanimes, et pariter adfecti strictim complexi sunt, lavarunt et ad sepulturam ornarunt,“ Eusebius (hist. eccl. 7, 22.). Hic usus mortuorum corpora ante humationem lavandi usque ad nostra temqora permansit. In Galliis eum morem fuisse refert S. Gregorius Turonensis in *libro de gloria confessorum c.* 104., item in *vitis patrum c.* 110.

Cap. III. De expositione corporis mortui. Cadaver

lotum et purgatum in coenaculis et domus publica parte exponebant, Act. 9, 37. Tabithae Dorcadis mortuae corpus lotum in coenaculo exposuerunt. Corpus Caroli M. more sollemni lotum et curatum maximo totius populi luctu in ecclesia Aquisgranensi expositum et sepultum est. Tertullianus (*lib. de anima*) auctor est, mortuos oratione a presbyteris componi consuevisse. In concilio Antisiodorensi can. 12. decretum quoddam exstat, ne mortuis eucharistia aut osculum daretur, ne velo aut palliis corpora eorum involverentur.

Cap. IV. De planctu et atra veste. Planctus, lacrymas et lamentationes super mortuos antiquos Christianos feciese, testis est Lucas Act. 8, 2. „Curaverunt," inquit, „Stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super eum." Plorantes vero super mortuos spe resurrectionis consolatur Paulus l. ad Thes. 4, 13—14. Origenes (*commentar. in Jobum* 3.) consuetudinem super mortuos lugendi fuisse refert. „Luctus," inquit, „mortui fit septem diebus et septem noctibus." Cyprianus in *serm. de mortalitate* mentionem facit atri vel lugubris amictus, ubi fratres defunctos lugeri aut plangi omnino prohibet sic: „Nobis saepe revelatum est, fratres nostros non esse lugendos, accersione dominica de saeculo liberatos, cum sciamus, non eos amitti, sed praemitti, recedentes praecedere, ut proficiscentes desiderari eos debere, non plangi: neque accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba jam sumserint, occasionem dandam non esse gentibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod, quos vivere apud Deum dicimus, ut exstinctos et perditos lugeamus." In luctu quosdam peculiares gestus adhibuerunt. Et aperte dicit Jo. Chrysostomus, eos cruentasse brachia, capillos scidisse, laniasse genas, brachia nudasse et nigris se vestibus amicisse. Quae omnia reprehendit aitque se quidem non prohibere mortuos lugere, sed impudenter lugere nec lacrymare super defunctum, id improbandum esse (*hom.* 61. *in cap.* 11. *Joan.* item in *exhortat. moral serm.* 3. *in ep. ad Philippens. cap.* 2.). Et *hom.* 4. *in cap.* 2. *ep. ad Hebr.* reprehendit morem, qui tempore suo inoleverat, quod aliquas mulieres lugentes conducerent minaturque se ejusmodi homines ecclesia ejecturum. In Galliis in mortuorum funeribus vestem lugubrem viros et mulieres adsumpsisse, refert Gregorius Turonensis (*hist.* 5, 34.) Metaphrastes funera hominum cum multorum lamentatione, ejulatu et planctu deducta fuisse tradit. Alcuinus (*in ecclesiastic. cap.* 12.): „Cum homo dissolutus fuerit, tunc revertetur in terram suam ad sepulcrum, exequiis rite celebratis et finitis, plangentium in platea circa sepulcrum turba praecedente."

Cap. V. De ritu efferendi mortuum. Mortuos ex domo ad sepulturam ad eum usum antiquitus adscripti juvenes efferebant. Act. 5, 9—10. ait Petrus Sapphirae: „Ecce pedes eorum, qui sepeliverunt virum tuum Ananiam, ad ostium et efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus et exspiravit. Intrantes juvenes invenerunt Sapphiram mortuam et sepelierunt eam ad virum suum." Posterioribus temporibus summi viri sanctorum hominum corpora extulerunt. Eutychianus papa 342 martyres manu sua sepelivit. Gregorius Naz. tradit, Basilii Magni

funus in lectulo aliorum sanctorum manu elatum fuisse. Epiphanius (*haer.* 3, 71.) auctor est, Georgium Alexandrinae episc. certo numero lecticas et feretra constituisse, quibus mortuorum corpora efferentur.

Inter efferendum lumina et cerei accensi et psalmi, modulis lugubribus et luctu permixti, canebantur, ut in *eadem oratione de laudibus sancti Basilii* Nazianzenus refert. Qui in oratione infamatrice in Julianum de funere Constantii imperatoris loquens: „Constantius," inquit, „communibus omnium elatus est laudibus ac pompis iisque venerandis, ac nostris nec non cantibus tota nocte resonantibus, ac luminibus accensis, quibus Christiani transitum honorare pium censemus, panegyrisque post mortem dicta est, et corporis facta deportatio cum comitatione." Eadem fere de imperatoris Constantini pompa funebri Eusebius in *ejus vita* indicavit: „Cadaver," inquit, „in capsula collocatum et purpureo tegmine coopertum, Constantinopolim deportatum est et in basilica sub altissimis gradibus depositum, luminibus super candelabris aureis circum circa accensis, inde deductum in aliud templum, ubi conditum est. Turba frequens omnia generis hominum secuta est ac preces cum fletu pro anima imperatoris fudit." Hieronymus in *epitaphio Paulae matris:* „Sacerdotes, lampades cereosque praetulerunt funeri." Et in *epist. ad Eustochium de obitu Paulae:* „Exhinc non ululatus, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant. Translataque est episcoporum manibus et cervicem feretro subjicientibus, cum alii pontifices lampades cereosque praeferrent, alii choros psallentium ducerent, in media ecclesia speluncae salvatoris est posita. Tota ad funus ejus Palaestinarum urbium turba convenit. Monachi, virgines, viduae, pauperes aderant. Hebraeo, graeco, latino, syroque sermone psalmi in ordine personabant, non solum triduo, donec subter ecclesiam, et juxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, suum funus et proprias credentibus lacrymas." Et in *epistola ad Oceanum de funere Fabiae Romanae:* „Jam fama volans, tanti praenuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant psalmi et aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat alleluia. Hic juvenum chorus, illic senum. Audio praecedentium turmas et catervatim in exequiis ejus multitudinem confluentem, non plateae, non porticus, non imminentia desuper tecta capere poterant prospectantes." Jo. Chrysostomus (*hom.* 4. *in cap.* 2. *ep. ad Hebr.*): „Dic mihi? quid volunt istae splendidae lampades, quid hymni? Cogita quid psallas in illo tempore. Revertere, inquit, anima in requiem tuam, quia Deus bene fecit tibi. Item: Non timebo mala, quia tu mecum es." Et *hom.* 61. affirmat: „honorem mortuo non esse fletum, non ejulatum, sed hymnos et psalmos et optimam vitam." In Galliis quoque mos fuit, turbas psallentium cum cereis funera deduxisse. Ita cadaver Chlotildis Francorum reginae psallentium multitudine comitante sepultum est Parisiis; ut ait Gregorius Turonensis (*histor.* 4, 1.). Qui etiam (8, 10.) refert, Clodovei corpus a rege Guntharanno cum clero, populo et cereis sepulcro mandatum fuisse. Beda (4, 23.) tintinnabulis vel campanis populum convocari solitum fuisse tradit ad funerum deductio-

nem. „Sanctimonialis femina Begu audivit subito in aëre notum campanae sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant, cum quis eorum de seculo fuisset evocatus etc.“ Funeri Romani pontificis presbyteros et diaconos sanctae Romanae ecclesiae interesse debere, statuit Benedictus III.

Cap. VI. De modo sepeliendi Christianos. Religione christiana paullatim crescente, multa sancti homines pro Christianorum sepultura coemeteria fabricarunt, quibus certis statisque horis, honestis ritibus, eadem corpora reconderent: hominis enim sepulcrum perpetuo magni fecerunt. Causas reddunt Origines et Augustinus. Scribit enim ille (*contr. Celsum* 5): „Humana corpora, ut animae domicilia et sanctioris praecipuae, haudquaquam sunt rejicienda, quippe quae ex optimarum legum permissu cum honoribus, qui haberi his possunt, et sepultura dignantur.“ Et (ibid. 8.): „Rationalem animam honorare didicimus, et hujus organa sepulcro honorifice demandare.“ Hic vero (*de civit. Dei* 1, 13.): „Nec ideo tamen contemnenda et abjicienda sunt corpora defunctorum maximeque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis et vasis ad bona opera sanctus usus est spiritus. Si enim paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius, quam quaelibet indumenta gestamus. Haec enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt et exequiae celebratae et sepultura provisa; ipsique dum viverent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt.“ Has igitur ob causas hominum corpora veteres terrae mandarunt. Et quidem non sine periculo Christiani saepius martyrum corpora reverenter et religiose sepeliebant. Quod Asterii civis Romani divitis, nobilis, patricii, senatoris et imperatorum propinqui exemplum testatur: qui cum Marinum martyrem Caesareae Cappadociae capite plexum sepelivisset, eo facto et ipse capite caesus est, ut auctor est Eusebius (hist. eccl. 7, 16.): „Cum in consumatione martyris Marini Asterius,“ inquit, „adesset, corpus illius capite truncum cum humeris suis, splendidoque et pretioso indumento impositum detulit et splendidissime, quantum conveniebat, sepulturae tradidit et honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr assequitur.“ Origenes (*lib. 1. comment. in Jobum*) meminit pretiosi vestitus, quo mortui ornati in terram conditi sunt. Quem si quis pro consuetudine mortui amici corpori involvendo mittere constituisset, prius conscindebat, ne eo ab improbis subrepto, corpus irreverenter abjiceretur. Eutychianus papa, auctore Damaso, constituit, ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, id sine dalmatica aut collobio purpurato nullatenus faceret, et manibus suis per diversa loca 342 martyres sepelivit. Prudentius, quae in ecclesiis occidentalibus in vestiendis et ungendis defunctorum corporibus fieri solita essent, brevissime explicat in *hymno in exequiis defunctorum* sic:

Hinc maxima cura sepulcris
impenditur, hinc resolutos
honor ultimus accipit artus,
et funeris ambitus ornat
candore nitentia claro
praetendere lintea mos est,
adspersaque myrrha Sabaeo,
corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod nisi creditur illis
non mortua, sed data somno.

Gregorius (*in Cantica*) mortuorum corpora myrrha condita fuisse tradit, ne putrescerent. Annonius corpora defunctorum magna cura uncta et aromatibus condita fuisse refert 4, 33. Potentiores quidam cum ornamentis et auro sepeliebantur. Sic sepulta fuit Maria, uxor imperatoris Honorii, Romae. Sic propinqua quaedam uxoris Guntarani regis Francorum in ecclesia Metensi (Turonensis 8, 21.). Inter deponendum in sepulcro defunctum precationes habitas esse intelligitur ex *orat.* Nazianzeni *pro Caesario fratre*, quarum exemplum habetur in *fine ejusdem orationis.* Augustinus homines divites, qui nimis magnos faciebant in funeribus sumptus, reprehendit (*de civ. Dei* 1, 12.) curationemque funeris, sepulturae conditionem, exequiarum pompam, magis vivorum solatia, quam subsidia mortuorum esse tradit. Eandem rem etiam Jo. Chrysostomus arguit. Refert Gregorius, moris fuisse suo tempore, quod funera pontificum Romanorum solerent dalmaticis contegi, quas post sepulturam populus concisas reverentiae causa servare solebat. Quem morem ipse improbat. Indignum enim esse scribit, „cum multa adsint ab apostolorum et martyrum corporibus velamina, a peccatorum corporibus sumi, quod adservaretur.“ Statuit igitur, „ut feretrum, quo Romani potificis corpus ad sepeliendum ducebatur, nullo tegmine velaretur.“ Illud etiam inolevisse videtur, ut episcopi aliquid pro sepultura acciperent, quam rem Massalino episc. prohibet Gregorius praecipitque, *ne pretium pro sepultura accipiat* (*epp.* 7. 4 *et* 55.). Cum tamen sponte pro luminaribus in templo aliquid voluerint haeredes dare, ut id licitum sit accipere, statuit.

Cap. VII. De sepulcris et epitaphiis. In coemeteriis, de quibus infra dicam, erant privatorum sepulcra marmorea, lateritata et loculos habentia, in quibus Christiani sepeliebantur. Ex sepulcris vero quaedam fuisse haereditaria, quaedam donatitia, ex eo apparet, quod de utrisque mentio exstat. De haereditariis Hieronymus in *epist. ad Marcellam*, de donatitiis Nazianzenus in *orat. funebr. Caesarii fratris* mentionem faciunt. „Sepulcrum,“ inquit, „a nobis Caesarius donum habet, quod parentibus ac senectuti in tempore suo fuerat praeparatum.“ Nicephorus (*hist.* 8, 13.) scribit, Helenam Augustam Hierosolymis agrum figuli parari curavisse, ad peregrinorum et advenarum sepulturam. Hieronymus *ad Pammachium de obitu Paulinae uxoris*: „Ceteri,“ inquit, „mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos et dolorem pectoris his officiis consolantur.“ Quod Prudentius in *hymn. de exequiis mortuor.* repetit:

Nos tecta fovebimus ossa
violis, et fronde frequenti
titulumque et frigida saxa
liquido spargemus odore.

Magna apud antiquos fuit cura et religio sepulcrorum, ut ex Sidonio intelligitur, qui tradit (*ep. ad Secundum lib.* 3.): „se ipsum cum aliquando intervenisset, prohibuisse quosdam profanos homines a direptione sepulcrorum, sumto de ipsis supplicio, quia inter alia proavi sui tumulum violassent.“ Magnifica sepulca veteres exstruxisse, ex *homil.* 10. Chrysostomi 79. *in* 17. *cap. Joann.* intelligitur. Ceterum cum antiquitus tantum extra urbem in coemeteriis hominum corpora sepelirentur, pace ecclesiae data intra urbes ad templorum limina, postea in ipsis templis sepeliri mos invaluit. Constantinus in portico templi sancti Petri Romae, ejus uxor intra idem templum sepulti sunt. Rotharis rex Longobardorum Ticini in sancti Joannis baptistae; Clodoveus Francorum rex Parisiis in templo apostolorum; Clotharius rex Parisiis in basilica sancti Vincentii; Brunchildis regina Francorum apud Heduam in aede sancti Martini; Carolus Martellus et ejus filius Pipinus in templo sancti Dionysii Parisiis; Carolus M. imp. in ecclesia sanctae Mariae Aquisgrani; Ludovicus Pius imp. in basilica sancti Arnulphi Metis; Macedonius Constantinopolitanus episcopus apud Gangras exul moriens, in templo sancti Gallinici martyris; divus Benedictus abbas Casinas in basilica sancti Joannis baptistae conditi sunt. Eorum enim, qui pietatis laude, aut rerum gestarum magnitudine celebriores fuerunt, corpora in templis tumularunt. Sic Leo, Simplicius, Gelasius, Anastasius II., Symmachus, Hormisda et reliqui deinceps Romani pontifices ad sanctum Petrum apostolum sunt tumulati. Joannes papa Ravennae, Agapetus Constantinopoli translati, Romae in eodem templo sepulti sunt. Justinianus imp. Constantinopoli basilicam sanctorum apostolorum exstruxit, in quo imperatores et patriarchae locum sepulturae haberent (Evagrius 3, 31.). Ceterum sepulcra marmorea fuisse, Gregorius Turonensis (*de gloria confess.* 42.) testatur. Sepulcrorum loca sacerdotali benedictione consecrata fuisse, ait idem Gregorius (l. l. 106.). Nobilium sepulcris lychnuchos suspendere solebant, quod exponit Turonensis 4, 30., qui scribit Glasuintae reginae Francorum lychnum fune fracto dilapsum esse. Ignatius *in vita Tarasii* ait: „Mulieres, profluvio sanguinis laborantes, ex lampade, ad sepulcrum Tarasii, patriarchae Constantinopalitani, lacente, hausisse oleum et sanatas esse.“ In concilio Bracarensi decretum legitur, „ne corpora defunctorum intra basilicas sanctorum tumulentur, sed fiant omnes sepulturae extra civitatem (*cap.* 36.).“ Sepulcris Christianorum epitaphia adfigebantur, de quibus meminit Prudentius in *passione sancti Hippolyti, martyris, ad Valerianum episcopum:*

Innumeros cineres sanctorum Romula in urbe
vidimus, o Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, tu singula quaeris
nomina, difficile est ut replicare queam.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur,
martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Exstant adhuc multa sanctorum martyrum epitaphia carminice facta,

quibus Damasus papa eorum sepulcra exornavit. Reliquorum etiam hominum sepulcris epitaphia addiderunt, quorum infinita, pene ante mille annos erecta, videntur per urbis Romae ecclesiarum pavimenta. Nam his, qui de republica christiana bene meriti erant, epitaphia addi solere, et sepulcrum, monumenta, titulosque statuta fuisse a Christianis, ait Paulus Diaconus (*hist. Longob.* 3, 9.). Post pacem Christianis datam, multos ex imperito vulgo in coemeteriis luxuriose bibisse, imo etiam ipsis cadaveribus exhibitas epulas, notum est satis. Quas voracitates et ebrietates perinde ac religiosas habitas diserte Augustinus reprehendit (*de morib. eccl.* 1, 34. et *epp.* 64. *ad Aurelium Carthaginensem episc.*), ubi ita ait: „Commessationes et ebrietates ita concessae et licitae putantur, ut in honorem etiam beatissimorum martyrum, non solum per dies sollemnes, sed etiam quotidie celebrentur. Arceatur igitur tantum dedecus de sanctorum corporum sepulcris, de locis sacrorum, de domibus orationum.“ Addit: „cum abusum in Italia et aliis provinciis aut nunquam fuisse, aut exortum, episcoporum diligentia sublatum esse.“ Et paullo infra: „Sed quoniam istae in coemeteriis ebrietates et luxuriosa convivia non solum honores martyrum a carnali et imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum mihi: videtur facilius illis disuaderi posse istam foeditatem ac turpitudinem, si etiam de scripturis prohibeantur, et oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumtuosae, atque omnibus petentibus sine typho et cum alacritate praebeantur neque vendantur.“ Longobardos Christianos in locis defunctorum trabes erexisse, ut quisque sciret, quo in loco sui jacerent, auctor est Paulus Diaconus (*de reb. gestis Longobardor.* 5, 13.). Sepulturas vendi et laicos in ecclesiis sepeliri, vetat Synodus Triburiensis *cap.* 15. Hincmarus Rhem. episc., cur non sint vendenda sepulca, addit rationem: „quod sit terra illa concessa putredini, et non deceat de alieno luctu facere compendium (in *epist. ad ecclesiam Tornacensem*).

Cap. VIII. De orationibus funebribus. Ceterum antequam mortuorum corpora humi mandarent, orationes de eorum vita haberi solitas, ex Eusebio, Nazianzeno et Socrate clarum est. Eusebius enim Constantinum, Nazianzenus fratres Caesarium et Basilium, Gregorius Meletium Antiochenum episcopum (ut ait Socrates hist. eccl. 5, 9.) mortuos orationibus funebribus laudarant.

Cap. IX. De eleemosynis pro mortuis. Condito et curato funere dabantur eleemosynae. Origenes (*lib.* 3. *in Job.*): „Convocantur,“ inquit, „in anniversariis diebus memoriae, vel parentum defunctorum, seu amicorum, seu quorumcunque, qui in fide discessissent, sacerdotes simul et laici, atque in eo coetu primum mortuis, quod in fide discessissent, gratulantur, et sibi pium et tranquillum exitum quisque precatur, postea conferuntur eleemosynae vel oblationes, quae in pauperes, qui simul tum adsunt, pupillos et viduas distribuuntur.“ Hieronymus *ad Pammachium de obitu Paullinae uxoris:* „Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda Paulinae eleemosynae balsamis rigat, his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens, quia scriptum

est: sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum." Augustinus (*ep.* 64. *ad Aurelium Carthaginensem episc.*): „Si quis pro religione aliquid pecuniae offerre voluerit, in praesenti pauperibus eroget. Ita nec desererе videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, et id celebrabitur in ecclesia, quod pie et honeste celebratur." Eadem propemodum refert Jo. Chrysostomus in *orat. de martyribus.*

Cap. X. De orationibus, precibus, oblationibus, sacrificiis et diebus anniversariis pro animabus defunctorum. Tertullianus in *lib. de corona milit.*: „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus." Et in *lib. de monogamia*: „Enimvero pro anima ejus oret et refrigerium interim adpostulet ei, et in prima resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis ejus." Hinc anniversariorum sacrorum pro defunctis cum eleemosynis origo, quae apud nos perpetua instituuntur. Quam rem perinde ac nuper institutam haeretici hodie irrident. Cyprianus (*lib. I. epist.* 9. *ad clerum et plebem Furnitanorum*): „Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere; non est, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in ecclesia frequentaretur: ut sacerdotum decretum religiose et necessarie factum servetur a nobis." Eusebius (*de vit. Const.* 4, 70.): „Innumerabilis populus una cum sacerdotibus Dei, non sine gemitu ac lacrymis, pro imperatoris anima preces offerebant Deo, gratissimum pio principi officium exhibentes." Augustinus (*Confess.* 9, 11.) de sancta Monica matre sua moriente loquens, ait: „Illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis." Et *cap.* 12.: „Neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum tibi offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi." Precum et eleemosynarum pro defunctorum animabus mentionem faciunt Jo. Chrysostomus (*homil.* 61. *in* 11. *cap. Joann.* et *serm.* 3. *in cap.* 1. *ep. ad Philippens.*). Item Augustinus (*epist.* 64. *ad Aurelium episc. Carthag.*): „Oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosae, atque omnibus petentibus sine typho et cum alacritate praebeantur neque vendantur." Tradit Metaphrastes, Joannem Eleemosynarium praecepisse, „impigre fieri oblationes et sacrificia pro defunctis." Sic de Tuma presbytero Beda (*hist. eccl.* 4, 22.) scribit, „quod in monasterio Tumiastir pro fratre suo, quem in bello interfectum putarat, saepius missas celebrarit, pro absolutione animae ejus: sicque factum, ut in bello a nemine vinci posset. Hoc miraculo permoti alii, similiter pro illis, qui de seculo migrarant, oblationis sacrae victimas tulerunt, edocti sacrificium missae ad redemptio-

nem animae et corporis valere." Collectas pro defunctis fecerunt, quod eas mortuis ad redemptionem animae prodesse crediderint, ut docuit Joannes Eleemosynarius, teste Vincentio 22, 110. Hincmarus Rhem. episc. in (*epist. ad Tornacens. eccl.*) ait: „Ab amicis, propinquis, haeredibus mortuorum, ecclesiis, in quibus ipsi sepulti erant, offerri aliquid solitum esse, cum adcipere quidem, sed non exigere liceat." De diebus vero 7, 33 et 40 sollemnibus mortuorum pauca dicamus. In ecclesiis occidentalibus celebris ob defuncti memoriam fuit dies 40 post obitum, Ambrosius (in *orat. funebr. Theodosii imp.*): „Ejus principis et proxime conclamavimus obitum, et nunc quadragesimum celebramus, sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit." Ubi et de ejus ritus varietate ista addidit: „Alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt." Idem (in *orat. de fide resurrect.*): „Nunc die septima ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futurae quietis est." Quo in loco refert, orationes et exhortationes eo die haberi consuevisse. Narrat Gregorius in *dialogis lib. II. cap.* 23. „duas quasdam sanctimoniales petulanti laborasse lingua, sanctum Benedictum vero minitantem dixisse: Nisi correxeritis linguas vestras, excommunico vos. Mortuae vero sunt mulieres et in templo sepultae. Cum autem tempore missae diaconus clamaret de more, si quis non communicat, det locum: vidit earum nutrix etiam istas sepultas mulieres surgere atque de templo exire. Postea igitur oblatione pro defunctis facta, remanserunt in sepulcris." Scribit idem pontifex (*hom.* 37. *in evangg.*) „quandam mulierculam pro suo marito in bello capto et abducto, veluti pro mortuo, hostias habdomadibus singulis curasse offerri." Recitat idem auctor (*hom.* 7. *in ev.*) „Cassium Nariensis urbis episcopum prope sancti Juvenalis martyris sepulcrum quotidie obtulisse sacrificium pro defunctis et viventibus." Orationes, quibus animas defunctorum Deo commendant, commemorat Beda 4, 25. Gesta episcoporum Metensium recitant de Clodulfo episcopo, „quod ipsi sepulto, clerici ejus per triginta dies missarum sollemnibus, orationibus, continuis vigiliis, et psalmodiis, pietatis intuitu, justa persolverint." Impiis vero neque loco solito juxta ceteros Christianos tumulus datus, neque preces pro iis exhibitae neque missae dictae aut psalmi cantati. Memorias defunctorum anniversariis orationibus, vigiliis, psalmorum laude, missis celebrarunt, ut tradit idem Beda (3, 2.) qui refert, ad crucem, quam Oswaldus in Anglia erexerat, fratres Hagustaldensis ecclesiae quotannis pridie ante illum diem, quo is occisus fuerat, vigilias cum plurima psalmorum laude continuasse et victimam sacrae oblationis pro salute animae ejus offerre solitos fuisse. Oluvius quoque rex, in loco, ubi Osvinum regem interfici curarat, eo nomine monasterium exstruxit, ut quotidie preces pro utriusque anima ibi fierent, teste Beda (3, 2.). Sic de monialibus idem scribit (4, 7.), quod expletis matutinis horis, quotidie ad fratrum sepulcra certas Deo laudes canere solerent. Aediswaldus (in *epist. ad sanctum Bonifacium*) refert, memorias mortuorum anniversario die orationibus celebratas, et defunctorum nomina, prout opportunitas anni exegerit, ex utraque parte adducta fuisse. Jo. Damascenus

(in *serm. de defunctis*) affirmat, non tantum anniversarias, sed etiam trigesimas et quadragesimas in defunctorum utilitatem cedere, ex auctoribus, divo Gregorio et Dionysio, et aliis patribus, quam rem apostolos adprobasse tradit. S. Bonifacius (in *epist. ad Alderium abbatem*) pro dormientium fratrum animabus orare jubet. Leobgyta in *epist. ad S. Bonifacium*: „Pro anima patris mei preces ad Deum offerre non renues." Carolus M. (lib. 2, 31.) pro parentibus suis et amicis orat, et pro iis eleemosynas distribuit. Michael et Procopia imperatores Tarasii memoriam anniversaria die celebrarunt ad sepulcrum ejus (*Annales Constantinopolitani lib.* 24.). Ex his igitur sanctorum patrum locis ignem purgatorium esse satis aperte intelligitur, cujus praeter alios vetustissimus auctor Origenes ita meminit (*hom. 2. in ps.* 36.): „Est hoc," inquit, „peccatum ira, unum ex illis, quod ad aedificia adfert ligna, foenum et stipulam. Et necesse est hujusmodi materias per ignem probari, ita ut permaneamus tamdiu in igne, donec in nobis ligna iracundiae consumantur et foenum indignationis et stipula verborum eorum, quae hujusmodi vitiis exagitati protulimus." Et *hom. 3. in psalm. eund.*: „Veniemus ad illum ignem, in quo uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, et, ut ego arbitror, omnes vos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus aliquis sit vel Petrus; venit tamen ad illum ignem, sed tales audiunt illud: etiamsi per ignem transeas, flamma non uret te." Et *hom. 8. in Levitic.* adserit, „eos, qui peccatum commiserunt, quod neque in hoc, neque in futuro seculo remittitur, per duas septimanas manere immundos, sed tertia incipiente purgari ab immunditia." Porro *hom. 12. in Ezech.*: „Nobis alia," inquit, „servantur tormenta, qui videmur credere, et in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio, qui ne initium quidem credulitatis habuerunt." Et *lib. 5. contr. Celsum*: „Singulos, quibus per ignem vel poena sit simul et medicatio adferenda, ignis iste amburit, non tamen exurit, ut qui nil habent, quod per ignem sit absumendum." Plura dicit in eam sententiam ante et post ea verba.

Cap. XI. De coemeteriis. Coemeteria loca erant Christianorum sepulturae speciatim adsignata. Nam quemadmodum veteres tam antiquae, quam novae legis patres mortuos dormire dicebant (quod frequenter divina scriptura commemorat, ut illud: „dormivit cum patribus suis in senectute bona." Et *I ad Thes.* 4, 13.: „Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini") sic eorum sepulcra appellabant eo nomine, quod significarent loca ad quietem et somnum comparata. Athenaeus (*lib. 4. ex Dosiadis, item lib. 4. τῶν κρητικῶν*) scribit, apud Cretenses in singulis civitatibus fuisse quasdam aedes publicas, ad excipiendos peregrinos, quae appellabantur coemeteria. Sed Christiani hoc verbo pro sepulturae locis praecipue usi sunt. Veteres primitivae ecclesiae patres sua coemeteria habuerunt, in quibus Christianorum corpora sepelirent. Ea 1. Cor. 15. Paulus innuit. Deinde, quia solebant ad sepulcra sanctorum martyrum, quorum sacrosancta erat memoria, anniversario die passionis eorum convenire, ampla et capacia coetibus publicis orationum loca, coemeteriis adjacentia, etiam coemeteria vocarunt. Legimus veteres Romanos pontifices inter martyrum tumulos

stationes, id est, omnes actus publicos pontificales celebrare consuevisse. Itaque haec coemeteria erant Christianis (quod et nunc sunt) veluti templa et orationum loca, in quibus episcopi synodos congregabant, sacramenta administrabant, verbum Dei concionabantur. Hinc illud scitu dignum, quod cum imperator quispiam persecutionem in Christianos instaurare constituisset, ante omnia eos a coemeteriis arcere solebat, ne in unum conveniendi eis facultas esset. Itaque legimus apud Eusebium (hist. eccl. 7, 11.), Aemilianum praefectum Aegypti in Valeriani persecutione ita Dionysium episcopum, presbyteros et clericos Alexandrinos et alios Christianos in Christe fide constantes alloquentem: „Video vos ingratos esse, simul ac stupidos, qui clementiam Augustorum minime sentiatis. Quam ob rem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Lybiae, ad locum, qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis nec quibuscumque aliis, conventus agere aut ea, quae vocantur, coemeteria adire.“ Et ibid. 9, 11. legimus, Galerium Maximinum aliquando conatum coemeteria Christianis rursus adimere, cum eos dissipare atque pessundare vellet. „Itaque, „inquit, ad subruendam pacem nihil non molitus est, primum quidem nostros a conventibus, qui in coemeteriis fieri solebant, nescio quo praetextu arcere aggressus est.“ Rursus cum imperator alius persecutionem in nos reprimere vellet, ante omnia jus conveniendi in coemeteria reddidit. Exstabat Gallieni Augusti edictum, quo Christianis coemeteria sua restitui jussit, ut ad sua sacra coire possent, quibus a patre suo Valeriano imperatore paullo ante impiis edictis prohibiti fuerant. Ejus rei ita Eusebius (hist. eccl. 7, 13.) meminit: „Valeriano a barbaris capto et in servitutem redacto, filius ejus Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit missisque edictis persecutionem adversus nostros commotam sedavit utque religionis nostrae antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto praecepit: Imperator Caesar P. Licinius Gallienus, pius, felix, augustus, Dionysio, Pinnae, Demetrio et reliquis episcopis: Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi praecepimus ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca et vos rescripti nostri forma uti potestis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id quod vobis exsequi licet, jamdudum a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius procurator summae rei, dati a nobis rescripti formam sequetur.“ Et paullo post: „Est et alia ejusdem imperatoris constitutio ed alios episcopos data, qua iis permisit, ut coemeteriorum suorum loca recuperarent.“ Eusebius igitur indicat, praecipuum ejus beneficium fuisse, quod permiserit Christianos recuperare coemeteria. Cum igitur audimus ea Christianis permitti, intelligimus etiam permitti, ut ad sua sacra coire possint. Gallienus sui edicti custodem et veluti executorem ac vindicem nominat quendam Aurelium Quirinum. Ex his igitur liquet, apud Christianos persecutionum tempore coemeteria praecipua quaedam templa sive loco sacra fuisse, in quibus ad sua sacra convenire possent. In coemeteriis fabricas materiales fuisse, sacrorum mysteriorum usibus exstructas, auctor est Damasus papa, qui (in *S. Fabiani papae et martyris*

vita) ita ait: „Hic multas fabricas per coemeteria fieri praecepit.“ Bibliothecarius (in *vita Joannis III. papae*): „Hic ampliavit et restauravit coemeteria sanctorum martyrum.“ In coemeterio beatum Xystum II. papam cum quatuor diaconis occisum fuisse, auctor est S. Cyprianus (*epist.* 5, 19. *ad Successum*). „Xystum,“ inquit, „in coemeterio animadversum sciatis, octavo iduum Augustarum die, et cum eodem Quartum.“ Hinc Damasus ait: „Liberium papam de exsilio reversum, habitasse in coemeterio sanctae Hagnetis apud Constantiam, sororem Constantii Augusti.“ Et paullo infra: „Constantius Augustus facto concilio misit et revocavit Liberium de coemeterio sanctae Hagnetis.“ Bibliothecarius ait: „Bonifacium papam urbe pulsum habitasse aliquando in coemeterio sanctae Felicitatis martyris, via Salaria.“ In coemeteriis Romae existentibus baptismum et missas celebrare, vigilias decantare, ordinationes et stationes, id est, omnes sacras caerimonias habere veteres solitos fuisse, docent antiquissima ecclesiastica monumenta. Protonotarius s. Romanae ecclesiae in *actis Liberii papae*, *Tom. I. conciliorum*: „Habitabat Liberius papa ab urbe Roma milliario tertio, in coemeterio Novellae, juxta coemeterium Ostrianum, ubi Petrus apostolus baptizavit. Eodem tempore paschae baptizavit Liberius papa (in eodem coemeterio) promiscui sexus numero quatuor millia et duodecim: quia omnes Romani, et a longo alii, et Romanorum vicini desiderabant ab eodem baptizari.“ Bibliothecarius in *vita Sergii papae*: „Hic tempore sui presbyteratus impigre per coemeteria diversa missarum sollemnia celebrabat.“ Concilium Eliberinum sub Sylvestro papa celebratum cap. 25.: „Placuit,“ „prohiberi, ne foeminae in coemeterio pervigilent, eo, quod saepe sub obtentu orationis scelera latenter committant.“ Item ex *apologia* D. Athanasii *de fuga sua*: „In hebdomada post sacram pentecostem populus completis jejuniis ad orandum ad coemeterium abiit.“ Cui loco convenire videntur Leonis papae verba: „Quarta et sexta feria jejunemus, sabbatho vero apud S. Petrum consuetas vigilias celebremus.“ Damasus papa in *vita Dionysii papae* ait: „Ipsum presbyteris Romanis ecclesias et coemeteria (curanda scilicet) divisisse.“ Vetustissimum ante Damasi tempora sanctae Romanae ecclesiae registrum: „Populus Romanus timens Deum multisque persecutionibus fatigatus, per coemeteria martyrum stationes sine clericis celebrabat, et ad sanctam Hagnetem multi fidelium convenerunt.“ Anastasius Bibliothecarius in *vita Joannis III. papae* ita scribit: „Hic ampliavit et restauravit coemeteria sanctorum martyrum et instituit, ut oblationes, amulae (panem scilicet et vinum pro sacrificio intelligit, quia haec verba in hoc significatu passim accepta inveniuntur) vel luminaria in eisdem coemeteriis per omnes dominicas de Lateranis administrarentur.“ Et paullo infra: „Tunc venerabilis papa Joannes retinuit se in coemeterio sanctorum Tiburtii et Valeriani, et habitavit ibi multo tempore, ut etiam episcopos ibidem consecraret.“ Idem in *vita Gregorii III. papae*: „Hic institutis disposuit, ut in coemeteriis sanctorum martyrum circumquaque positis Romae, in die natalitiorum ipsorum luminaria, ad vigilias faciendas, et oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur, ad celebrandas missas, per, quem

praedicaverit pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem.“ Item in *vita Nicolai primi*: „Hic pontifex coemeterium sancti Marci, inter vias Appiam et Ardeatinam, multis ruinis conquassatum atque contritum mirifice construxit ac decoravit, divinique cultus mysterium, quod multos per temporum cursus discesserat, restituit.“ Quis igitur negare audebit, coemeteria non solum idem cum ecclesiis fuisse, sed aliquid amplius, quam ecclesiae urbanae, sepulcra scilicet Christianorum, quae intra urbem fieri non poterant, habuisse, cum in iis stationes et synodos haberi, baptismum, ordinationes et missas celebrari et vigilias fieri videamus? Igitur contra aliquorum sententiam *coemeterium facit ecclesiam sive basilicam*, quod expresse Damasus papa in *vita sancti Marci Papae*, qui S. Sylvestro immediate successit, exponit sic: „Marcus papa fecit basilicas duas, unam in via Ardeatina, in qua sepultus est, aliam in urbe Roma juxta Palatinas. Ex hujus suggestione Constantinus Augustus obtulit basilicae, quam coemeterium instituit via Ardeatina ad fundum rosarum.“ Et paullo infra: „Marcus papa moriens sepultus est in coemeterio Balbinae, via Ardeatina, quod ipse insistens fecerat.“ Hic animadversione dignum, ecclesiam illam, quam antea basilicam vocaverat, coemeterio ibidem constituto, non amplius basilicam, communi scilicet nomine, sed coemeterium speciali appellatione dici.

Cap. XII. De coemeteriis urbis Romae. Ejusmodi coemeteriorum plura, qualia etiamnum cernuntur Romae, fuerunt vel in topho suburbano, sacellis quibusdam adjunctis, excavata, vel in subterraneis cryptis constituta, ex quibus in antiquis ecclesiae monumentis horum mentionem invenimus. I. Coemeterium omnium vetustissimum Ostrianum, via Salaria, ad tertium ab urbe lapidem, in quo Petrus apostolus baptizasse dicitur. De quo protonotarius sanctae Romanae ecclesiae (in *actis Liberii papae cap.* 3. *tom. I. concilior.*) sic ait: „Erat non longe a coemetrio Novellae ad tertium milliarium ab urbe via Salaria coemeterium Ostrianum, ubi Petrus apostolus baptizavit.“ II. C. Vaticanum juxta templum Apollinis, Cajique et Neronis circum, via triumphali situm, in hortis Neronianis, ubi nunc est basilica S. Petri apostoli, in quo jacuere corpora sanctorum Romanorum pontificum, Petri, Lini, Cleti, Anacleti, Evaristi, Xysti, Telesphori, Hygini, Pii, Eleutheri, Victoris et aliorum, Damasus, Martinus etc. Hoc coemeterium fontis sancti Petri vocat liber Censuum, quod praeter sepulcra, fontem quoque baptismi habet, qui non omnibus coemeteriis communis erat. III. C. ad Nymphas, in praedio Severae, via Nomentana, lapide ab urbe inter septimum et octavum, in quo sepulta fuerunt corpora sanctorum martyrum, Alexandri papae, Eventii et Theoduli, presbyterorum, Papiae et Mauri militum, Aproniani tribuni et aliorum. IV. C. vetus, quod postea a papa Callisto ampliatum, ex ejus nomine Callisti appellatum est, via Appia, lapide ab urbe secundo, sub basilica sancti Sebastiani situm, in quo jacuere corpora sanctorum martyrum, Romanorum pontificum, Aniceti, Soteris, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Xysti II., Dionysii, Eutychiani, Caji, Eusebii et Miltiadis. Item sanctorum Sebastiani, Caeciliae, Tertullini presbyteri, Nemesii diaconi,

Lucillae filiae ejus, et aliorum innumerabilium sacerdotum et martyrum. Damasus papa: „Hic fecit," inquit, „aliud coemeterium via Appia, ubi multi sacerdotes et martyres requiescant, quod appellatur usque in hodiernum diem coemeterium Callisti." In eo coemeterio erant catacumbae, ubi aliquando jacuerunt corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et aliorum multorum sanctorum. De quibus ita scribit Damasus papa: „Sanctus Cornelius papa rogatus a quadam matrona, Lucina nomine, corpora beatorum Petri et Pauli apostolorum de catacumbis levavit nocte, primum quidem corpus b. Pauli beata Lucina posuit in praedio suo, via Ostiensi, ad latus, ubi decollatus est: b. vero Petri corpus accepit beatus Cornelius episcopus et posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis, in monte Aureo, in Vaticano palatii Neroniani III. Kalend. Julii." Bibliothecarius in *vita Damasi papae*: „Hic dedicavit Platoniam in catacumbis, ubi corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli jacuerunt, quam versibus ornavit." Beda in *libr. de ratione temporum*: „Xystus III. papa fecit Platoniam in coemeterio Callisti, via Appia, ubi nomina episcoporum et martyrum scripsit, ea commemorans." Gregorius papa *registri lib. 3. ep. 30. ad Constantinam Augustam*: „De corporibus vero beatorum apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia eo tempore, quo passi sunt, ex oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicuti civium suorum repeterent? Quae ducta usque ad secundum urbis milliarium, in loco, qui dicitur ad catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitru atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare praesumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex domini pietate meruerunt, levaverunt et in locis, quibus nunc sunt condita, posuerunt." Et paullo supra: „Corpora sanctorum Petri et Pauli apostolorum, tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi." Extat adhuc hoc coemeterium sub basilica sancti Sebastiani, in via Appia. Leo Magnus papa fecit basilicam beato Cornelio papae, et martyri, juxta coemeterium Calixti, via Appia. Haec Anastasius monachus et sanctae Romanae ecclesiae bibliothecarius, Martyrologium, *liber censuum camerae apostolicae*, e bibliotheca Palatina editus a Cencio, camerario sanctae Romanae ecclesiae, qui post papa Honorius III. fuit, commemorant. V. C. S. Soteris papae et martyris, quod coemeterio Callisti vicinum, vel ejus potius partem fuisse existimo. Id restauravit Stephanus papa II. Anastasius bibliothecarius: „Restauravit tegumen coemeterii sancti Soteris, quod ceciderat." VI. C. S. Zephyrini papae et martyris, via Appia, prope catacumbas et coemeterium S. Callisti papae, in quo ipse cum multis aliis martyribus sepultus est. VII. C. S. Callepodii, presbyteri sanctae Romanae ecclesiae, via Aurelia, lapide ab urbe secundo, alias tertio, extra portam Janiculensem, prope ecclesiam sancti Pancratii, ubi dormierunt sancti papae Callistus martyr et Julius confessor; sancti martyres, Palma vir consularis, cum uxore, filiis et familia, numero 42, Simplicius senator cum uxore, filiis et

familia, numero 49, Julius senator, Felix et ejus uxor Blanda. VIII. C. S. Praetextati presbyteri, via Appia, lapide primo ab euntibus per diverticulum sinistrorsum, in quo dormierunt sancti martyres Urbanus papa, Feliciissimus, Agapetus, Januarius et Magnus diaconi; Vincentius et Stephanus subdiaconi Xysti papae II., Quirinus tribunus, et ejus filia Balbina virgo, sub sancto Alexandro papa occisi. IX. C. S. Pontiani papae, non longe a sanctis Abdon et Senen, in quo ipsorum martyrum corpora cum S. Pigmenio presbytero requieverunt. X. C. Cyriacae, alias crypta Tiburtina, in agro Veranio, in qua condita sunt corpora sanctorum martyrum, Laurentii archidiaconi, Severi presbyteri, Claudii subdiaconi, Romani ostiarii, Crescentii lectoris, sub Xysto papa II. Item Zosimi, Xysti III. et Hilarii, Romanorum pontificum. Hippolyti martyris, Concordiae nutricis ejus, cum aliis 19 familiae suae, Justini presbyteri, Cyrenaei, Habundii, Cyrillae, Triphonae, martyrum. Exstat adhuc in ecclesia sancti Laurentii, extra muros. XI. C. Lucinae, via Aurelia, extra portam sancti Pancratii. XII. C. Aproniani, via Latina, haud longe ab urbe, in quo sepulta est sancta Eugenia virgo et martyr sub Gallieno imperatore. XIII. C. S. Felicis papae, via Aurelia, milliario ab urbe secundo, in quo jacet corpus ejus, et Felicis II. antipapae. Adjunctum est coemeterio S. Callepodii, prope sanctum Pancratium, extra portam Janiculensem. XIV. C. Priscillae, alias sancti Marcelli papae, via Salaria veteri, in cubiculo claro, juxta cryptam S. Crescentionis, lapide ab urbe tertio, a S. Marcello papa dedicatum. De quo Damasus: „Marcellus papa rogavit quandam matronam nomine Priscillam, et fecit coemeterium via Salaria, et 25 titulos in urbe Roma.“ In hoc autem coemeterio dormierunt sancti martyres Marcellinus papa, Claudius, Quirinus et Antonius presbyteri: Marcellus ipse papa et martyr, Sylvester, Liberius, Siricius et Caelestinus, papae et confessores: item Vigilius papa, Pudens cum uxore Sabinella, et filiabus Pudentiana et Praxede, Basilla virgo, Hermes praefectus, Prothus et Hiacinthus eunuchi. Restauratum a S. Joanne papa. XV. C. S. Timothei presbyteri, via Ostiensi, intra basilicam sancti Pauli apostoli, in quo ipse jacet. XVI. C. Novellae, via Salaria, de quo Protonotarius s. Romanae ecclesiae in *actis Liberii papae cap. 2. tom. I. concilior:* „Habitabat,“ inquit, „Liberius ab urbe Roma milliario tertio in coemeterio Novellae, via Salaria, quasi exsul. Veniente autem die paschae vocavit universos presbyteros, cives Romanos et diaconos et sedit in eodem coemeterio et dixit: „Nolite timere, quoniam vobiscum ego non habito in urbe Roma, sed habetis vicarium, ecce fratrem meum et presbyterum Damasum.“ XVII. C. Balbinae, alias sancti Marci papae, inter vias Appiam et Ardeatinam, juxta basilicam sancti Marci papae, in quo ipse pontifex dormivit. Damasus in *ejus vita:* „Hic fecit basilicas duas, unam in Ardeatina, in qua sepultus est, aliam in urbe Roma, juxta Palatinas. Ex hujus suggestione Constantinus Augustus obtulit basilicae, quam coemeterium constituit, via Ardeatina, fundum rosarum, cum omni agro campestri, praestante solidos 40.“ Et paullo infra: „Marcus papa moriens sepultus est in coemeterio Balbinae, via Ardeatina, quod ipse insistens fecerat, anno

salutis 336. Gregorius III. papa basilicae beati Marci via Appia extra urbem sitae, tectum diruptum de novo refecit, Pontifex Nicolaus ad coemeterium beati Marci confessoris atque pontificis, quod inter Appiam Ardeatinamque vias positum esse cognoscitur, sancto deductus est spiritu, et hoc multis ruinis conquassatum reperiens atque contritum, conatu summo relevans mirifice construxit ac decoravit, divinique cultus mysterium, quod multos per temporum cursus discesserat, restituit ac restauravit. XVIII. C. S. Julii papae, via Flaminia, prope ecclesiam S. Valentini, extra muros urbis. Adhuc exstat in vinea fratrum eremitarum, ordinis S. Augustini. XIX. C. S. Julii papae, via Aurelia. XX. C. S. Julii papae, via Portuensi. XXI. C. S. Damasi papae, inter vias Ardeatinam et Appiam, in quo jacent sancti martyres Processus et Martinianus, ipseque Damasus cum matre et sorore. Bibliothecarius: „Hic fecit basilicas duas, unam juxta theatrum, quae S. Laurentii vocatur, aliam via Ardeatina, ubi requiescit in catacumbis.“ Damasi coemeterium restauratum est a Joanne VII. papa. XXII. C. S. Anastasii papae, intra urbem, regione quinta Esquilina, in vico Ursi pileati, prope ecclesiam S. Vibianae, in quo jacent idem Anastasius et Innocentius papae. Anastasius bibliothecarius: „Anastasius papa sepultus est in coemeterio suo ad Ursum pileatum.“ Liber Censuum bibliothecae Vaticanae: „Antiqua inscriptio: Anno Domini — mense Octobri — dedicationem hujus ecclesiae sanctorum martyrum Simplicii, Faustini et Beatricis ad coemeterium Ursi pileati, juxta formam Claudii ad portam Taurinam. Quam primus Leo papa maxima devotione cum indulgentia et remissione trium annorum et 40 dierum fecit. In quo coemeterio requiescunt quatuor millia 257 corpora sanctorum, exceptis parvulis et mulieribus.“ XXIII. C. S. Hermetis martyris, alias sanctorum Hermetis et Domitillae martyrum, factum a Pelagio papa II. XXIV. C. S. Nicomedis presbyteri et martyris, via Ardeatina, lapide ab urbe septimo, exstructum a Bonifacio V. papa. Bibliothecarius: „Hic perfecit coemeterium sancti Nicomedis et dedicavit illud.“ XXV. C. S. Hagnetis, via Nomentana. Damasus in *Liberio papa*: „Rediens Romam Liberius papa, habitavit in coemeterio S. Hagnetis, apud germanam Constantii Augusti Constantiam.“ Et paullo infra: „Constantius Augustus revocavit Liberium papam de coemeterio S. Hagnetis.“ De hoc loqui puto Marcellinum lib. 21. ubi ait: „Julianus Caesar Helenae conjugis defunctae suprema miserat Romam in suburbio viae Nomentanae condenda, ubi uxor quoque Galli, quondam soror ejus, sepulta est Constantina.“ Damasus: „Liberius papa ornavit de platinis marmoreis vetus sepulchrum S. Hagnetis martyris.“ Bibliothecarius: „Innocentius papa constituit ecclesiam beatae Hagnetis martyris a presbyteris Leopardo et Paulino gubernari et eorum sollicitudine regi et ornari. Bonifacius papa die paschae, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum in basilica S. Hagnetis martyris, quam ruinae proximam cum abside renovavit Symmachus papa.“ XXVI. C. S. Felicitatis martyris, via Salaria, in quo Bonifacius papa sepultus est. Bonifacius papa fecit oratorium in coemeterio S. Felicitatis, juxta corpus ejus, cujus et S. Silvani sepulcra exornavit, ubi posuit haec dona:

patenam, amam, scyphum, calices duos, coronas tres, omnia argentea. Symmachus papa basilicam S. Felicitatis ruinae proximam reparavit. XXVII. C. Jordanorum a Symmacho papa refectum, ubi quiescit corpus S. Alexandri martyris. Bibliothecarius: „Hic fecit coemeterium Jordanorum in melius, propter corpus S. Alexandri.“ XXVIII. C. Ss. Nerei et Archilei martyrum, via Ardeatina, in praedio S. Domitillae, in crypta Harenaria, lapide ab urbe secundo, restitutum a papa Johanne, in quo ipsorum corpora condita sunt. Bibliothecarius, qui sic scribit: „Hic papa restauravit coemeterium beatorum martyrum, Nerei et Archilei, via Ardeatina, et coemeterium sanctorum martyrum, Felicis et Adaucti, et coemeterium Priscillae.“ XXIX. C. Ss. Felicis et Adaucti martyrum, via Ostiensi, milliario ab urbe secundo. Renovatum a Joanne papa. XXX. C. Ss. Tiburtii et Valeriani martyrum. Bibliothecarius in *Joanne III. papa*: „Joannes papa retinuit se in coemeterio sanctorum Tiburtii et Valeriani martyrum, et habitavit ibi multo tempore, ut etiam episcopos ibidem consecraret.“ Renovatum a Gregorio III. papa, in quo jacuerunt Ss. martyres Marcellinus presbyter et Petrus exorcista. Bibliothecarius: „Hadrianus papa tectum coemeterii sancti Tiburtii restituit.“ XXXI. C. Ss. Marcellini et Petri martyrum, via Labicana. Renovatum ab Honorio papa. Bibliothecarius in *vita Hadriani papae*: „Coemeterium Ss. Marcellini et Petri noviter refecit et gradus ejus via Labicana, juxta basilicam beatae Helenae renovavit, et ejusdem tectum refecit, quoniam nullus jam descensus erat ad ipsa sancta corpora.“ XXXII. C. Ss. Marci et Marcelliani martyrum, via Ardeatina, restauratum a Joanne VII. papa. Bibliothecarius: „Laboravit Joannes VII. papa in coemeteriis Ss. martyrum Marcelliani et Marci Damasique sancti pontificis.“ XXXIII. C. Ss. Januarii, Urbani et Maximi martyrum, restauratum et ornatum a Gregorio III. papa. Bibliothecarius: „Gregorius III. laboravit in coemeteriis Ss. martyrum Januarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani et Maximi eorumque tecta in ruinis posita a novo refecit. XXXIV. C. C. S. Petronillae, ornatum a Gregorio III. papa, de quo Anastasius Bibliothecarius: „In coemeterio beatae Petronillae stationem annue dare instituit, ubi obtulit coronam auream, calicem et patenam argenteam, sed et alia diversa, ad ornatum ecclesiae pertinentia.“ XXXV. C. Ss. Simplicii et Serviliani. XXXVI. C. Ss. Quarti et Quinti. XXXVII. C. S. Agathae, ad Girolum, via Aurelia, in quo jacuerunt corpora Ss. Processi et Martiniani. XXXVIII. C. Ursi, ad Portesam. XXXIX. C. Cardianum, via Latina. XL. C. inter duos Lauros, ad sanctam Helenam. XLI. C. ad Clivum cucumeris. XLII. C. S. Thrasonis, ad sanctum Saturnium. XLIII. C. S. Cyriaci, via Ostiensi.

Astulfus Longobardorum rex multorum sanctorum corpora effodiens circa Romam, eorum coemeteria subvertit.

Paulus papa magnam sollicitudinis curam erga sanctorum coemeteria indifferenter gerebat. Unde cernens plurima sanctorum coemeteriorum loca neglecta ac desidia antiquitatis maxima demolita atque jam vicina ruinae posita, protinus eadem sanctorum corpora de istis diruti abstulit coemeteriis, quae cum hymnis et canticis spiritualibus intra hanc

civitatem Romanam introducens, eadem per diaconias seu monasteria et reliquas ecclesias cum condecenti studuit honore recondi, et praesertim in ecclesia monasterii, quod in domo propria in honorem Ss. pontificum Stephani martyris, et Sylvestri confessoris a fundamentis erexit. Ad quam venerabilium sanctorum corpora, quae de praefatis demolitis abstulit coemeteriis, maximo venerationis affectu transtulit atque recondidit. Paschalis papa multa corpora sanctorum, quae in diruta coemeteriis jacebant, intra urbem in ecclesia sanctae Praxedis collocavit. In porticu ante basilicam S. Petri apostoli, prope vetustissimam secretariam, quod nunc sancta Maria de febribus vocatur, sepulta fuerunt corpora Ss. Romanorum pontificum, Leonis, Simplicii, Gelasii, Anastasii II. Symmachi, Hormisdae, Joannis I. II. et III., Felicis III., Bonifacii II., Agapeti, Pelagiorum I. et II. et Gregorii I.

In secretario, quod nunc dicitur sancta Maria de febre, ante basilicam S. Petri apostoli quiescit Benedictus papa.

In basilica sancti Petri apostoli dormiunt Ss. Romani pontifices, Sabinianus, Bonifacii III. IV. V. VI. VIII. et IX. Deusdedit, Honorii I. et IV. Severinus, Joannes IV. V. VI. VII. VIII. IX. XIV. XV. XVI. et XIX. Theodori I. et II. Eugenii I. II. III. et IV. Vitalianus, Adeodatus, Domni sive Domniones I. et II. Agatho, Leones I. II. IV. VI. VII. VIII. et IX. Benedicti II. III. IV. VI. VIII. et IX. Cono, Sergii I. et II. Sisinnius, Constantinus, Gregorii II. III. IV. V. et IX. Zacharias, Stephani II. III. IV. V. VI. VII. VIII. et IX. Paulli I. II. et III. Hadriani I. II. III. et IV. Paschalis, Valentinus, Nicolai I. II. III. et V. Marini I. et II. Formosus, Romanus, Christophorus, Anastasius III. Landones I. et II. Urbani I. et VI. Caelestinus IV. Innocentii VII. et VIII. Callistus III. Pii I. II. III. et IV. Xystus IV. Alexander VI. Julii II. et III. et Marcellus II. Laterani vero sepulti sunt Romani pontifices Leo V. Sergii III. et IV. Sylvester II. Joannes X. XI. XII. et XVIII. Agapitus II. Bonifacius VII. Alexandri II. et III. Paschalis II. Callistus II. Honorius II. Innocentii II. et V. Caelestini II. et III. Lucius II. Anastasius IV. Clemens III. et Martinus V. — Ad sanctum Paulum requiescunt Felix II. et Joannes XIII. — Ad sanctam Mariam majorem conditi sunt Benedictus X. Honorius III. prope praesepe et Nicolaus IV. papae. — Ad sanctum Laurentium extra muros quiescit Damasus II. In basilica vero S. Clementis corpus ejus, octingentesimo post ejus mortem anno a Nicolao papa ex Graecia translatum, conditum est. — Ad sanctam crucem in Hierusalem sepultus est Benedictus VII. — Ad sanctam Sabbam in cella nova Joannes XVII. — Ad sanctam Urbianam Benedictus IX. — Ad sanctam Mariam novam Gregorius XI. — Ad sanctam Mariam de Minerva Leo X. Clemens VII. et Paulus IV. — Ad sanctam Mariam de anima Hadrianus VI. Extra urbem vero conditi sunt Benedictus V. antipapa Hamburgi in Saxonia. — Gregorius VI. et Gelasius II. Cluniaci in Gallia. — Clemens II. Bambergae in Germania. — Victor II. Stephanus IX. et Joannes quondam papa XXIII Florentiae. — Gregorius VII. Salerni. — Victor III. Cassini. — Clemens III. antipapa, Ravennae. — Lucius III. Veronae. — Urbanus III. Ferrariae. — Grego-

rius VIII. Pisis. — Innocentius III. Urbanus IV. et Benedictus XI. Perusiae. — Innocentius IV. Neapoli. — Alexander IV. Clemens IV. Hadrianus V. et Joannes XXI. Viterbii. — Gregorius IX. Arretii. — Caelestinus V. apud S. Antonium de Ferentino. — Clemens V. Burdegalae. — Joannes XXII. Benedictus XII. Innocentius VI. et Clemens VII. antipapa, Avenione. — Clemens VI. in monasterio casae Dei in Galliis. — Urbanus V. Massiliae ad sanctum Victorem. — Benedictus XIII. Panischolae. — Gregorius XII. Recaneti. — Alexander V. Bononiae.

Cap. XIII. De coemeteriis extra urbes. Praeter Romana coemeteria alia in omnibus civitatibus, ubi Christiani essent, multa fuerunt et praesertim extra urbes. Chrysostomus enim (*in serm. de fide et lege*) ait: „omnem civitatem et omne castellum ante ingressum habere sepulcra." De coemeterio Alexandrino Athanasius (*in apologia de fuga sua*): „In hebdomoda post sacram pentecostem populus completis jejuniis ad orandum ad coemeterium abiit." De Antiocheno (Evagrius hist. eccl. 1, 16.): „Ignatii ossa robustiora, quae relicta fuerant a bestiis, Antiochiam deportata et in coemeterium condita sunt." Thomae Syri viri sancti corpus publico honore et pompa Antiochiam delatum, in coemeterio conditum est, ut Evagrius (l. l. 4, 35.) ita commemorat: „Thomas, Syrus, vir sanctus, cum reverteretur, in hospitali aegrotantium, quod in suburbio Daphne est, ad incorruptibilem vitam transivit. Cujus corpus in sepulturam exterorum asportarunt. Hic cum unus et alter post ipsum sepulti essent, corpus ipsius semper supra illos inventum, Deo sic maximum miraculum post mortem quoque illius edente. Reliqua enim cadavera submovebantur longius ac repellebantur. Admirantes itaque incolae Ephraemo episcopo rem nunciant. Tum vero sacrosanctum illius corpus publico honore et pompa Antiochiam transferunt inque coemeterio condunt, unde et pestifer morbus, qui tum invaluerat, facta hac translatione, quievit. Annuum quoque illius festum Antiocheni ad hunc usque diem magnifice celebrant." Augustinus (*ep. 64. ad Aurelium episc. Carthaginensem*) ebrietates et luxuriosa convivia, quae in coemeteriis, tamquam martyrum honori et mortuorum solatio habebantur, detestatur. De coemeterio Augustodunensi Gregorius Turon. (*de gloria confess. cap. 74.*). „Coemeterium apud Augustodunensem urbem Gallica lingua vocitavit, eo, quod ibi fuerint multorum hominum cadavera funerata, inter quae, quod sint quorundam fidelium dignaramque Deo animarum sepulcra, frequens occulte psallentium mysterium docet. Nam audivi, quod duo ex incolis loci, dum loca sancta orandi gratia circuire disponerent, audiunt in basilica sancti Stephani, quae huic conjuncta est coemeterio, psallentium sonum." Fuerunt in singulis civitatibus duplicia coemeteria, peregrinorum et civium, quod exponit Evagrius (hist. eccl. 4, 35.). Caeterum de coemeteriis in genere per omnes civitates multa supra diximus, quae nunc repetere nefas.

Cap. XIV. De festivitatibus, sacrificiis et oblationibus memoriae sanctorum. Apud veteres patres in martyrum diebus festis oblationes et sacrificia fieri solita fuisse, indicat Origenes (*lib. 3. in Jobum*): „Antiqui diem nativitatis celebrabant, unam vitam diligentes

et aliam post hanc non sperantes. Nunc vero nos non nativitatis diem celebramus, cum sit dolorum atque tentationum introitus, sed mortis diem, utpote in omnium dolorum depositionem atque omnium tentationum effugationem. Diem mortis celebramus, quia non moriuntur hi, qui mori videntur. Propterea et memorias sanctorum facimus et parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam consummationem in fide postulantes. Sic itaque non diem nativitatis celebramus, sed mortis, quia in perpetuo vivent ii, qui moriuntur. Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus convocantes, fideles una cum clero invitantes, adhuc egenos et pauperes, pupillos et viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis, in conspectu aeterni Dei." Cyprianus (*lib.* 3. *ep.* 6. *ad Clerum*): „Cum voluntati et confessioni nostrae in carcere et vinculis accedit et moriendi terminus, consummata martyris gloria est. Denique et dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cetera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit (qui nec illic circa curam corporum deest), scripserit et scribat ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosae mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis absolutiones et sacrificia, ob commemorationes eorum, quae cito vobiscum, domino protegente, celebrabimus." Et (*lib.* 4. *ep.* 5. *ad plebem et clerum*) de Celerino confessore, lectore ordinato: „sacrificia pro martyribus Laurentino, Ignatio et Celerina semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus." Martyrum memoriae praecipue in ecclesia Romana celebrantur, super quorum sepulcra missae fiebant ex Felicis papae constitutionibus. De martyrum memoriis Augustinus (*de civ. Dei* 8, 27.): „Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem suorum corporum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis; quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias offerant Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis angelis coelesti honore sociavit: ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriae renovatione adhortemur? Quaecumquae igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum, tamquam deorum. Quicunque etiam epulas suas eo deferunt, quod quidem a Christianis melioribus non fit,

et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas cum adposuerint, orant et auferunt, ut vescantur vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum, in nomine domini martyrum. Non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque martyres nostros nec divinis honoribus nec sacrificia illis offerimus nec eorum probra in eorum sacra convertimus." Ad eundem plane modum loquitur (l. l. 22, 2): „Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo, et martyrum et nostro, sacrificium immolamus: ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine nominantur, non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi." Refert Joannes Chrysostomus (in *argumento epist. ad Romanos*): „S. Pauli apostoli epistolas lectas, quando ad martyrum memorias agendas Christiani convenissent." Plura patrum loca cumulare supersedemus, ne praeter necessitatem simus prolixiores.

Cap. XV. De translationibus Sanctorum mortuorum. Corpora sanctorum hominum humi vel arcis inclusa ad alium locum transferre veteres consuevisse, exemplum est de corpore S. Ignatii martyris, cujus ossa solidiora, quae leonibus, qui ipsum devorarunt, superfuerunt, ut scribit Nicephorus (hist. eccl. 3, 19.) longo tempore post, pii Christiani Roma Antiochiam detulerunt. S. Cornelius papa rogatus a quadam matrona Lucina, corpora beatorum apostolorum Petri et Pauli e catacumbis levavit noctu, et corpus quidem beati Pauli beata Lucina primum posuit in praedio suo, via Ostiensi, ad latus, ubi decollatus est, corpus vero beati Petri accipit beatus Cornelius episc., et posuit juxta locum, ubi crucifixus est, inter corpora Ss. episcoporum in Vaticano. Modum translationis Romae usitatae refert Sozomenus (hist. eccl. 7, 10.): „Circa id tempus Meletii reliquiae Antiochiam deportatae et juxta loculum Babylae martyris depositae sunt. Ajunt porro, per totam viam publicam, ex imper. Theodosii jussu, cadaver illud intra urbes receptum fuisse, praeter morem institutumque Romanorum, et psalmorum cantibus per singula loca alternatim exceptum, honorifice Antiochiam usque deductum fuisse." Ritum vero in levandis et transferendis martyrum inventis corporibus, in occidentalibus ecclesiis usurpatum, S. Ambrosius indicat (*ep.* 24. *ad soror.*) sic: „Primum inventae, seu studio seu casu, Sancti alicujus reliquiae populo monstrabantur, et cujus essent martyris significabatur. Deinde ordine componebantur et transferebantur ad aliquod templum, ubi vigiliae tota nocte fiebant, concio de vita ipsius martyris habebatur, fiebant miracula. Aegri enim, qui vestes Sanctorum manu contigissent, sanabantur." Celebratur sollemnis illa translatio corporis sancti Babylae martyris Antiochiae, de qua Socrates (hist. eccl. 3, 18.). Cum enim sacerdotes Apollinis Juliano apostatae, Antiochiae

juxta fontum Castalium litanti, dixissent, sepulcrum Babylae martyris, quod in vicinia erat, in caussa esse, quod Apollo non daret responsa, mandavit, ut Galilaei (sic enim appellabat Christianos) venirent et sepulcrum Babylae auferrent. Igitur universa ecclesia conveniens, virgines juvenesque immensa exultatione succincti, trahebant longo agmine arcam martyris, psallentes summis clamoribus et cum exultatione dicentes: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia et qui gloriantur in simulacris suis. Honorem reliquiis Sanctorum, a gentilibus aut dispersis aut quocumque modo neglectis et inventis, suum habuerunt, ut veterum exempla testantur. Narrat Sozomenus (hist. eccl. 5, 9.) mulierem quandam Gazensem collegisse reliquias ossium, martyrum eorum, quos Gazensis populus, propterea, quod templa eorum idololatrica labefactassent, interfecerat, Eusebii scilicet, Nestabi et Zenonis fratrum, et in olla reconditas Zenoni consobrino eorum tradidisse, quas abditas ille domi adservaverit oratorioque aedificato eas reposuerit. In persecutione vero Persica sub Sapore rege et Magis Acepsimas episc., fortiter in confessione perdurans, mortuus est, cujus reliquias nonnulli ex Armenia, ex illis, qui Persis sunt vicini, clanculum sublata sepelierunt, ut narrat Sozomenus (hist. eccl. 2, 13.). De reliquiis Hilarionis monachi clam subreptis et in Palaestina reconditis, per Hesychium, Hilarionis discipulum, mentionem facit idem Sozomenus l. l. 3, 14. Memorantur passim Sanctorum translationes in antiquis ecclesiae catholicae monumentis, quarum praecipuae eae sunt: S. Barnabae apostoli reliquiae cum evangelio b. Matthaei, ipsius Barnabae manu hebraicis characteribus scripto, ex Cypro Constantinopolin sub Zenone imperatore translatae sunt (Theodorus *collectan.* 2.). Reliquiae S. Stephani ex Hierosolymis, Ss. Laurentii et Hagnetis ex urbe Constantinopolin translatae, in martyrio S. Laurentii, ab Eudoxia Augusta, Theodosii junioris imperatoris conjuge, conditae sunt. Corpus S. Samuelis prophetae Constantinopolin ex Judaea translatum est, sub imperatore Arcadio Augusto, et Attico patriarcha Constantinopolitano; S. Joannis Chrysostomi corpus, ex loco, in quo obiit, Constantinopolin a Theodosio jun. translatum est, Proclo patriarchatum administrante, Socrates hist. eccl. 7, 45. Theodoretus hist. eccl. 5, 36. Flaviani episc. Constantinop. corpus ex Epheso Constantinopolin translatum est a Theodosio jun. imper.; Niceph. hist. eccl. 34, 49. Sub Zenone imperatore Antiochiam delatae sunt reliquiae Eusthathii, ex Philippis Macedoniae, ubi ipse in exsilio mortuus fuerat, Sacratissimum corpus S. Joannis baptistae Hierosolymis a monachis inventum, in urbem Phoeniciae Emesam translatum fuisse, scribit Beda (in *lib. de ratione temporum*). De translatione capitis laudati baptistae et praecursoris Constantinopolin legatur Sozomenus hist. eccl. 7, 21. Ss. Hermagorae et Fortunati corpora ex Aquileja Gradum ab Helia episc. Aquilejensi translata sunt. Ss. Antonii monachi corpus inventum Alexandriam est deportatum; Joannes IV. corpora Ss. martyrum Anastasii, Mauri, Telii Antiochiam, Asterii, martyrum de Dalmatia et Istria Romam adduxit, et prope fontem Lateranensem, in ecclesia, ipsorum nomini dedicata, sepelivit. Leo II. papa corpora Ss. Simplicii, Faustini,

Beatricis et aliorum quorundam martyrum ad ecclesiam S. Pauli transtulit; S. Anastasii Persae reliquiae Romam translatae sunt, sub papa Deusdedit, et in monasterio ad aquas salvias locatae. Theodorus papa corpora Ss. martyrum, Primi et Feliciani ex harenario viae Nomentanae, ad ecclesiam S. Stephani in Caelio monte transtulit. Anno Domini 799. monachus Hierosolymis veniens a patriarcha multas reliquias attulit Carolo M. S. Nazarii reliquiae ex urbe Roma in Galliae monasterium Laureshem transportatum anno 764. Valbertus Romam orationis gratia profectus, corpus S. Alexandri secum Vildelhusem attulit; S. Nabor Roma a Credegando Metensi episc. translatus est in coenobium Hilarinense anno 764. Zacharias papa transtulit caput S. Georgii ex patriarchio Lateranensi ad ecclesiam ejus, in Velabro, cum hymnis et canticis. Luitprandus, Longobardorum rex, corpus S. Augustini doctoris ex Sardinia insula Ticinum transtulit et in ecclesia S. Petri in caelo aureo collocavit. Paulus papa corpus S. Petronillae, b. Petri apostoli filiae, ex coemeterio viae Appiae, ad basilicam S. Petri transtulit, canentibus sacerdotibus et populo celebritatem agente. Legati Caroli imperatoris ab Aarone Saracenorum Amyra redeuntes, corpora S. Cypriani episc. Carthaginensis, et Speusi martyris Scillitanorum in Galliam deferunt, anno 802. Corpora Ss. Marcellini et Petri ex urbe in Franciam translata sunt, anno 825. Rodulfus S. Callisti papae corpus in Galliae detulit, anno 854. Corpus S. Marci a mercatoribus ex Alexandria Venetias deportatum, in maxima veneratione exstructo templo fuit.

In translatione reliquiarum veteres Christiani usi sunt iisdem pene ritibus, quibus in funeribus. Nam praecedentibus triduanis jejuniis, preces, cantus, vigiliae, missarum sollemnia, oblationum dispensationes factae sunt, ut ibi, quod ex veterum historiis intelligitur, in quibus saepe multa miracula Deus benedictus ipsorum sanctorum meritis operabatur.

De sollemni ostensione reliquiarum narrat Henricus de Herphordia (cap. 69) Carolum M. publice significasse, ut omnes corde contrito confessi peccata sua Aquisgranum idibus Junii convenirent, spectatum reliquias sanctorum de Hierosolyma et Constantinopoli adlatas; et synodum postea statuisse, ut quotannis, feria quarta jejuniorum quatuor temporum, in mense Junio, reliquiae istae monstrarentur. Possent singula exponi uberius, nisi brevitati studeremus et vela jam essent contrahenda.

Cap. XVI. De peregrinationibus ad sepulcra Sanctorum. Nicephorus (hist. eccl. l. l. cap. 18.) tradit, homines ad sepulcrum S. Clementis papae, Chersonae Ponticae vicinum, peregrinationis gratia convenisse. „S. Clemens ancora ferrea collo ejus adpensa in altum mare projicitur. Mari autem diebus septem ad tria millia passuum diviso, multi eo eunt et martyris corpus exosculantur, templo divina virtute excitato. Et cum aliquando mare, ut adsolet, divisum esset populusque stata ibi sacra peregisset atque inde rursus reverteretur, evenit, ut per parentum oblivionem puer illic quidam relinqueretur atque ubi mare in sese rediit, puer tenellus etiam tum undis est obrutus. Deinde, cum

rursum fluctus recessissent, parentes eo accessere et puellam salvum et validum loculo sancti martyris adsidentem reperierunt. Qua re cognita intellexerunt, eum per inhabitantem ibi gratiam fotum et citra nocumentum a feris marinis conservatum esse. Quapropter Sancto, quem decuit atque oportuit, honore habito, cum puero suo domum sunt reversi." Ceterum cum persecutionum tempore non ita facilis fuerit, persecutorum metu, peregrinatio ad loca sancta vel ad martyrum sepulcra, Constantino baptizato, uti res pia illico religiose coli est coepta. Cum enim imp. Constantinus Christi fidem professus, loca terrae sanctae ab idololatriis gentilium expurgasset et excoluisset, propter Christi et ejus passionis memoriam, frequens ad ea loca pietatis causa peregrinatio ex toto terrarum orbe instituta est. Nam Constantinus M. in locum sepulcri Christi, idolo Veneris foedatum, oratorium excitavit. Ejus mater Helena, mulier sanctissima, illuc adorandi causa profecta, reperta Christi cruce, duo templa aedificari curavit, unum prope dominicae nativitatis specum, alterum in monte, ex quo Christus in coelum adscendit (Eusebius *de vita Const. 4.*, Rufinus hist. eccl. 1, 7.). Postremo ipse Constantinus in loco Calvariae, ubi Christus crucifixus fuit, ingens templum exstruxit, quod publica sollemnitate, patrum synodo accersita, dedicari jussit. Quae res anniversaria sollemnitate celebrata est, confluentibus eo ex omnibus mundi partibus Christianis, ut indicat Sozomenus hist. eccl. 2, 26. Atque hac ratione sollemnis illius ad terram sanctam peregrinationis initium fuit. Sed etiam ad urbem Romam, ad apostolorum corpora frequentissimas peregrinationes fuisse, intelligitur ex Augustino in *epist. ad Mauaurenses*, Sophronio, Leone papa, et Joanne Chrysostomo (in *demonstrat. quod Christus Deus sit, adv. gentiles*): „Nam qui ducebantur et circumducebantur," inquit, „qui contempti erant et vincti, qui innumera patiebantur, dum vivebant, ubi defuncti sunt, regibus ipsis erant magis venerabiles, etiam Romae, quae urbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulcra piscatoris et pellionis currunt et reges et praesides et milites." Sic Bertrada Romam venit adoratura ad limina apostolorum, anno 770. Gotfridus, abbas Bedae et presbyter, Romam orationis gratia profectus, in itinere obiit. Grodegannius Romam ad martyrum sepulcra oratum profectus est. Carolus M. intra annos 47. quater Romam ad vota persolvenda et orandum profectus est. Vilitaldus Hierosolyma et terram sanctam visitavit. Ex Francia multi nobiles Romam orandi gratia profecti sunt. Multos amore divino inflatos ex Anglia Romam abiisse et religionis ergo tonsuram clericalem accepisse, refert Beda (*de ration. tempor.*). Haymo (*super epist. ad Roman.*): „Nunc ad tumulum piscatoris flectunt genua imperatores." Idem eorum quoque peregrinationem commemorat, qui ex Britannia voti causa Hierosolyma proficiscebantur. Solebant obsessos a daemonibus ad loca sacra sanctorum martyrum ducere et a Deo Sanctorum precibus liberationem impetrare.

XLVI.

Richard Rothe de disciplinae arcani, quae dicitur, in ecclesia christiana origine.*)

§. 1. Post concertationes acerrimas, quae vergente sec. XVII. inter Romanenses et Protestantes, Emanuelem a Schelstrate**) inprimis et Guil. Ern. Tenzelium***), efferbuerunt, inter omnes antiquitatis christianae gnaros constat, quid sibi velit *disciplina* illa *arcani*†), quae in ecclesia primaeva viguit. Perquam mature scilicet, diu ante Constantini M. aetatem††), apud Christianos catholicos obtinebat mos isque lege ecclesiastica ipsa sanctus, baptismi et sacrae coenae administrationem a catechumenis et omnibus, qui cum iis in eodem dignitatis ecclesiasticae gradu collocati erant, celandi. Cui disciplinae nomen disciplinae arcani indere nihil utique vetat, dummodo ab hac *disciplina arcani* sedulo distinguatur *theologia arcana*†††), i. e. doctrina illa esoterica, non cum omnibus Christianis communicanda, quam, tamquam ab ipsis apostolis

*) Prod. Heidelbergae 1841. 4.

**) Antiquitas illustrata circa concilia generalia et provincialia, decreta et gesta pontificum et praecipua totius historiae ecclesiasticae capita. Antwerp. 1678. Quo postea accessit responsio Schelstradii ad Tenzelii objectiones: De disciplina arcani contra disputationem Ern. Tenzelii Dissertatio Apologetica. Rom. 1684. 4.

***) Dissertatio de disciplina arcani, Vitebergae habita d. III. Jan. 1683, rec. in ejsd. Tenzelii Exercitationibus selectis (Lips. et Francof., 1692. 4.), Part. posterior., p. 1—18. Adde prolixam ejus confutationem dissertationis apologeticae Schelstradii, ibidem p. 19—354.

†) Vocabulum *disciplinae arcani*, ut omnes norunt, recenter excusum et antiquae ecclesiae prorsus incognitum est. Primus, quantum nos quidem comperimus, eo usus est Gebhardus Theodorus Meier, theol. Helmstadiensis, in diss. de recondita veteris ecclesiae theologia. Helmst. 1677. 4. Quam parum apta sit haec appellatio ad significandum rem, de qua usurpatur, jam pridem observatum est. Cf. Frommannum, diss. mox laudanda, p. 2 ss.

††) Disciplinam arcani priscae ecclesiae ante conc. Nicaeni tempora incognitam fuisse, sententia est J. L. Schedii (de sacris opertis veterum Christianorum, seu de disciplina, quam vocant, arcani. Gotting. 1794.), quem nuperrime secutus est Siegel (Handb. d. christ.-kirchl. Alterthümer Lips. 1836. I. p. 507—510.). Non est cur hanc sententiam sigillatim refellamus, cum universa commentatio nostra evincat, quam parum stare possit.

†††) A confusione utriusque ne Frommannus quidem in commentatione mox citanda satis sibi cavit.

clandestinae traditionis haereditate acceptam, doctores Alexandrini, et ante seculum quartum certe hi soli*), venditabant.**) Verum enim vero quamvis haec neminem facile fugiant, origo tamen hujus disciplinae vel nunc tenebris obruitur. Cum enim antehac plerique, vestigiis Is. Casauboni***) ingredientes, disciplinam arcani ab imitatione mysteriorum ethnicorum profectam atque eo consilio institutam esse existimassent, ut ecclesia christiana quoque mysteriis gauderet: hodie eruditissimus quisque†) intelligit, quam parum hujuscemodi origo cum genio Christianorum illius, de quo res est, aevi, conveniat, qui ab affectatione aemula institutorum religiosorum gentilium quam longissime aberat.††) Quapropter postquam jam pridem Casparus Calvoer†††) similem viam iniverat, nuper Frommann†*) disciplinam arcani a Judaeis in ecclesiam christianam transmigrasse docuit, hoc scilicet argumento freus, quod Judaei proselytos suos per aliquod tempus a conventibus religiosis arcere consueverint. At vero mos iste Judaeorum tam serae originis est, ut contra multo verius dicas, Synagogam mutuatam esse eum ab ecclesia christiana. — §. 2. Quae cum ita sint, operae pretium judicavimus, denuo in originem et causas disciplinae arcani, quae in antiqua ecclesia obtinuit, inquirere, praesertim cum eam disquisitionis viam, quae omnium tutissime ad scopum ducere videtur, nemo adhuc eruditorum, quod nos sciamus, tentaverit. Cum enim disciplina arcani primitus ad catechumenos spectet, manifesto ex catechumenatu (sit venia verbo) ejusque rationibus radices suas cepisse putanda est. Quare ante omnia de incunabulis catechumenatus pauca praelibanda sunt, ita tamen ut ea solum attingamus, quae ad quaestionem propositam proxime pertinent. — §. 3. Quo tempore mos invaluerit in ecclesia proselytos non nisi post examinatum novitiatum ad baptismi lavacrum admittendi, certo definiri nequit.†**) Prima hujus disciplinae vestigia apud Justinum Mart. reperiuntur, qui

---

*) Vide Frommannum, l. m. l., p. 40—43. Ne ex loco *Constitutionum Apostolicarum*, 3, 5. quidem colligi potest, priscam ecclesiam *dogmata* sua occultasse. Cf. Frommann, p. 23, not. 6. Etiam δόγματα illa, quae Basilius M., de Spiritu Sancto ad Amphiloch. (cap. 27) commemorat, τὰ δόγματα, inquiens, σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται, meri sunt ritus. Cf. de loco Basilii Frommann, p. 48—51.

**) De hac theologia arcana praecipue videndus est Moshemius, de reb. Christianor. ante Constantin. M., p. 305—310. Nec non Frommannus, l. c., p. 29—35.

***) De rebus sacris ecclesiasticis Exercitationes XVI ad Cardinalis Baronii Prolegomena in Annales et primam eorum partem etc. (Genev. 1654, 4.), Exercit. XVI. No. 43, p. 480—493.

†) Sufficiat hic Augusti nominasse. Vid. ejus Denkwürdigkeiten aus der christl. Archäologie, IV., p. 396 ss. et Handbuch der christ. Archäologie, I. p. 93.

††) Vide quae adversus hanc sententiam egregie disputat Frommann, l. l., p. 72—76.

†††) Rituale Ecclesiasticum. (Jen. 1705, 4.) P. I., p. 310—312.

†*) De disciplina arcani, quae in veteri ecclesia christiana obtinuisse fertur. (Jen. 1833, 8.) p. 26 sq. 42.

†**) Böhmer (Die christlich-kirchliche Alterthumswissenschaft, 2, p. 279 s.) e loco Paulino I. Cor. XIV, 24 prima catechumenatus vestigia eruere conatur; sed frustra, nostra quidem sententia.

in Apologia sua majori (ed. Maran. §. 61, p. 79)*) haud obscure eam indigitat, dein apud Irenaeum, adv. haeres., 4, 23 et 24., p. 260. ed. Massuet.**) Expressam catechumenorum mentionem primus omnium Tertullianus injicit (de coron. milit. 2, de poenit. 6, de praescr. adv. haer. 41 et alibi***)). Vero autem simillimum est, primordia catechumenatus vel Justini aetatem multum antecedere, praecipue cum etiam apud antiquissimas haereses inveniatur, v. c. apud Ebionitas†) et Marcionitas††), et causae gravissimae, quae institutionem ejus suaderent, jam multo prius suppeterent. Necessario enim inde ab initio, cummaxime vero postquam persecutionum tempestas consurrexerat, plurimum intererat christianae civitatis, cavere, ne in societatem suam irreperent homines a vera pietate morumque integritate alieni, sive spe lucri sive cupiditate Christianorum et instituta et nomina explorandi allecti.†††) — §. 4. Quandocunque autem novitiatus in ecclesia institutus fuerit, id ante omnia animadvertendum firmiterque tenendum est, catechumenos, quamvis a baptismi gratia et mensae dominicae participatione adhuc arcerentur, nihilo secius tamen jam ipsis Christianis fuisse annumeratos, et nequaquam pro extraneis, sive Judaeis sive ethnicis, habitos.†*) Id quod locupletissimis antiquitatis christianae testimoniis comprobari potest. Satis luculenter jam Tertullianus hanc sententiam tuetur, dum (de poenit. 6.) ita disputat: „Nemo ergo sibi adulatur quia inter auditorum tirocinia deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat. Dominum, simul cognoveris, timeas, simul inspexeris, reverearis. Ceterum quid te

*) *Ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα. — — Ὅσοι ἂν πείσθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδασκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς κτλ.*

**) Etenim his locis Irenaeus, de praedicatione apostolorum verba faciens, vocabulis „catechizare“ et „catechizatio“ tali modo utitur, ut ea a disciplina catechumenatus mutuo sumsisse omnino videatur.

***) Apud Tertullianum catechumeni nunc *auditores* sive *audientes* (de poenit. 6.), nunc *novitioli* (ibidem) audiunt, nunc denique ipso illo *catechumenorum* nomine veniunt (de coron. milit. 6, de praescript. 41).

†) Vid. Clementis Romani Ep. ad Jacobum, 13 et 14, in Clementinis p. 614 sq. ap. Coteler. I. Patt. App. ed. Cleric. secundae (Amstelod. 1724).

††) Vid. Tertullian., adv. Marcion. 5, 7., de praescr. adv. haer. cp. 41. Epiphan., haer. 42, §. 4. Hieronym Comm. in ep. ad Galat. (VI. 6) p. 199. Tom. IX. ed. Frcf. Cf. quoque (Münter) Versuch über die kirchl. Alterthümer der Gnostiker, (Anspach. 1790) p. 45 ss.

†††) Cf. Clemens Alexandrin., Strom. L. I., §. 6, p. 319 ed. Potter.: *Κατὰ ταῦτα δὲ καὶ τοὺς τῶν θείων μεταλαμβάνοντας λόγων παραφυλακτέον, εἰ μὴ περιεργίας ἕνεκεν ἐσοφήσοντες, ὥσπερ τῶν πόλεων τὰ οἰκοδομήματα, εἰς τόδε ἀφικνοῦνται· εἰ μὴ μεταλήψεως χάριν τῶν κοσμικῶν προσίασιν, κοινωνικοὺς τῶν ἐπιτηδείων μαθόντες τοὺς καθωσιωμένους τῷ Χριστῷ· ἀλλ' οἱ μὲν ὑποκρίται, καὶ δὴ ἐᾶσθωσαν. Εἰ δέ τις οὐ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλῃ, συνιέναι τὰ κάλλιστα τοῦτον ἀνὼ προσήκει.*

†*) Quod Bingham (Origines Ecclesiasticae, Tom. I. p. 33 et Tom. IV. p. 3 ss. ed. Halens.) et Böhmer (die christl.-kirchl. Alterthumswissenschaft, Vol. II. p. 280) probe perspexerunt. Secus sentit Casaubonus, l. c., p. 489. 569, nulla tamen ratione allata.

cognovisse interest, cum iisdem incubas, quibus retro ignarus? *Quid autem te a perfecto Dei servo separat? An alius est intinctis Christus, alius audientibus?* num spes alia vel merces? alia formido judicii, alia necessitas poenitentiae? Lavacrum illud est obsignatio fidei, quae fides a poenitentiae fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus. Haec enim prima audientis intinctio est, metus integer, exinde quoad Dominum sensgeris, fides sana, conscientia semel poenitentiam amplexata." Adde locum ejusdem de cor. mil. cap. 2: „*Neminem* dico *fidelium* coronam capite nosse alias, extra tempus tentationis ejusmodi. *Omnes* ita observant, *a catechumenis usque ad confessores et martyras,* vel negatores." Multo evidentius Origenes, qui hom. s. in Ezechielem, §. 4. p. 375. Vol. III. Opp. (ed. de la Rue) haec habet: „*Pro modo graduum* unusquisque torquebitur. Majorem poenam habet, qui ecclesiis praesidet et delinquit. Annon magis misericordiam promeretur ad comparationem fidelis catechumenus? non magis venia dignus est laicus si ad diaconum conferatur? Rursum comparatione presbyteri diaconus veniam plus meretur." Quocum ad amussim concordant Eusebius Caesar. et Hieronymus. Eusebius quidem in Demonstr. evang. 7, 2. p. 323 (ed. Paris. 1628): „*Τρία καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν τάγματα· ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγουμένων, δύο δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ εἰς δύο τάγματα διηρημένου, εἵς τε τὸ μὲν πιστῶν καὶ τῶν μὲν μηδέπω τῆς διὰ λούτρου παλιγγενεσίας ἠξιωμένων*: ubi citra omnem controversiam catechumeni ipsi ecclesiae diserte accensentur. Hieronymus vero in Commentario in Jesajam, p. 56. Tom. V. Opp. (ed. Francof.) „quinque" ait esse „*ecclesiae* ordines: episcopos, presbyteros, diaconos, fideles, *catechumenos.*" Accedit Augustinus, plurimis locis, e quibus hos attulisse sufficiat: Tractat. XI. in Joh., §. 4. p. 274 (ed. Opp. Antw. Bened. T. III. P. II.) ita verba facit: „Et quod signum crucis in fronte habent catechumeni, *jam de domo magna sunt;* sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt *qui jam ad domum magnam pertinent.*" De symbolo ad catechumenos serm., §. 1. p. 424. D. (T. VI. ed. cit. Opp.) catechumenos sic alloquitur: „Dum per sacratissimum crucis signum *vos suscepit in utero sancta mater ecclesia*, quae sicut et fratres vestros cum summa laetitia spiritaliter pariet nova proles futura tantae matris, quousque per lavacrum sanctum regeneratos verae luci restituat, congruis alimentis eos, quos portat, pascat in utero et ad diem partus sui laetos laeta perducat" etc. Item De catechizandis rudibus §. 34, p. 208 A. (T. VI. Opp.) ad catechumenum conversus, „Cujus," ait, „passionis et crucis signo in fronte hodie tamquam in poste signandus es, *omnesque Christiani signantur.*" Denique de peccatorum meritis et remissione, L. II. §. 42. p. 42 (Tom. X. Opp.) in locum I Cor. VII, 14. disserens haec scribit: „Non unius modi est sanctificatio: nam *et catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi et orationem manus impositionis puto sanctificari;* et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum

est." Eodem porro collimat locus Sulpitii Severi, dialog. 2, de virtutib. b. Martini, c. 4. p. 453 sq. (ed. Lips. 1709. 8.): „Tum vero multitudo omnis, in coelum clamore sublato, Christum Dominum fateri: postremo cancti catervatim ad genua beati viri" (Martini Turonensis nempe) „ruere coeperunt, fideliter postulantes, *ut eos faceret Christianos.* Nec cunctatus, in medio ut erat campo, cunctos imposita universis manu *catechumenos fecit*, cum quidem ad nos conversus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solerent martyres consecrari." Neque haec privata tantum quorundam Patrum erat opinio, sed ipsius ecclesiae sententia; nam vel conciliorum decreta eaque antiquissima eam sequuntur. Pertinent huc complures ex canonibus Illiberinis (circa annum 305 conditis). Quorum XXXIX. ita sonat: „Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi," (quo ritu proselyti intra catechumenorum numerum recipiebantur) „si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit, *eis manus imponi et*" (scl. hac ipsa manus impositione, h. e. ipsa ad catechumenatum admissione) „*fieri Christianos.*" Item can. XLV.: „Qui aliquando fuerit catechumenus, et per infinita tempora nunquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisquam cognoverit, *esse* (al. voluisse esse) *Christianum*" (scl. propter admissionem ad catechumenatum, cujus in antecedentibus meminerat canon) „aut testes aliqui exstiterint fideles, placuit, ei baptismum non negare, eo quod in vetere homine (al. in veterem hominem) deliquisse videatur." Nec non can. VII. *concilii oecumenici sec.* sive Constantinopolitani primi, a. 381, qui docet, qua ratione ii proselyti sint recipiendi, qui ab Eunomianis sive in universum ab iis sectis, quorum baptisma catholici tamquam illegitimum repudiabant, ad ecclesiam venirent. De his haec definiunt patres Constantinopolitani: *Ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους* (nimirum sensu strictiori, — promovemus eos ex infima catechumenorum classi in eam, quae *κατ' ἐξοχὴν* classis catechumenorum dicitur), *εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς, — — καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς καὶ ποιοῦμεν αὐτοὺς χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν· καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν.* Imo jus civile quoque cum testimoniis modo allatis conspirat. Haec enim sancit lex Theodosii Magni de anno 383, Cod. Theodosian. L. XVI., tit. VII., de apostatis, l. 2 (ed. Ritterianae Tom. VI. p. 226*, ubi conferendus est Gothofredi commentarius): „Christianis ac fidelibus," (h. e. iis Christianis, qui [jam per baptismum] facti sunt fideles) „qui ad paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcunque personam testamenti condendi interdicimus potestatem, ut sint absque jure Romano. His vero, *qui Christiani et catechumeni tantum*," (h. e. qui Christiani quidem sunt, sed catechumeni tantum) „venerabili religione neglecta, ad aras et templa transierint, si filios vel fratres germanos habebunt, hoc est suam aut legitimam successionem, testandi arbitratu proprio in quaslibet alias personas jus adimatur." *) In ecclesia orientali orthodoxa denique eadem sententia

*) Cf. Bingham, Tom. IV. p. 3—6.

ad hanc usque diem viget. In *Euchologio ecclesiae Graecae* enim ordo receptionis eorum, qui a Judaismo ad ecclesiam transeunt, haec habet*): *Ταῦτα τοῦ προσερχομένου λέγοντος ἐπ' ἐκκλησίας ποιοῦμεν αὐτόν χριστιανόν, εἶτ' οὖν ἡγούμεθα ὡς χριστιανὸν ἀβαπτιστόν, εἴτι τυγόν ἐστι τὰ τῶν χριστιανῶν παιδία τὰ μέλλοντα βαπτίζεσθαι. Τῇ δὲ δευτέρᾳ ἡμέρᾳ τοῖς κατηχουμένοις συναριθμοῦμεν, λέγοντες ἐπ' αὐτῷ τὴν εὐχήν, ἣν ἐπὶ τῶν κατηχουμένων παιδῶν φαμέν· καὶ τῇ ἑξῆς χρώμεθα ταῖς τῶν ἐξορκισμῶν εὐχαῖς, καὶ οὕτως ἀκολούθως ἐπιτελοῦμεν πάντα τὰ ἐπὶ τῷ βαπτίσματι νενομισμένα.***) Quam serio vero ita senserit ecclesia vel hoc fidem facit, quod proselytos, cum ad se accederent, solemni ritu in gremium suum recipiebat, manus scilicet impositione,***) cum obsignatione per signum crucis conjuncta †) Neque est cur hoc miremur, cum in vetere ecclesia catechumenatus multo minus status praeparationis ad religionem christianam fuerit quam status probationis, i. e. novitiatus in religione christiana, baptismi vero virtus praecipua in remissione

*) Vide Franc. Goar *Εὐχολόγιον* s. Rituale Graecorum. (Lutet. Paris. 1647. fol.) p. 345.

**) Locus *Constitutionum Apostolicarum* 2, 39. minime pugnat cum sententia proposita. Verba ejus ita sonant: *Ὡς τελώνην οὖν ἢ ἐθνικὸν ἔχε σὸν ἐπὶ ἀκρῳ ἔργῳ ἐλεγχθέντα καὶ μὴ μετανοήσαντα. Ἐὰν δὲ ὕστερον μετανοῇ καὶ ἐπιστρέψῃ ἐκ τῆς πλάνης· ὡς καὶ τοὺς ἐθνικούς, ὁπόταν θέλουσι μετανοεῖν, εἰς ἐκκλησίαν προσδεχόμεθα, ὅπως τοῦ λόγου ἀκούσωσιν, οὐ μὴν κοινωνοῦμεν αὐτοῖς, μέχρις οὗ τὴν σφαγίδα λαβόντες τελειωθῶσιν· οὕτω καὶ τοὺς τοιούτους, μέχρις οὗ μετανόιας καρπὸν ἐπιδείξωσιν, ἐπιτρέπομεν εἰσέρχεσθαι, ὅπως τοῦ λόγου ἀκούοντες μὴ τελέως ἄρδην ἀπολῶνται. Μὴ κοινωνείτωσαν δὲ ἐν τῇ προσευχῇ, ἀλλ' ἐξερχέσθωσαν μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν καὶ τοῦ εὐαγγελίου, ὅπως διὰ τοῦ ἐξιέναι βελτιωθῶσι τὴν ἀναστροφὴν τοῦ βίου κτλ.* Multum abest ut inficias eamus, *ἐθνικοὺς* hic esse catechumenos, cum hoc jam ex verbis *ὁπόταν θέλουσι μετανοεῖν*, evidenter clareseat. Verum itaque est, catechumenos h. l. non inter Christianos censeri. Sed quo consilio id fiat aeque manifestum est. Postulat nimirum auctor, ut Christiani in pravefacta delapsi et proinde ex ecclesiae communione ejecti, si resipuerint, ad missam catechumenorum admittantur, etsi dum a poenitentia peccatorum suorum alieni manserint, tamquam pagani et portitores habendi fuerint secundum praeceptum Domini. Jam sententiam suam hoc argumento commendat, quod catechumeni quoque aliquam partem cultus divini participent, qui tamem, re accuratius pensitata, nihil sint nisi pagani poenitentiam agentes.

***) Antiquissimum hujus ritus documentum exstat in canone Illiberino 39, supra (§. 4) allato. Exinde frequentissima ejus vestigia ubique occurrunt. Vid. e. gr. can. 6. *Concilii Arelatensis* a. 314: „De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit, debere eis manum imponi.“ Ad quem locum conferendi sunt Henricus Valesius ad Eusebium de vita Constantini Magni, 4, 61. p. 661 (ed. Reading.), Cotelerius ad Constitut. App. 7, 39. p. 382. Sam. Basnagius, Annales Politico-Ecclesiastici ad ann. 44, Tom. I. p. 482. Tritissimum est, eodem ritu Constantinum M. a. 337 in ecclesia Helenopolitana inter catechumenos esse receptum. V. Eusebius de vita Const. M., 4, 61. Quocum simile exemplum conjungi potest, quod a Sulpitio Severo narratur, Dialog. II, de virtutibus S. Martini, p. 453 ss. (cf. supra §. 4.). *Constitutiones Apostolorum* 7, 39. ipsam formulam precationum in hac caerimonia usurpandam suppetunt. Ceterum cf. Bingham T. IV. p. 3 ss.

†) Vid. Bingham T. IV. p. 6.

peccatorum et ablutione a vitiis poneretur, non in admissione ad fidem et communionem christianam. Quid? quod diuturnae illi baptismatis procrastinationi, quae sec. IV et V praesertim invaluit, ne locus quidem fuisset, nisi catechumeni inter veros Christianos deputari consuevissent. — §. 5. Cum catechumenatus primitus eum potissimum in finem esset conditus, ut ecclesia de omnium, qui ad communionem suam accederent, sinceritate et candore certior fieret, omnesque, qui christiane nomine essent indigni, a se arceret, modus quoque cum catechumenis agendi huic consilio accommodatus erat. Palmarium putabatur non quidem eruditio proselytorum ad accuratam doctrinae christianae cognitionem, sed diligens inspectio et examinatio morum et conversationis eorum et manuductio eorumdem ad emendationem vitae in dies promovendam per institutionem moralem atque disciplinam. Testes hujus rei sunt antiquae ecclesiae scriptores, qui hoc argumentum attingunt, tantum non omnes. Justinus Mart., eos depingens, quos Christiani ad baptismi sacramentum percipiendum idoneos habeant (Apolog. maj., ed. Maran. §. 61. p. 79 D.) ita loquitur: Ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστευσῶσιν, ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται κτλ. Multus est eadem de re prae ceteris Origenes. In opere adversus Celsum (3, 51. p. 481 Vol. I. ed. Ruae.)*) finem praeparationis proselytorum collocat in severa indolis atque animi eorum exploratione (κατὰ τὸ δύνατον προβασανίζειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν), nec non in educatione eorum ad sincerum integritatis vitae, qualem religio christiana postulet, studium (αὐταρκῶς ἐπιδιδόναι πρὸς τὸ θέλειν καλῶς βιοῦν, — παρίσταναι ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι ἢ τὰ χριστιανοῖς δοκοῦντα), quo probitas eorum quotidie promoveatur (βελτίους ὁσημέραι κατασκευάζειν). Addit, quibusdam Christianis id muneris esse injunctum, φιλοπευστεῖν τοὺς βίους καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων. Ibidem 3, 50. p. 480**) affirmat, Christia-

*) Εἰ δ' ἐκεῖνοι (Cynici) οὐκ ἔγκλητοι τοῦτο πράττοντες, ἴδωμεν εἰ μὴ χριστιανοὶ μᾶλλον καὶ τούτων βέλτιον πλήθη ἐπὶ καλοκαγαθίαν προσκαλοῦνται. Οἱ μὲν γὰρ δημοσίᾳ διαλεγόμενοι φιλόσοφοι οὐ φιλοκρίνουσι τοὺς ἀκουόντας, ἀλλ' ὁ βουλόμενος ἕστηκε καὶ ἀκούει· χριστιανοὶ δὲ κατὰ τὸ δύνατον αὐτοῖς προβασανίσαντες τῶν ἀκούειν σφῶν βουλομένων τὰς ψυχὰς, καὶ κατ' ἰδίαν αὐτοῖς προεπάσαντες, ἐπὰν δοκῶσιν αὐταρκῶς οἱ ἀκροαταὶ πρὶν ἐς τὸ κοινὸν εἰσελθεῖν ἐπιδεδωκέναι πρὸς τὸ θέλειν καλῶς βιοῦν, τὸ τηνικάδε αὐτοὺς εἰσάγουσιν, ἰδίᾳ μὲν ποιήσαντες τάγμα τῶν ἄρτι ἀρχομένων καὶ εἰσαγομένων καὶ οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκάθαρθαι ἀνειληφότων, ἕτερον δὲ τὸ τῶν κατὰ τὸ δύνατον παραστησάντων ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι ἢ τὰ χριστιανοῖς δοκοῦντα. Παρ' οἷς εἰσί τινες τεταγμένοι πρὸς τὸ φιλοπευστεῖν τοὺς βίους καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων, ἵνα τοὺς μὲν τὰ ἐπίῤῥητα πράττοντας ἀποκωλύσωσιν ἥκειν ἐπὶ τὸν κοινὸν αὐτῶν σύλλογον, τοὺς δὲ μὴ τοιούτους, ὅλῃ ψυχῇ ἀποδεχόμενοι, βελτίους ὁσημέραι κατασκευάζωσιν. Ὅια δ' ἐστιν αὐτοῖς ἀγωγὴ καὶ περὶ ἁμαρτανόντων, καὶ μάλιστα τῶν ἀκολασταινόντων, οὓς ἀπελαύνουσι τοῦ κοινοῦ οἱ κατὰ τὸν Κέλσον παραπλήσιοι τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις, κτλ.

**) Ἢ τί τούτοις παραπλήσιον πράττομεν οἱ καὶ δι' ἀναγνωσμάτων καὶ

nos lectionibus et tractatibus circa eas versantibus proselytos ad pietatem erga Deum et omnes virtutes ei cognatas impellere, avertere vero a contemptu numinis et omnibus actionibus sanae rationi adversantibus. Alibi in eodem opere (1, 7. p. 326 et 3, 52. 53. p. 492,*) satis perspicue declarat, eo potissimum tendere disciplinam catecheticam, ut mores novitiolorum purgentur et formentur. Alio denique loco, hom. 5 in Judice., §. 6, p. 469 (Vol. II. opp. ed. cit.)**) disertis verbis institutionem catechumenorum „primam *moralem* institutionem" nuncupat adjicitque, eam non ad „profunda et secretiora sacramenta" spectare, sed praecipue in „morum correptione" et „emendatione religiosae conversationis" versari. Accedit concilium Illiberianum, quod canone 39 ***) gentiles, qui in infirmitate Christianos fieri desideraverint, hac sola conditione catechumenos facere permittit, *„si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta."* Canone 42 vero haec sancit: „Eos, qui ad fidem primam credulitatis accedunt, *si bonae fuerint conversationis*, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere." Concinunt itidem *Constitutiones Apostolicae*, dum 7, 40.†) doctorem audientium jubent curare, ut cate-

---

διὰ τῶν εἰς αὐτὰ διηγήσεων προτρέποντες μὲν ἐπὶ τὴν εἰς τὸν Θεὸν τῶν ὅλων εὐσέβειαν καὶ τὰς συνθρόνους ταύτῃ ἀρετάς, ἀποτρέποντες δ' ἀπὸ τοῦ καταφρονεῖν τοῦ θείου καὶ πάντων τῶν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πραττομένων. Agit nimirum locus allegatus de disciplina catechumenorum. Adde etiam ibidem cp. 59. p. 486 s.: Καὶ πρὸς ταῦτα δέ φαμεν, ὅτι οὐ ταὐτόν ἐστι νοσοῦντας τὴν ψυχὴν ἐπὶ θεραπείαν καλεῖν καὶ ὑγιαίνοντας ἐπὶ τὴν τῶν θειοτέρων γνῶσιν καὶ ἐπιστήμην. Καὶ ἡμεῖς γὰρ ἀμφότερα ταῦτα γινώσκοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν προκαλούμενοι ἐπὶ τὸ θεραπευθῆναι τοὺς ἁμαρτώλους ἤκειν ἐπὶ τοὺς διδάσκοντας λόγους μὴ ἁμαρτάνειν, καὶ τοὺς ἀσυνέτους ἐπὶ τοὺς ἐμποιοῦντας σύνεσιν, καὶ τοὺς νηπίους εἰς τὸ ἀναβαίνειν φρονήμασι ἐπὶ τὸν ἄνδρα, καὶ ἁπλῶς κακοδαίμονας ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἥ, ὅπερ κυριώτερόν ἐστιν εἰπεῖν, ἐπὶ μακαριότητα. Ἐπὰν δὲ οἱ προκόπτοντες τῶν προτραπέντων παρασκήσωσι τὸ κεκαθάρθαι ὑπὸ τοῦ λόγου καὶ, ὅση δύναμις, βέλτιον βέβιωκέναι, τὸ τηνικάδε καλοῦμεν αὐτοὺς ἐπὶ τὰς παρ' ἡμῖν τελετάς. Σοφίαν γὰρ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. Cf. quoque cp. 60. p. 487.

*) Ex posteriore loco patet, in tractandis tironibus ex sententia Origenis cardinem rei verti in καθάρσει τῶν ἠθῶν. Nam haec ipsa de causa novitios indignos judicat, qui τὰ βαθύτερα doctrinae christianae percipiant, quia Corinthiis, ad quos Paulus apostolus scribebat, similes sint, οὐ κεκαθαρμένοις πω τὰ ἤθη. Eodem plane redit res etiam priore loco, ubi Origenes monet, Christianos quoque fovere doctrinas quasdam esotericas, τὰ μὴ ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλους καὶ μηδέπω κεκαθασμένας. Utrumque locum allegatum vide infra §. 13.

**) „Quodsi etiam inde requirendum aliquid videtur a diligentibus auditoribus, quod lacte eum" (Sisseram sc.) „potasse dicitur" (sc. Jaël), „cum ille aquam poposcisset, videamus ne forte secundum mysticas vel allegoricas legis interpretationes tale aliquid etiam de hoc possit ostendi. Lactis cibus esse dicitur in Scripturis Sanctis *prima haec moralis institutio, quae incipientibus velut parvulis traditur.* Non enim in initiis statim discipulis de profundis et secretioribus tradendum est sacramentis, sed *morum correptio, emendatio disciplinae religiosae conversationis* et simplicis fidei prima eis elementa tradantur. Istud est ecclesiae lac, haec incipientibus parvulorum prima sunt elementa."

***) Vide hunc canonem supra §. 4. transscriptum.

†) Δεῖ γὰρ αὐτὸν (scl. τὸν κατηχηθέντα) πρῶτον μὲν ἀποσχέσθαι τῶν ἐναντίων, καὶ τότε ἐντὸς γένεσθαι τῶν μυστηρίων, προκαθάραντα ἐμετῷ τὴν καρδίαν πάσης κακοηθείας, ὀπίλου τε καὶ φυτίδος, καὶ τότε τῶν

chumenus antequam baptismo tingatur ab omni peccato abstineat animumque suum omni macula pravaque consuetudine repurget, ita ut, omnibus sizaniis evulsis, velut in agro bono et fertili gratiam Dei suscipiat. Item dum 8, 32.*) monent, in admittendis catechumenis ad baptismum non unice temporis rationem esse habendam, ex quo quis Christo nomen suum dederit, sed potissimum conditionis ejus moralis. Denique luculentissimo argumento est Clementis Alexandrini Paedagogus, opus inprimis catechumenorum usibus dicatum,**) qui totus in exponendis morum praeceptis versatur, ipseque consilium sibi propositum his verbis enuntiat: *πρακτικὸς, οὐ μεθοδικὸς ὢν ὁ παιδαγωγός· ἢ καὶ τὸ τέλος αὐτοῦ βελτιῶσαι τὴν ψυχήν ἐστιν, οὐ διδάξαι, σωφρονός τε, οὐκ ἐπιστημονικοῦ καθηγήσασθαι βίου.****) — §. 6. Cum nativo hoc catechumenatus scopo ratio quoque ipsius instituti conveniebat. Primis videlicet rei christianae temporibus inspertio illa et praeparatio moralis novitiorum unice inter privatos parietes nec non in locis publicis obtinuisse videtur, ita tamen ut ad coetus sacros Christianorum non admitterentur tirones.†) Opprobria certe illa, quibus Celsus

---

ἀγίων μεταλαχεῖν. Ὡς γὰρ γεωργὸς ἄριστος ἐκκαθαίρει τὴν ἄρουραν πρότερον τῶν ὑπερφυουσῶν ἐν αὐτῇ ἀκανθῶν, καὶ τότε σπείρει τὸν πυρὸν, οὕτω δεῖ καὶ ὑμᾶς (catechistas nimirum) πρότερον πᾶσαν ἀσέβειαν ἐξελόντας ἀπ' αὐτῶν τότε τὴν εὐσέβειαν αὐτοῖς ἐγκαταβάλλεσθαι καὶ τοῦ βαπτίσματος ἀξιῶσαι. Καὶ γὰρ καὶ ὁ Κύριος ὑμῶν οὕτως ἡμῖν παρήνεσεν εἰπών· μαθητεύσατε, πρότερον, πάντα τὰ ἔθνη· καὶ τότε ἐπήγαγε τό· καὶ βαπτίσατε αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

*) *Ὁ μέλλων κατηχεῖσθαι τρία ἔτη κατηχείσθω. Εἰ δὲ σπουδαῖός τις ἢ καὶ εὔνοιαν ἔχει περὶ τὸ πρᾶγμα, προσδεχέσθω· ὅτι οὐχ ὁ χρόνος, ἀλλ' ὁ τρόπος κρίνεται.*

**) Vide v. g. Gregor. Langemack Historia Catechetica oder gesammelte Nachrichten zu einer katechetischen Historie. Tom. I. p. 95 ss. 98.

***) Paedagog., 1, 1. p. 98. ed. Potter.

†) Multo minus illo tempore Judaeis et gentilibus ad religiosos Christianorum conventus aditus patebat. Quod ne monendum quidem fuisset, nisi haud ita pridem a Drey (Neue Untersuchungen über die Constitutionen und Canones der Apostel. Tübing. 1832, p. 60. 63.) auctoritate sua, qua apud omnes merito pollet, contrariam sententiam commendasset. Fulcit eam binis *Constit. Apostolic.* locis, quorum vero neuter ad eam probandam idoneus est. Alter, a nobis jam supra p. 352 transscriptus, exstat 2, 39. At hic, uti suo loco demonstravimus, *ἐθνικοὶ* evidenter non sunt gentiles *qua tales*, sed gentiles, *qui ad religionem christianam accedere cupiunt*, verbo dicamus, catechumeni. Luculentissimo documento est additamentum *ὅποταν θέλουσι μετανοεῖν*. Cur autem catechumeni hoc loco inusitata hac ratione designentur, jam supra declaravimus. Alter locus legitur 2, 58.: *Εἴ δέ τις ἀπὸ παροικίας ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ ἐπέλθῃ, σύστασιν ἐπικομιζόμενοι, διάκονος ἐπιχρινέτω τὰ κατ' αὐτούς, ἀνακρίνων εἰ πιστοὶ, εἰ ἐκκλησιαστικοὶ, εἰ μὴ ἀπὸ αἱρέσεώς εἰσι μεμολυσμένοι, καὶ πάλιν, εἰ ὕπανδρος ἢ χήρα· καὶ οὕτω γνοὺς τὰ κατ' αὐτούς, ὡς εἰσὶν ἀληθῶς πιστοὶ καὶ ὁμογνώμονες, ἐν τοῖς κυριακοῖς ἐπαγέτω ἕκαστον εἰς τὸν προσήκοντα αὐτῷ τόπον.* Quorum verborum argumentum a Drey ita effert: „Wollen Fremde — *ἀπὸ παροικίας* — in die Versammlung eintreten, so fragt sie der Diakon, ob sie Christen oder Nichtchristen, Katholiker oder Häretiker, Laien oder Geistliche seien, und nach dem Befund ihrer Antworten weist er ihnen ihre Plätze an.“ At hic viro egregio manifesto error subrepsit. Loquitur auctor de *Christianis* (*ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ*) ex aliis paroeciis, et quidem de Christianis catholicis, *literarum formatarum* (*σύστασιν*) *praesidio munitis*. Quod diacono injungitur, non est ut advenas *interroget*,

apud Origenem (contra Cels. 3, 50. p. 480*) Christianos propter insaniam, uti opinatur, rationem oppetit, qua cum proselytis agunt, satis clare produnt, illius aetate commercium Christianorum fidelium cum catechumenis mere privatum fuisse. Quid? quod ipsius Origenis tempestate ex diversis novitiorum classibus una non nisi privatim erudiebatur, a concionibus sacris secluso.**) Id quod res ipsa flagitabat. Nam cum catechumenatus principio eo potissimum (ne dicam unice) tenderet, ut ecclesia de conditione morali proselytorum certior fieret, animosque eorum exploraret, qua tandem de causa eos in congregationes sacras introduxisset? Imme extremae imprudentiae et levitatis crimine esset

---

utrum Christiani sint an pagani, utrum Catholici an haeretici, utrum laici an clerici, sed ut in haec omnia formatos examinando *diligenter inquirat* (ἐπιχειρεῖν — ἀνακρίνειν). Hoc jubetur diaconus, ut certo explaratum habeat (γνοὺς), homines istos ἀληθῶς πιστοὺς καὶ ὁμολογήσαντας, h. e. christianos baptizatos (πιστοὶ, — ita ut vel catechumeni exterarum paroeciarum excludantur) eosque catholicos esse, priusquam eis locum in conventibus sacris assignet. Accedit quod Constitutiones Apostolicae eodem libro cp. 57, dum singulis ordinibus Christianorum in templo loca sua peculiaria distribuunt, nec paganis nec Judaeis nec denique haereticis usquam stationem in ecclesia concedunt. Post Constantini Magni tempora utique paganis, Judaeis et haereticis quoque reclusa erant templa christiana, hoc videlicet modo adhibito, ut tantum missae catechumenorum interesse iis liceret, uti videre est ex *Conc. Carthaginensi* IV. cp. 84, *Conc. Valentinensi* in Hispania) a. 524, can. 1, et aliunde. Sed tum conditio externa rei christianae penitus immutata nec Christianis quidquam amplius a republica civili metuendum erat.

*) Ἀλλ' ὡρῶμεν δήπου καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένους καὶ ἀγείροντας, εἰς μὲν φρονίμων ἀνδρῶν αὐλλογον οὐκ ἂν πότε προελθόντας, οὐδ' ἐν τούτοις τὰ ἑαυτῶν κατατολμήσαντας ἐπιδεικνύειν, ἔνθα δ' ἂν ὁρῶσι μειράκια καὶ οἰκοτρίβων ὄχλον καὶ ἀνοήτων ἀνθρώπων ὅμιλον, ἐνταῦθ' ὠθουμένους τε καὶ καλλωπιζομένους. Origenes certe hanc Celsi calumniam ad commercium Christianorum cum catechumenis refert. Etenim immediate post verba commodum allegata tali modo eam refutat: Ὅρα δὴ καὶ ἐν τούτοις τίνα τρόπον ἡμᾶς συκοφαντεῖ (nempe Celsus), ἐξομοιῶν τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις καὶ ἀγείρουσι. Ποῖα δὴ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνύμεθα, ἢ τί τούτοις παρλήσιον πράττομεν, οἱ καὶ δι' ἀναγναμάτων καὶ διὰ τῶν εἰς αὐτὰ διηγήσεων προτρέποντες μὲν ἐπὶ τὴν εἰς τὸν Θεὸν τῶν ὅλων εὐσέβειαν καὶ τὰς συνθρόνους ταύτῃ ἀρετὰς, ἀποτρέποντες δ' ἀπὸ τοῦ καταφρονεῖν τοῦ θείου καὶ πάντων τῶν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πραττομένων; Καὶ οἱ φιλόσοφοί γ' ἂν εὔξαιντο ἀγείρειν τοσούτους ἀκροατὰς λόγων ἐπὶ τὰ καλὰ παρακελευόντων. Ὅπερ πεποιήκασι μάλιστα τῶν Κυνικῶν τινες, δημοσίᾳ πρὸς τοὺς παριοῦσι διαλεγόμενοι. Ἀφ' οὗ καὶ τούτους, μὴ συναθροίζοντας μὲν τοὺς νομιζομένους παιδεύεσθαι, καλοῦντας δὲ ἀπὸ τῆς τριόδου καὶ συνάγοντας ἀκροατὰς, ᾧ ὅσους παραπλησίους εἶναι τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις καὶ ἀγείρουσιν; Ἀλλ' οὔτε Κέλσος οὐτέ τις τῶν τὰ αὐτὰ φρονούντων ἐγκαλοῦσι τοῖς κατὰ τὸ φαινόμενον αὐταῖς φιλάνθρωπον κινοῦσι λόγους καὶ πρὸς τοὺς ἰδιωτικοὺς δήμους. Et non multo post, ep. 51, p. 481. eos, quibus cura catechumenorum demandata erat, dicit τοὺς κατὰ τὸν Κέλσον (loco nimirum supra excitato) παραπλησίους τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις.

**) Contra Cels., 3, 51. p. 481. Locum ipsum transscriptum vide supra. Distinguit hic Origenes tres catechumenorum ordines: 1) οἱ κατ' ἰδίαν ἀκροαταὶ, 2) οἱ ἄρτι ἀρχόμενοι καὶ εἰσαγόμενοι καὶ οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκάθαρται ἀνειληφότες, et 3) οἱ κατὰ τὸ δύνατον παραιτησάμενοι ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι ἢ τὰ χριαμένοις δοκοῦντα. Cf. etiam Böhmer die christl.-kirchl. Alterthumswissenschaft, 2, p. 287.

accusanda, si eos, de quorum sinceritate nondum sibi persuasum habebat, ad sacra sua admisisset, dum undique destricta persecutorum gladia imminerent. Hoc fuisset utique, exploratores et proditores de industria arcessere! — §. 7. Sed prima haec rei facies paulatim immutata est. Ad primigenium istum, quem modo exposuimus, novitiatus christiani scopum mox alius accessit, proxime illi cognatus. Nimirum cum examinatione et emendatione morum institutionem quoque catechumenorum in doctrina christiana conjungere, et opportunitas temporis suadebat et ipsa rei natura, cum ejusmodi disciplina ad ipsam morum quoque explorationem aeque ac sanationem non parum faceret.*) Adde, quod haud dubie vel tirones ipsi desiderio accuratioris placitorum christianorum notitiae flagrare, et ut sibi eam impertirent, ab iis, quibus cura eorum demandata erat, efflagitare solebant. Hinc satis mature factum est, ut finis catechumenatus praeter probationem integritatis animi vitaeque proselytorum etiam in eruditione eorum ad solidam dogmatum christianorum cognitionem poneretur. Manifesta hujus rei vestigia jam apud Origenem nobis obveniunt, qui contra Cels. (3, 50. p. 480**)) diserte refert, proselytos *δι' ἀναγνωσμάτων καὶ διὰ τῶν εἰς αὐτὰ διηγήσεων* edoceri, et alio loco ejusdem operis, (6, 10. p. 637***)) sollertiores eorum vel methodo demonstrativa et scientifica doctrina christiana imbui. *Constitutiones Apostolicae* non solum 6, 18. *στοιχείωσιν* catechumenorum praescribunt, sed etiam 7, 39 †), ipsa doctrinae capita enumerant, quae

---

*) Antiquam ecclesiam hoc probe intellexisse, videre est e loco Origenis supra allato, e. Celsum, 3, 50. p. 480. Hic nempe Christiani catechumenos *δι' ἀναγνωσμάτων* (sacrae scripturae procul dubio) *καὶ διὰ τῶν εἰς αὐτὰ διηγήσεων* ad pietatem et honestatem convertere et ab omni impietate et vitiositate retrahere dicuntur.

**) Vide hunc locum supra.

***) *Οὐ πρὸς πάντα οἷον τὸν προσιόντα φαμὲν, ὅτι πρῶτον πίστευσον, ὃν εἰσηγοῦμαί σοι, τοῦτον εἶναι υἱὸν Θεοῦ· ἀλλ' ἑκάστῳ κατὰ τὸ πρέπον αὐτοῦ τῷ ἤθει καὶ τῇ καταστάσει προσάγομεν τὸν λόγον, μαθόντες εἰδέναι πῶς δεῖ ἡμᾶς ἑνὶ ἑκάστῳ ἀποκρίνεσθαι* (Coloss. 4, 6.). *Καί εἰσιν, οἷς πλεῖον μὴ δυναμένοις τοῦ προτραπῆναι εἰς τὸ πιστεύειν τοῦτο κηρύττομεν· ἄλλοις δὲ, ὅσῃ δύναμις, ἀποδεικτικῶς δι' ἐρωτήσεων καὶ ἀποκρίσεων προσερχόμεθα. Ἀλλ' οὐδὲ λέγομεν τὸ μετὰ χλεύης ὑπὸ τοῦ Κέλσου εἰρημένον, ὅτι πίστευσον, ὃν εἰσηγοῦμαί σοι, τοῦτον εἶναι υἱὸν Θεοῦ, κἂν ᾖ δεδεμένος ἀτιμότατα ἢ κεκολασμένος ἄισχιστα, κἂν χθὲς καὶ πρώην ἐν τοῖς πάντων ὀφθαλμοῖς ἐπονειδιστότατα κεκαλινδημένος· οὐδέ φαμεν· ταύτῃ καὶ μᾶλλον πίστευσον. Εἰς ἕκαστον* (de singulis rebus) *γὰρ πειρώμεθα λέγειν, καὶ πλείονα ὧν ἐν τοῖς ἀνωτέρω ἐξέθεμεθα.* Cf. etiam 3, 15. p. 456 s.: *Σαφῶς δὴ τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς παριστῶμεν, καὶ οὐχ, ὡς οἴεται Κέλσος, ἀποκρύπτομεν, ἐπὰν καὶ τοῖς πρώτοις εἰσαγομένοις καταφρόνησιν μὲν τῶν εἰδώλων καὶ πάντων τῶν ἀγαλμάτων ἐμποιήσωμεν, καὶ πρὸς τούτοις ἐπαίροντες τὰ φρονήματα αὐτῶν ἀπὸ τοῦ δουλεύειν τοῖς κτισθεῖσιν ἀντὶ Θεοῦ ἐπὶ τὸν κτίσαντα τὰ ὅλα αὐτοὺς ἀναβιβάζωμεν, ἐμφανῶς περιστάντες τὸν προφητευθέντα ἔκ τε τῶν περὶ αὐτοῦ προφητειῶν (πολλαὶ δὲ εἰσιν αὗται) καὶ ἐκ τῶν ἐξετασμένως παραδιδομένων τοῖς δυναμένοις ἀκούειν συνετώτερον τῶν εὐαγγελίων καὶ τῶν ἀποστολικῶν φωνῶν.*

†) *Ὁ μέλλων τοίνυν κατηχεῖσθαι τὸν λόγον τῆς εὐσεβείας παιδευέσθω πρὸ τοῦ βαπτίσματος τὴν περὶ τοῦ ἀγεννήτου γνῶσιν, τὴν περὶ τοῦ υἱοῦ μονογενοῦς ἐπίγνωσιν, τὴν περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος πληροφορίαν. Μανθανέτω δημιουργίας διαφόρου τάξιν, προνοίας εἱμὸν, νομοθεσίας διαφόρου*

iis tradenda sint, dogmata nimirum de trinitate, de providentia, de legislatione divina, de natura hominis, de poenis malorum et praemiis piorum atque consimilia. Sed haec tritiora sunt quam quae testimoniis egeant. — §. 8. Immutato fine novitiatus christiani ratio quoque ejus necessario mutationem subiit. Si enim proselyti fide christiana instituti debebant, absonum utique erat, eos ulterius a conventibus religiosis arcere, ubi longe uberrima aderat cognitionem veritatis christianae hauriendi opportunitas. Admissi igitur sunt catechumeni ad sacra christiana, et quidem ante seculi secundi decursum, quod ex Tertulliano (de praescr. adv. haer. 41) et antiquissimis *Constitutionum Apostolicarum* libris (2, 39 et 57.*)) patet. Nec tamen sine adhibita cautione admittebantur; videlicet non extemplo, quam primum nomina sua dedissent, sed nunc quoque primum per aliquod tempus duntaxat privatim erudiebantur, donec sincerum erga religionem christianam animum aliquatenus comprobassent, et tunc demum in conventus sacros introducebantur. Unde factum est, ut coetus proselytorum in duas classes dispesceretur, alteram privatam, alteram ecclesiasticam. Utramque habes jam apud Tertullianum, de praescript. 41.**) Taxat hic haereticos (Marcionitas potissimum), quod apud eos, „quis catechumenus, quis fidelis, incertum sit," rationem addens: „pariter *adeunt* (scl. ecclesiam***)), pariter *audiunt*, pariter *orant*." Jam si reputamus, Tertulliani aetate in ecclesia catholica, quod aliunde certo constat, separationem utriusque missae, catechumenorum et fidelium, dudum viguisse, et proinde catechumenos nequaquam *absolute* a cultu divino fuisse exclusos, manifesto dubium non est, quin illud „pariter *adeunt*, pariter *audiunt*" haereticis neutiquam crimini dari potuerit, nisi tum apud catholicos *non omnibus catechumenis*, sed certae tantum classi eorum aditus ad sacros conventus patuisset. Neque in hac

---

δικαιοσύνη. Παιδευέσθω διατὶ κόσμος γέγονε, καὶ δι' ὃ κοσμοπολίτης ὁ ἄνθρωπος κατέστη. Ἐπιγινωσκέτω τὸν ἑαυτοῦ φύσιν, οἷά τις ὑπάρχει. Παιδευέσθω ὅπως ὁ Θεὸς τοὺς πονηροὺς ἐκόλασεν ὕδατι καὶ πυρὶ, τοὺς δ' ἁγίους ἐδόξασε καθ' ἑκάστην γενεάν· λέγω δὴ τὸν Σὴθ, τὸν Ἐνὼς, τὸν Ἐνὼχ, τὸν Νῶε, τὸν Ἀβραὰμ καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτοῦ, τὸν Μελχισεδὲκ καὶ τὸν Ἰὼβ καὶ τὸν Μωσέα, Ἰησοῦν τε καὶ Χαλὲβ καὶ Φινεὲς τὸν ἱερέα, καὶ τοὺς καθ' ἑκάστην γενεὰν ὁσίους· ὅπως τε προνοούμενος οὐκ ἀπεστράφη ὁ Θεὸς τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ἀλλ' ἀπὸ πλάνης καὶ ματαιότητος εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐκάλει κατὰ διαφόρους καιροὺς, ἀπὸ τῆς δουλείας καὶ ἀσεβείας εἰς ἐλευθερίαν καὶ εὐσέβειαν ἐπανάγων, ἀπὸ ἀδικίας εἰς δικαιοσύνην, ἀπὸ θανάτου αἰωνίου εἰς ζωὴν ἄϋδιον. Ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀκόλουθα μανθανέτω ἐν τῇ κατηχήσει ὁ προσιών.

*) Καὶ μετὰ τοῦτο (post sermones sacros habitos) συμφώνως ἅπαντες, ἐξαναστάντες καὶ ἐπ' ἀνατολὰς κατανοήσαντες μετὰ τὴν τῶν κατηχουμένων καὶ τὴν τῶν μετανοούντων ἔξοδον προσευξάσθωσαν τῷ Θεῷ κτλ.

**) „Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. Inprimis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cujus penes eos curam lenocinium vocant."

***) Cf. A. Neander Antignosticus p. 338 s.

dichotomia classium catechumenorum substitit ecclesia, sed mox, causis idoneis (quas tamen hic enarrare longum et ab re foret) mota, ad trichotomiam progressa est, quam jam apud Origenem reperimus, et quae et ipsa postmodum varias mutationes perpessa est. Sed haec hactenus. Nam historiam catechumenatus ulterius contexere a consilio nostro alienum est, cum quae hucusque attulimus ad cognoscendam originem disciplinae arcani sufficiant. Id quod nunc paucis demonstrandum est. — §. 9. Relationem, quae catechumenatum inter et origines disciplinae arcani intercedat, investigantes ante omnia eorum memores esse nos oportet, quae supra (§. 4) de loco disputata sunt, quem ex sententia Christianorum primaevorum catechumeni in ecclesia tenebant. In ipsa scilicet ecclesia erant constituti, non foris; ipsis Christianis accensebantur, non extraneis. Nec tamen propterea ejusdem ordinis et dignitatis erant cum fidelibus, h. e. Christianis jam tinctis, sed his gradu ecclesiasticae dignitatis inferiores. Jam ergo post catechumenatus institutionem ecclesia duplex genus Christianorum continebat, jam duplex aderat christianismus, gradu alter ab altero diversus, ut verbo comprehendamus, christianismus *exotericus* et christianismus *esotericus*. Res inaudita certe et quam ante tempora novitiatus conditi nemo Christianorum ne somniasset quidem, sed manifesta tamen et quae ex ipsa catechumenatus natura necessario et sua sponte consequebatur. Fideles itaque repente ex Christianis gregariis in Christianos *interioris admissionis* transformati sunt, ea unice de causa, quia alii ad societatem christianam accesserant, qui, quamvis et ipsi Christiani haberentur, a sacramentorum tamen communione segregati adeoque illis inferiores erant. Sed sacramentorum etiam, baptismi inquam et coenae dominicae, existimatio hinc inde in ecclesia necessario incrementa haud exigua cepit. Notio ipsa eorum mutationem subiit. Baptismus enim ipse actus ille sacer erat, quo Christiani inferioris ordinis ad altiorem evehebantur, et sacra coena ipsum epulum illud sanctum, quo nemini Christianorum frui licebat nisi prius per baptismum christianismo esoterico initiatus esset. Nonne ergo necessario haec sacramenta in ecclesia christiana eundem prorsus, quem intra religiones paganas mysteria occupabant, locum obtinere eodemque cum illis censu venire videbantur? Quid multa? sacramenta *mysteria* facta sunt, h. e. mysteriorum *notio* in ea translata est.*) — §. 10. Quae hic ex ipsius rei natura conclusimus, eadem historia quoque luculenter testatur. Inde enim ab eo ipso tempore, quo in prima catechumenatus vestigia incurrimus, etiam clara notionis illius sacramentorum christianorum, de qua modo egimus, suppetunt documenta.**) Testis antiquissimus est Justinus Martyr. Baptismum

*) Locum Pauli Apostoli ad Ephes. 5, 32. ad stabiliendam hanc sacramentorum existimationem nonnihil contulisse, re ex momentis historicis dijudicata vero parum simile videtur.

**) Ne gentiles quidem haec Christianorum opinio latuit. Nam ipsi quoque christianismum pro aliqua novorum mysteriorum specie habebant. Eodem fere, quo Justinus Mart. florebat, tempore Lucianus Samosatenus (de morte Peregrini, p. 272 s. Tom. VIII. Opp. ed. Bipont.) de Christianis haec scribit: *Τὸν μέγαν*

ex ejus sententia esse mysterium christianum vel ex nominibus clarescit, quibus eum in descriptione sua*) constanter nuncupat, φωτισμός et φωτίζεσθαι, vocabulis, ut nemo non ignorat, a mysteriorum disciplina mutuo sumtis; nec non inde, quod ibidem**) ritus baptismales daemonum imitatione in cultus paganos introductos esse perhibet. Coenam sacram vero tam aperte tamquam mysterium depingit, ut serio contendat, mysteria Mithrae imitationem futilem veri illius mysterii esse, daemonum aemula affectatione effictam***). Exinde jam omnes undique scriptores ecclesiastici in hac sacramentorum christianorum existimatione conspirant. Quorum e numero inprimis Tertullianus audiendus est. Ad Nationes I, 7.†) proselytos christianos „initiatum volentes" appellat et de „christianis mysteriis" verba facit. De praescr. adv. haer. (cp. 40) haec habet: „A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, *qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum idolorum mysteriis aemulatur.* Tingit et quosdam, utique credentes et fideles suos;††) expositionem delictorum de lavacro repromittit; et, si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem et imaginem

---

γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσιν ἄνθρωπον, τὸν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι καινὴν παντῶς τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον. Minime vero huc trahendus est locus Celsi apud Origenem (c. Celsum, 6, 24. p. 648.): Ἑξῆς δὲ τῷ ἀπὸ τῶν Μιθραϊκῶν ληφθέντι λόγῳ ἐπαγγέλλεται ὁ Κέλσος, τελετήν τινα Χριστιανῶν τελετῇ προειρημένῃ Περσῶν τὸν βουλόμενον συνεξετάσαι, ταῦτα ἀλλήλοις παραβαλόντα καὶ γυμνώσαντα τὰ Χριστιανῶν, οὕτω θεάσασθαι τὴν διαφορὰν αὐτῶν, in quo mysteriorum christianorum mentionem injicit. Nam hoc ipso loco Origenes declarat, Celsum hic ad diagramma mysticum Ophitarum alludere.

*) Apolog. maj., p. 93 ss. ed. Colon. Habes ibi, p. 94: Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. Καὶ ἐπ' ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λούεται.

**) P. 94. E. s. (ed. Colon.): Καὶ τὸ λουτρὸν δὴ τοῦτο ἀκούσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον, ἐνήργησαν καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας λοιβὰς καὶ νίτσας ἀποτελοῦντας· τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπίοντας πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερά, ἵνθα ἵδρυνται, ἐνεργοῦσι.

***) Apolog. maj., p. 98. C. ed. Colon.: Ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρου μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες. Ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε ἢ μαθεῖν δύνασθε.

†) „Sine dubio enim *initiatum volentibus* mos est prius ad magistrum sacrorum vel patrem adire. Tum ille dicet: Infans tibi, qui adhuc vagetur, necessarius, qui immoletur; et panis aliquantum, qui in sanguine infrigatur; praeterea candelabra, quae canes annexi deturbent; et offulae, quae eosdem canes; sed et mater aut soror tibi necessaria est. Quid si nullae erunt? Ophior, legitimus Christianus esse non poteris? Haec, oro vos, denunciata ab aliis sustinent prodi? Diversum opus. Non est scire illos; prius fallacies negotium perpetratur, ignaris et dapes et nuptiae subjiciuntur; nihil enim retro de *christianis mysteriis* audierunt. Tamen postea cognoscant necesse est, vel aliis, quos inducunt, praemunistranda." etc.

††) Cf. etiam Augustinus de baptismo contra Donatum, 6, 25.: „In multis idolorum sacrilegis sacris baptizati homines perhibentur."

resurrectionis inducit et sub gladio redimit coronam.“*) Item de baptismo (cp. 5): „Sed enim nationes, extraneae ab omni intellectu, spiritualium potestatum eadem efficacia idolis suis subministrant; sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithrae; ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt; ceterum villas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim. Certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguntur, idque se in regenerationem et impunitatem perjuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrica aqua se expiabat.“ Et paucis interpositis: „Quo agnito hic quoque studium diaboli cognoscimus, res Dei aemulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet.“ Cummaxime insignis vero est locus Apologetici (cp. 56**)) ubi Tertullianus, vindicans Christianos a calumniis illis atrocibus, quas propter coenae dominicae sacramentum subibant, haec scribit: „Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis? Non utique, cum vel ex forma *omnibus mysteriis* silentii fides debeatur. Samothracia et Eleusinia reticentur: quanto magis talia, quae prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia, cum semper etiam piae *initiationes* arceant profanos et arbitris caveant, nisi si impii minus metuunt?“ Cum Tertulliano consociandus est Clemens Alexandrinus, qui his potissimum locis baptismi sacramentum luculenter tamquam verum mysterium describit: Paedagog. I, 6. §. 25. p. 113. ed. Pott.,***) §. 26. p. 113.,†) §. 27. p. 114.††)

---

*) Cf. Baur, das Manichäische Religionssystem p. 355.

**) Cum quo ad ipsa fere verba concordat locus parallelus Ad Nationes, 1, 7.

***) *Ἀναγεννηθέντες γοῦν εὐθέως τὸ τέλειον ἀπειλήφαμεν, οὗ ἕνεκεν ἐσπεύδομεν. Ἐφωτίσθημεν γάρ. Τὸ δέ ἐστιν ἐπιγνῶναι τὸν Θεόν. Ὄντως ἀτελὴς ὁ ἐγνωκὼς τὸ τέλειον.*

†) *Τὸ δὲ αὐτὸ συμβαίνει τοῦτο* (ea nempe, quae in baptismate Christi evenerunt) *καὶ περὶ ἡμᾶς, ὧν γέγονεν ὑπογραφὴ ὁ Κύριος. Βαπτιζόμενοι φωτιζόμεθα, υἱοποιούμενοι τελειούμεθα, τελειούμενοι ἀπαθανατιζόμεθα. Ἐγώ, φησιν, εἶπα, θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες. Καλεῖται δὲ πολλαχῶς τὸ ἔργον τοῦτο χάρισμα καὶ φώτισμα καὶ τέλειον καὶ λουτρόν. Λουτρὸν μέν, δι' οὗ τὰς ἁμαρτίας ἀποῤῥυπτόμεθα· χάρισμα δέ, ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται· φώτισμα δέ, δι' οὗ τὸ ἅγιον ἐκεῖνο φῶς ἐποπτεύεται, τουτέστιν δι' οὗ τὸ θεῖον ὀξυνοποῦμεν. Τέλειον δὲ τὸ ἀπροσδεὲς φαμέν. Τί γὰρ λείπεται τῷ Θεὸν ἐγνωκότι.*

††) *Καὶ ὁ μόνον ἀναγεννηθεὶς, ὥσπερ οὖν καὶ τοὔνομα ἔχει, καὶ φωτισθεὶς ἀπῆλλακται μὲν παραχρῆμα τοῦ σκότους, ἀπείληφε δέ αὐτόθεν τὸ φῶς. Ὥσπερ οὖν οἱ τὸν ὕπνον ἀποσεισάμενοι εὐθέως ἔνδοθεν ἐγηγόρασιν· μᾶλλον δὲ, καθάπερ αἱ τὸ ὑπόχυμα τῶν ὀφθαλμῶν κατάγειν πειρώμενοι, οὐ τὸ φως αὐτοῖς ἔξωθεν χορηγοῦσιν, ὁ οὐκ ἔχουσιν, τὸ δὲ ἐμπόδιον ταῖς ὄψεσι καταβαρβάζοντες, ἐλευθέραν ἀπολείπουσι τὴν κόρην· οὕτως καὶ οἱ βαπτιζόμενοι, τὰς ἐπισκοτούσας ἁμαρτίας τῷ θείῳ πνεύματι ἀχλύος δίκην ἀποτριψάμενοι, ἐλεύθερον καὶ ἀνεμπόδιστον καὶ φωτεινὸν ὄμμα τοῦ πνεύματος ἴσχομεν, ᾧ δὴ μόνῳ τὸ θεῖον ἐποπτεύομεν, οὐρανόθεν ἐπεισρέοντος ἡμῖν τοῦ ἁγίου πνεύματος· κρᾶμα τοῦτο αὐγῆς ἀΐδιον, τὸ ἀΐδιον φῶς ἰδεῖν δυναμένοις· ἐπεὶ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον δὲ τὸ ἅγιον τῷ, ἐξ οὗ τὸ ἅγιον, ὁ δὴ κυρίως κέκληται φῶς· Ἦκε γάρ ποτε σκότος, νῦν δὲ φῶς ἐν Κύριῳ.*

et Stromat., 5, 11. §. 71. 72. p. 688 s.*) Praeter vocem φωτίζεσθαι Clemens his locis vel vocabula τελειοῦσθαι et ἀποθανατίζεσθαι de baptismo usurpat,**) quae mysteriis peculiaria esse pervagatum est. Sequitur Origenes, e cujus calamo praeter locum c. Cels., 3, 59. 60. p. 486 s. ubi sacramenta christiana τὰς παρ' ἡμῖν τελετὰς vocat, bigam locorum nobilissimorum ad coenam dominicam spectantium retulisse sufficiat. Alter legitur hom. 9. in Levitic., §. 10. p. 243 ed. de la Rue Vol. II.: „Sed tu, qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, et reconciliavit te patri, non haereas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem Verbi, et audi ipsum tibi dicentem, quia „hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum." *Novit qui mysteriis imbutus est****) *et carnem et sanguinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quae et scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt.*" Alter hom. 13. in Exod., §. 3. p. 176.: „„Unusquisque" ergo „sicut concepit corde." Videte si concipitis, videte si tenetis, ne forte affluant quae dicuntur et pereant. Volo vos admonere religionis vestrae exemplis. *Nostis qui divinis mysteriis interesse consuestis*, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quodsi circa corpus ejus conservandum tanta utimini cautela, et merito utimini: quemodo putatis minoris esse piaculi, verbum Dei neglexisse quam corpus ejus?" Nec denique antiquiores Constitutionum Apostolicarum libri hic sunt praetermittendi. Jam ipsa antiquior liturgia earum (2, 57.) diserte definit: φυλαττέσθωσαν δὲ αἱ θύραι (scl. inter eucharistiae solemnia), μή τις ἄπιστος εἰσέλθοι ἢ ἀμύητος· — et 6, 15. haec leguntur: Οὔτε μὴν οἱ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτῶν (scl. τῶν αἱρετικῶν) μεμύηνται, ἀλλὰ μεμολυσμένοι ὑπάρχουσιν, οὐκ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαμβάνοντες, ἀλλὰ δεσμὸν ἀσεβείας. Οὐ μὴν δὲ καὶ τοὺς μεμυημένους ἐκ δευτέρου βαπτίζειν πειρώμενοι ἀνασταυροῦσι τὸν Κύριον κτλ.†) Ut paucis

*) Οὐκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν. Μετὰ ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια, διδασκαλίας τινὰ ὑπόθεσιν ἔχοντα καὶ προπαρασκευὴν τῶν μελλόντων, τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τήν τε φύσιν καὶ τὰ πράγματα.

**) Similiter Hermas, Pastor, 3, 9. p. 120 (in Cotelerii PP. App.).

***) Formula solemnis (ἴσασιν οἱ μεμυημένοι), apud Patres seculi quarti et quinti, praecipue apud Chrysostomum, sexcenties obvia. Formulas cognatas, scriptoribus profanis, dum de mysteriis ethnicis loquuntur, usitatas vide apud Casaubonum l. c. p. 484 s.

†) Etiam in serioribus *Constit. Apostolic.* libris μυεῖσθαι illud et cognata vocabula passim occurrunt v. c. 7, 25.: Εἰ δέ τις κατὰ ἄγνοιαν μεταλάβοι, τοῦτον τάχιον στοιχειώσαντες μυήσατε, ὅπως μὴ καταφρονητὴς ἐξέλθοι. Ibid. cp. 38: Ὅπως μὲν οὖν ὀφείλουσι ζῆν οἱ κατὰ Χριστὸν μεμυημένοι, καὶ οἵας εὐχαριστίας ἀναπέμπειν τῷ Θεῷ διὰ Χριστοῦ, εἴρηται διὰ τῶν προλαβόντων· δίκαιον δὲ, μηδὲ τοὺς ἀμυήτους καταλιπεῖν ἀβοηθήτους. Quibus ita expositis sequuntur διατάξεις ad catechumenos spectantes. Item 8, 8. in precatione pro competentibus (ὑπὲρ τῶν βαπτιζομένων) Deus imploratur, ut hos participes reddere dignetur τῶν ἁγίων αὐτοῦ ἱερῶν καὶ τῶν θείων μυστηρίων.

absolvamus, si quis aperte cognoscere cupit, num vetus ecclesia inde a sec. III. sacramenta baptismatis et sacrae coenae pro initiis habuerit nec ne, sufficit, ut ad vocabula technica animum advertat, quibus ex illo tempore scriptores ecclesiastici utuntur, ubi de sacramentis agunt. Haec enim ad unum omnia fere ab usu loquendi in mysteriis gentilium consueto petita sunt.*) — §. 11. Sed hucusque fundamenta tantum disciplinae arcani eruimus, ipsum instituti, quod hoc nomine venire solet, ortum nondum utique assecuti sumus. Imo probe observandum est, eo, quo novitiatus christianus natus est, tempore in ecclesia mysteria quidem jam pullulasse, sacra operta vero (qualia sunt solemnia illa, circa quae disciplina arcani versatur) nemini non fuisse incognita. Dicamus quod res est. Dogmatice sane sacramenta jam tum mysteriis accensebantur, at liturgice nequaquam. Notio quidem mysteriorum baptismati et mensae dominicae inhaerebat, modus sacra eorum obeundi autem a mysteriorum ratione alienissimus erat. Aderant re ipsa mysteria christiana, forma mysteriorum nondum aderat.**) Etenim celebratio baptismatis et eucharistiae oculis catechumenorum nusquam *de industria* subducebatur, et nemo eorum, qui initiati non essent, *consulto* a conspectu ejus arcebatur. Testis est ingenua illa atque accurata narratio Justini Mart., illius ipsius, qui mysteria christiana tam magnifice praedicat, de modo peragendi baptismum***) et coenam dominicam, imo universum cultum divinum†) apud Christianos in Apologia sua majori, ipsis Caesaribus oblata. Quid? quod dum haec aggreditur, ita diserte praefatur††): "Ον τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ (nempe per baptismi lavacrum), ἐξηγησόμεθα, ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει. De quo si quis justum vult ferre judicium, meminerit modo, seriores apologetas, Athenagoram praesertim et Tertullianum, contrariam plane (quod deinceps videbimus) hac in causa rationem sequi. Adde porro, quod Irenaeus in opere suo adversus haereses, certo non unice fidelium usibus destinato, libere et missis ambagibus de eucharistia exponit.†††) Nec denique fas est silentio praeterire, quam belle cum sententia proposita concinat, quod haeretici illi, quos Tertullianus de praescr. adv. haer. cp. 41†*) convellit, i. e. quantum quidem conjectura consequi potuerunt

*) Videantur hanc in rem disputata a Casaubono l. c. p. 481 ss., Gbh. Th. Meier l. c. §. 4—13, Tenzelio l. c. p. 213 ss. et Frommanno l. c. p. 87.

**) Vel hinc intelligere licet, quam parum cum historia conveniat sententia eorum, qui originem disciplinae arcani ex imitatione mysteriorum ethnicorum repetunt. Nam si Christiani primaevi aemulatione initiorum paganorum moti mysteria sibi condidissent, procul dubio non substitissent in transferenda *notione* mysteriorum in sacramenta christiana, sed iis *formam* quoque mysteriorum, nulla mora interposita, indidissent, cum haec ipsa sacrorum opertaneorum forma aemulationem eorum accendisset.

***) Apolog. maj. (ed. Maran. §. 61, p. 79 s.).

†) Ibid. (§. 65—67, p. 82—84).

††) Ibid., p. 93 D. ed. Colon.

†††) Cf. praesertim 4, 18. (maxime §. 4 et 5), p. 250 ss. ed. Massueti, et 5, 2. p. 293 ss.

†*) Vide locum ipsum suprà allegatum.

peritissimi harum rerum judices,*) Marcionitae, sejunctionem missae catechumenorum et missae fidelium in sacris christianis constanter tamquam adfectationem a simplicitate evangelica alienam aspernabantur. Eo nimirum tempore, quo Marcionitae ab ecclesia catholica secesserunt, in hac ipsa divortium istud missarum, i. e. cultus divinus ad mysteriorum formam compositum, nondum obtinebat.**) — §. 12. Verum enim vero etsi sacramenta christiana ea aetate, qua primum notio mysteriorum in ea transferri coepit, nondum ad modum mysteriorum peragebantur, tamen vel ad conversionem *formae* eorum via jam erat munita. Ipsa notio illa hujusmodi mutationi ansam praebebat. Accedebat, quod fieri non potuisset, quin incommoda non levia inde nata essent, si ecclesia sacramenta sua coram catechumenis celebrasset. Quod potissimum de coena dominica dictum volumus. Nam baptismi hac in causa obiter duntaxat habenda est ratio, cum modus eum administrandi in vetere ecclesia consuetus per se ipse spectatores otiosos omnes arceret, ne qua pudicitia laederetur. Quod autem ad eucharistiam attinet, ea tempestate, qua persecutorum saevitia Christianis undique insidiabatur, summae videlicet temeritatis fuisset ad epulum illud sacrum, cujus participatione Christiani certo dignoscebantur, homines arcessere, de quorum animo, quomodo erga Christum affecti sint, nondum satis constabat.***) Tales vero erant catechumeni, cum hunc ipsum in finem novitiatus tirocinia militarent, ut sincerum animum ecclesiae comprobarent (vid. §. 3 et 5). Addamus, quod praesentia novitiorum, utcunque bene moratorum, in celebratione sacrae coenae his ipsis facile offensioni esse poterat, quippe qui, quae

*) Vid. (Münter) Vers. ü. d. kirchl. Alterth. der Gnostiker p. 46 s. Neander Hist. Eccles. Tom. I. P. II. p. 811 et Antignostic. p. 341 s. Ut locum excitatum Tertulliani ad Marcionitas speciatim referamus, aliorum etiam Patrum de hac haeresi relationes cummaxime suadent. Sic Epiphanius Haer. 42. §. 3. de Marcione tradit: *Μυστήρια δὲ δῆθεν παρ' αὐτῷ ἐπιτελεῖται τῶν κατηχουμένων ὁρῶντων*, — et Hieronymus, commentar. in Ep. ad Galat., p. 199 (Tom. IX. Opp. ed. Francof.) ad locum Galat. 6, 6. annotat: „Marcion hunc locum ita interpretatus est, ut putaret, fideles et catechumenos simul orare debere."

**) Cum modo expositis nequaquam discordat locus Origenis c. Cels. 1, 1. p. 319 s., ubi de Celso haec referuntur: *Πρῶτον τῷ Κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι βουλομένῳ διαβάλλειν χριστιανισμὸν, ὡς συνθήκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιουμένων χριστιανῶν παρὰ τὰ νενομισμένα, ὅτι τῶν συνθηκῶν αἱ μὲν εἰσι φανεραὶ, ὅσαι κατὰ τοὺς νόμους γίγνονται, αἱ δὲ ἀφανεῖς, ὅσαι παρὰ τὰ νενομίσμενα συντελοῦνται. Καὶ βούλεται διαβάλλειν τὴν καλουμένην ἀγάπην χριστιανῶν πρὸς ἀλλήλους, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ κινδύνου ὑφισταμένην καὶ δυναμένην ὑπὲρ ὅρκια.* Nam *συνθήκαι* illae *ἀφανεῖς* Christianorum ex ipsius Origenis interpretatione sunt agapae, quae pro rei natura *nunquam* publice a Christianis celebratae sunt; nisi forsan rectius Origenem Celsi verba de insigni illa, qua inter se mutuo conjungebantur Christiani, dilectione intelligere dixeris, cum neminem fugiat, quam diram suspicionem mutua haec Christianorum dilectio gentilibus injecerit. Vide Tertullian. Apologetic. cp. 39.

***) Hoc ipsum vel seriore tempore, licet sollertes adhiberet cautelas, experta est ecclesia, uti fidem facit canon Illiberinus 73: „Delator si quis exsterit fidelis, et per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit, eum nec in fine accipere communionem. *Si catechumenus fuerit*, post quinquennii tempora admittatur ad baptismum."

peragi viderent, nondum recte intelligerent,*) fidelium autem devotionem vix non turbabat. Atqui initio quidem post effectum dogma de mysteriis christianis haec incommoda nondum comparebant, cum ipsis locus nullus daretur. Nam principio, uti supra (§. 6) docuimus, catechumeni coetus sacros Christianorum omnino non adibant, sed privatim tantum et explorabantur et erudiebantur, ita ut iis nulla plane mysteria epuli dominici introspiciendi suppeteret opportunitas. Quare haec *de industria* ab intuitu eorum abscondere, ineptum fuisset. Sed haec rerum conditio ante ipsius sec. II. decursum mutationem subiit, simulatque nimirum, quod supra (§. 8) retulimus, catechumeni ad sacros Christianorum conventus admissi sunt. Nunc demum quaesitum est, num tironibus etiam ad baptismatis et coenae dominicae sacramenta aditus concedendus sit nec ne, et nunc demum ecclesia revera eos a mysteriorum suorum adspectu secludere coepit. Idque provide et sapienter. Nam cur tandem nunc conspectui catechumenorum ea exposuisset, quae hactenus oculis eorum nunquam patuerant, praesertim cum rationes tot et tam graves, quas modo attigimus, hoc vehementer dissuaderent? At vero si ecclesia vel nunc sacramenta sua procul ab intuitu catechumenorum peragere voluit, sacra christiana *deliberato consilio* ab oculis eorum abscondi eosque celari oportuit, cum antea, ubi novitii in conventus religiosos omnino non intrabant, ad hoc singulari cautione non opus fuisset. Jam itaque sacramentorum administratio ad *formam* quoque mysteriorum componenda erat, ita ut omnibus nondum initiatis (catechumenis inquam et his, qui ob scelera commissa ad eundem cum iis communionis ecclesiasticae gradum relapsi essent), aditus ad ea, cummaxime ad coenam dominicam,**) sollicite occluderetur. Et ne hic quidem subsisti potuit. Nempe simulac sacramentorum operatio in sacra operanea transformata esset, initiatis *silentii* quoque officium imponendum erat atque interdicendum, ne quid eorum, quae in sacris illis patrabantur, in profanum vulgus non initiatorum efferrent. Ab auribus aeque ac ab oculis catechumenorum abscondi oportebat quaecunque illuc pertinerent. Oportebat praecipue in orationibus sacris coram catechumenis habitis ea omnia, quae ad ritum et caerimonias sacramentorum spectarent,***) aut alto silentio obtegi aut

---

*) Id quod ecclesia antiqua probe perspexit. Quare hujusmodi offendiculis legibus cavit. Vide *Constitut. App.*, 7, 25: Ἐι δέ τις (sc. catechumenus) κατὰ ἄγνοιαν μεταλάβοι (nempe τῆς εὐχαριστίας), τοῦτον τάχιον στοιχειώσαντες μυήσατε, ὅπως μὴ καταφρονητὴς ἐξέλθοι. Item Athanas. Apolog. II. p. 131 (Tom. I. Opp. ed. Paris. 1627): Οὐ χρὴ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περιέργοι γενόμενοι σκανδαλίζωνται. Cf. etiam Cyrill. Hierosolymitan. Procateches. §. 12. p. 9 ed. Touttée.

**) Quare etiam apud Patres coena dominica κατ' ἐξοχὴν mysterium sive mysterium *magnum* sive mysteria *interiora* (τὰ ἔνδοθεν μυστήρια) et similia appellatur. Vide Casaubon. l. c. p. 486. 505.

***) Probe notandum est, silentium illud sacrum, quod disciplina arcani nuncupari consuevit, in ecclesia antiqua *unice ad symbola et ritus* baptismi et coenae dominicae, h. e. ad *modum, quo celebrabantur*, spectasse, nequaquam vero etiam ad *dogmata* de baptismo et eucharistia. Quod v. g. ad eucharistiam attinet, hoc nunquam catechumenos celatum est, fideles in ea vesci carne

ita obscure significari, ut a solis initiatis intelligi possent. Cum vero res eo pervenissent, tunc demum revera ad disciplinam arcani deventum est. — §. 13. Videmus autem mox post Justini tempora rem hac redactam; nempe jam apud Athenagoram in legatione pro Christianis, Marco Aurelio et Commodo Imperatoribus circa annum 177 oblata. Cui enim stuporem non incutiat, quod patronus iste Christianorum, dum eos a crimine Thyestearum epularum et concubituum incestorum vindicat (p. 34—39 ed. Colon.), sacram coenam ne verbo quidem attingit? Manifestum est, hasce calumnias haud facilius et solidius potuisse dilui quam ingenua et accurata convivii dominici, quod insuleis istis criminationibus ansam dederat, descriptione. Nihilominus tamen Athenagoras hanc viam, omnium longe munitissimam, pervicaciter contemnit et in toto opere suo eucharistiam, imo omnia in universum, quae ad cultum divinum Christianorum referuntur, taciturno calamo praeterit. Quid? quod dum hanc ipsam telam texit, lectoribus quasi per transennam innuit, se in argumento versari profanis oculis obvelando, ex improviso haec verba efiutiens*): ὦ τί ἂν εἴποιμι τὰ ἀπόῤῥητα; Eandem prorsus rationem sequitur Tertullianus. In Apologetico suo cp. 7—9 et 39 itidem Christianos a stuprorum nefandorum et conviviorum Thyesteorum crimine ex instituto repurgat; sed in eo aeque sollertem cautionem adhibet, ne quid de coena Domini lectoribus aperiat, hoc unum urgens (cap. 7**)), adversarios Christianorum manifesto criminationes suas ex testibus parum idoneis comperisse, quia scilicet neque Christiani ipsi tam immania prodere potuissent, „cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur," neque extranei, „cum semper etiam piae initiationes arceant

---

Christi et bibere sanguinem ejus, sed istud solummodo, *mediante pane et vino* eos carne et sanguine Christi perfrui, uti loci Origenis supra §. 10 transcripti hom. 13 in Exod., §. 3, p. 176 et hom. 9 in Levitic., §. 10. p. 243 s. manifestissime evincunt. Quod jam a Casaubono, l. c. p. 493—495, verissime observatum est, nec non ab Edm. Albertino (De Eucharistiae Sacramento. Daventriae 1654, fol., p. 708) et Tenzelio, l. c. p. 111. Ceterum per se intelligitur, scriptores tractatuum *theologicorum* hac silentii sacri religione nunquam fuisse obstrictos. Praeter celationem rituum baptismalium et eucharisticorum vero disciplina arcani hisce temporibus natalium suorum vix quidquam complectebatur, ni forsan *oratio dominica* jam primitus ad eam trahebatur. Nempe partim propter interpretationem quartae precationis de eucharistia tunc maxime tritam, partim propter arctissimam ejus cum liturgia coenae dominicae conjunctionem, partim denique propterea, quod usus ejus pro privilegio fidelium haberi solebat, unde et ἡ εὐχὴ πιστῶν audiebat. Cf. Bingham. l. c. I. p. 39 s. IV. p. 30 s. Langemack l. c. I. p. 144 s. ibique laudati, nec non Augusti, Denkw. a. d. chr. Archäolog., V. p. 106—118. Certe in missa catechumenorum orationi dominicae locus non erat; adeoque vel hoc conjecturae illi favet, quod ex praescripto *Constit. Apost.*, 7, 44. recens baptizati, simulac sacramento imbuti essent, hanc orationem recitabant. De aliis ceremoniis religiosis, quae secc. IV. et V. ad disciplinam arcani referri solebant, luculenter constat, eas initio Christianis omnibus patuisse, e. g. de ordinatione clericorum. Nam vel posterior *Constit. Apostol.* liturgia, 8, 4. hanc coram universa concione ecclesiastica, ante secessum catechumenorum, peragi jubet.

*) Legat. pro Christian. §. 34. p. 37. C. ed. Colon.

**) Vide verba Tertulliani supra §. 10.

profanos et arbitris caveant."*) Agaparum quidem rationem (cp. 39) prolixa et lucida narratione exponit, sed hic quoque ne e longinquo quidem sacram coenam commemorat, quae tamen etiam tunc in agaparum solemnibus celebrari consuevit.**) Alio denique loco (de praescr. adv. haer. cp. 41.) severe taxat haereticos, quod catechumenos ad totum cultum divinum indiscretim admittant, Catholicos vero ob religiosam disciplinae observationem carpant, qua novitioli a sacramentorum adspectu arceantur.***) Vestigia Athenagorae et Tertulliani in defendendis Christianis adversus atroces illas gentilium calumnias, quarum modo meminimus, presse legit circa annum 220 Minucius Felix in Octaviano (28, p. 104 ss. et 31, p. 118 s. ed. Cellarii). Praeterea idem non solum (cp. 9, p. 28†)) de „occultis ac nocturnis sacris" Christianorum, sed etiam (ibidem p. 29††)) de „initiandis tirunculis" diserte loquitur. Testis vero omnium locupletissimus est Origenes, in homiliis suis potissimum, ubi usus *homileticus* disciplinae arcani luculentissime oculis obviat. Binis praesertim locis, quos jam supra (§. 10) ad verbum allegavimus, hom. 13 in Exod., §. 3, p. 176 s. et hom. 9 in Levitic., §. 10, p. 243 s. Quod ad duos alios ejusdem scriptoris locos attinet, difficile est judicatu, quatenus huc pertineant; attamen quoniam egregie probant, disciplinam arcani Origenis certe aetate non circa *dogmata* christiana, quae hodie ita dicuntur, esse versatam, eos hic apponere nos non pigeat. Alter est contra Celsum 1, 7. p. 325 s. (Vol. I.): *Εἶτ' ἐπεὶ πολλάκις ὀνομάζει κρύφιον τὸ δόγμα, καὶ ἐν τούτῳ αὐτὸν ἐλεγκτέον, σχεδὸν*

---

*) Plane eadem ratione et iisdem fere verbis etiam ad Nationes 1, 7. argumentatur Tertullianus.

**) Ita enim censemus, binis cum maxime Patrum locis freti. Alter est Tertulliani ipsius, ad uxorem, 2, 4.: „Quis" (maritus non christianus) „ad convivium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet" (scl. uxorem christianam)? Nulli dubitamus, quin Tertullianus hic de agapis loquatur. Hoc vero admisso verba „Dominicum illud" et „quod infamant" clare innuunt, in conviviis agaparum vel tum eucharistiae locum fuisse. Alter locus apud Cyprianum legitur (cp. 63 ad Caecilium, p. 109 ed. Baluz.): „An illa sibi aliquis" (eorum scilicet, qui in calice mensae dominicae aquam solam offerunt) „contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, *tamen cum ad coenandum venimus mixtum calicem offerimus?* Sed cum coenamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, *ut sacramenti veritatem* fraternitate *omni* praesente *celebremus.*" De quibusnam, quaeso, conviviis hic agit Thascius? Nil praeter densas tenebras, fateor, in hoc loco video, nisi eum de agapis interpretor. Ergo etiam in his vel Cypriani aetate coenae dominicae sacramentum celebrari solebat.

***) Cum iis, quae in textu de Tertulliano disputavimus, minime pugnat, quod idem scriptor in libello de corona militis cp. 3 nonnulla expromit, quae ad ritum baptismatis et eucharistiae spectant. Nam quae illic prodit tam minuta sunt et tam confuse dispersa, ut nemo inde claram ceremoniarum, quibus sacramenta illa obibat ecclesia, imaginem animo concipere possit. Ceterum tractatus de corona militis manifesto lectoribus erat destinatus, qui tirocinium catechumenatus diu deposuissent.

†) Ubi paganus interlocutor, postquam pervagatas illas adversus Christianos criminationes commemoravit, addit: „Nescio an falsa, certe *occultis ac nocturnis sacris* apposita suspicio."

††) „Jam de *initiandis tirunculis* fabula tam detestanda quam nota est."

πάντος τοῦ κόσμου ἐγνωκότος τὸ κήρυγμα χριστιανῶν, μᾶλλον ἢ τὰ τοῖς φιλοσόφοις ἀρέσκοντα. Τίνα γὰρ λανθάνει ἡ ἐκ παρθένου γέννησις Ἰησοῦ καὶ ὁ ἐσταυρωμένος καὶ ἡ παρὰ πολλοῖς πεπιστευμένη ἀνάστασις αὐτοῦ καὶ ἡ καταγγελλομένη κρίσις, πολάζουσα μὲν κατ' ἀξίαν τοὺς ἁμαρτάνοντας, γέρως δ' ἀξιοῦσα τοὺς δικαίους; Ἀλλὰ καὶ μὴ νοηθὲν τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται, γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Ἐπὶ τούτοις οὖν λέγειν, κρύφιον εἶναι τὸ δόγμα, πάντα ἔστιν ἄτοπον. Τὸ δ' εἶναί τινα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτερικά, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνον ἴδιον τοῦ χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν φιλοσόφων· παρ' οἷς τινες μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι δὲ ἐσωτερικοί. Καί τινες μὲν ἀκούοντες Πυθαγόρα ὡς αὐτός ἔφα, ἄλλοι δ' ἐν ἀπορρήτῳ διδασκόμενοι τὰ μὴ ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλους καὶ μηδέπω κεκαθαρμένας. Καὶ πάντα δὲ τὰ παντα χοῦ μυστήρια κατὰ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον κρύφια ὄντα οὐ διαβέβληται. Διόπερ μάτην, μηδὲ νοήσας ἀκριβῶς τὸ κρύφιον τοῦ χριστιανισμοῦ, διαβάλλει αὐτό. Alter locus in eodem opere 3, 52. 53. p. 482, ita sonat: Ἡμεῖς γάρ, ὅση δύναμις, πάντα πράττομεν ὑπὲρ τοῦ φρονίμων ἀνδρῶν γένεσθαι τὸν σύλλογον ἡμῶν· καὶ τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὁτ' εὐπορούμεν συνετῶν ἀκροατῶν, ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα, ἐπὰν ἁπλουστέρους θεωρῶμεν τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα. Γέγραπται γὰρ παρὰ τῷ Παύλῳ ἡμῶν Κορινθίοις ἐπιστέλλοντι, Ἕλλησι μὲν, οὐ κεκαθαρμένοις δέ πω τὰ ἤθη· γάλα ὑμᾶς ἐπότισα κτλ.*) Nec non vetustissimi *Constitutionum Apostolicarum* libri (nam de libro octavo nemo non nescit, quam strenue disciplinam arcani tueatur) eandem rerum faciem praebent. Antiquior nimirum Constitutionum liturgia 2, 57. sic habet (p. 267 ap. Coteler.): Καὶ μετὰ τοῦτο (scl. post sermones a presbyteris et episcopo habitos) συμφώνως ἅπαντες ἐξαναστάντες καὶ ἐπ' ἀνατολὰς κατανοήσαντες, μετὰ τὴν τῶν κατηχουμένων καὶ τὴν τῶν μετανοούντων ἔξοδον, προσευξασθωσαν τῷ θεῷ κτλ. Et paulo post (p. 268): φυλαττέσθωσαν δὲ αἱ θύραι (nempe dum eucharistia peragitur) μή τις ἄπιστος εἰσέλθοι ἢ ἀμύητος. Denique vel ea huc referri possunt, quae Philostorgius hist. eccl. 2, 13. de martyrio Luciani Antiocheni tradit, qui circa annum 311 Nicomediae fidem sanguine suo obsignavit. Narrat nempe, Lucianum in custodia positum ante mortem eucharistiam celebrasse et hac occasione data haec verba fecit: Ἐτελέσθη δὲ ἡ ἱερουργία ἐν τῇ εἱρκτῇ, κυκλώσαντος αὐτὸν (Lucianum) τοῦ ἱεροῦ χόρου (Christianorum, Lucianum confessorem pro more solito in carcere visitantium) ὡς ἤθη ἀποβιοῦντα, ἐκκλησίας σχῆμα καὶ ἀσφάλειαν τοῦ μὴ καθορᾶσθαι τὰ δρώμενα παρὰ τῶν ἀσεβούντων **) ἀναπληροῦντος.

*) Loci Origenis, e. Cels., 1, 25. p. 343 B. C. et 4, 13. p. 604 A ab argumento nostro prorsus alieni sunt.

**) Sic citra dubium cum Luca Holstenio legendum est pro vulgata ἀσεβούντων.

Et sic quidem pedem figamus, testimoniis e seculis post Constantinum M. petitis consulto abstinentes, quoniam, quam larga eorum messis, cummaxime in liturgiis sec. IV. et V. et in scriptis Cyrilli Hieros.,*) Chrysostomi et Augustini suppetat, neminem latet, qui hoc studiorum genus unquam delibavit.**) — §. 14. His ita expositis jure nostro contendere nobis videmur, disciplinam arcani vere sic dicendam circa annum 170 in ecclesia christiana emersisse. Cujus rei si quis vel aliunde probationem postulet, unam hanc insuper juvabit attexere animadversionem. Certo videlicet constat, atroces illas calumnias, quas saepius supra attigimus, inde ab illo demum tempore Christianis impingi coepisse.***) Apud Justinum Mart. adhuc ne levissima quidem vestigia earum emicant, cum tamen, si jam sua aetate tam scelesta facinora Christianis crimini data fuissent, ea silentio praeterire nequaquam potuisset. Neque apud Celsum, Justino circiter aequalem, ulla, uti ex confutatione Origenis videre licet, opprobriorum ejusmodi apparent indicia. At post annum 170 subito malitiosae istae criminationes undique prorumpunt. Habeas eas apud Athenagoram, habes apud Theophilum Ant.,†) qui eodem fere cum Athenagora tempore floruit, habes in epistola *ecclesiae Lugdunensis* et *Viennensis* ad fratres in Phrygia et Asia minori constitutos,††) habes apud Tertullianum,†††) habes denique apud Minucium Felicem.†*) Res ipsa loquitur. Quamdiu eucharistia non occulto, more mysteriorum, a Christianis peragebatur, gentiles nihil in ea suspicati sunt; simulac vero in sacrorum opertaneorum formam esset redacta, immanissima quaevis ei affingere coeperunt; nec sine aliqua veritatis specie, quoniam nimirum sacramenta ejus lucem fugere videbantur.†**) — §. 15. Nihil ergo est, cur fontes disciplinae arcani longinquius indagemus. Ex ipsius ecclesiae christianae rationibus internis profluunt. Postquam vero naturali illa, quam monstravimus, via nata erant et incrementa ceperant initia christiana, procul dubio laetata est ecclesia, quod mysteriis ethnicis, quae tum temporis ab omnibus

---

*) Videatur praesertim catechis ejus mystagogica quinta.

**) Vide hac de re Casaubonum, l. c. p. 490—492.

***) Non enim assentiri possumus iis viris doctis, qui (uti Augusti, Denkwürdigk. a. d. chr. Archäolog., IV. p. 36 s.) jam in verbis Plinii Secundi (in notissima ad Trajanum imp. de Christianis epistola) „cibum promiscuum et *innoxium*“ allusionem ad calumnias illas subodorantur.

†) Ad Autolycum, 3, 4. p. 119. B. ed. Colon.

††) Apud Euseb. hist. eccl. 5, 1. Cf. etiam fragmentum Irenaei in ed. Grabiana p. 469.

†††) Apologet. cp. 7 ss. Ad nationes 1, 7. Ad uxorem 2, 4 et 5 et in aliis tractatibus passim.

†*) Octavian., cp. 9. p. 29 s., cp. 28. p. 104 ss. ed. Cellarii.

†**) Sic ratiocinatur Caecilius apud Minucium Felicem, Octavian., cp. 10. p. 30 s.: „Cur etenim occultare et abscondere quidquid illud coluut magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud, quod coluut et interprimunt, aut puniendum est aut pudendum?“ Cf. quoque locum cp. 9. p. 28. supra allatum.

maxîmi habebantur,*) mysteria sua opponere posset eaque πρωτότυπα et unice vera, quorum illa inanem tantum umbram exprimant.**) Neque animum subit diffiteri, dehinc ad stabiliendam et sollerter excolendam disciplinam arcani alia praeterea momenta multum valuisse, ut puta studium theologorum Alexandrinorum religioni christianae arcana esoterica obtrudendi, nec non aemulationem Catholicorum cum sectis Gnosticorum, quarum plurimae nequaquam ecclesiam universalem deserere, sed intra ejus ambitum sodalitatem clandestinam Christianorum interioris admissionis constituere volebant.***) — §. 16. Atque haec ad illustrandam quaestionem propositam sufficiant. Etenim historiam integram disciplinae arcani condere, fines provinciae susceptae longe excedit. Neque eget haec historia nova, quae ei affundatur, luce. Tritum est, inde a medio sec. IV h. e. inde ab eo tempore, quo religio christiana in orbe Romano inconcussa quiete gaudere et imperio potiri coepit, disciplinam arcani paulatim corruisse, et quidem pari passu cum instituto catechumenatus. Quod ipsum denuo veritatem eorum comprobat, quae hic de ejus origine breviter disputavimus. Num recte, doctiores videant. Certe si in argumento tam obscuro hallucinati simus, veniam erroris ab aequis lectoribus impetrabimus.

---

*) De hac re vide potissimum P. E. Müller de hierarchia et studio vitae asceticae in sacris et mysteriis Graecorum Romanorumque latentibus. Hafn. 1803.

**) Vide locos Justini Mart. et Tertulliani supra §. 10 excitatos.

***) Vid. praesertim Irenaeus adv. haeres., 3, 15. §. 2. p. 203 (ed. Mass.) Cf. etiam (Münter) Kirchl. Alterth. der Gnostiker p. 116 s. 143 s.

I. Index rerum notabiliorum.

Abdicatio Satanae in baptismo 101.
Abrenuntiatio diaboli in bapt. 79. 102. 147.
Absolutio poenitentium 296.
Acta martyrum praeleguntur 68. traduntur 324.
Agapae 8. 170. 237. earum aetas apostolica 170. consilium 193. genera varia 212. locus 207. modus et ratio 209. origo ex mandato Christi 190. a coena Christi paschali 188. a Judaeis 184. 200. 237. a paganis 186. 199. 237. tempus 206. utrum ante an post coenam s. celebratae 202. 238. quinam iis interfuerunt dirigentes vel accurantes 208. ob abusum sublatae 215. 238. gentilium de iis judicium 214.
ἀγάπη, quid significet 170. 172. 183. 198. synonyma 199.
ἀκρόασις 158. 223. 262.
ἀκροώμενοι 262.
Ambo 71. 262.
ἀνάδοχοι 106.
ἀναγνώσματα 63.
Anathema 243.
ἀντίδωρον 225.
ἀποφόρητα 236.
Aquae Jordanis virtus 132.
ἀρτολατρεία 227.
Aspersio baptismalis 99.
ἀσωτία 33.
Audientes 157.
ἄφεσις duplex 226.
Bacchi orgia 33.
Baptismi formula traditione propagata 18. forma 76. locus 84. 106. materia 74. nomina varia 74. 370. objectum 77. procrastinatio 121. 160. in diem dominicam 121. in diem a nativitate octavam 122. in aetatem adultam 122. in fest. nativ. Christi 123. in fest. epiphaniae 123. in fest. paschale et pentecostate 124. procrastinationis hujus causae 130. bapt. tempus 83. circa baptismum ritus 85.
Baptismus parvulorum 78.
— ὑπὲρ τῶν νεκρῶν 104. 118.
Baptisteria 105. 114. separata a templis 117. exstructa in martyrum sepulcra ibid. eorum consecratio ibid. partes 116.
Basilicae ante Diocletianum 3.
βῆμα ἀναγνώστων 71.
Cantica in universum 43. in libris sacris obvia 45.
Cantionum diversae species apud Judaeos et Christianos 29 ss.
Carmina in conviviis usitata 51.
Catechesis ante baptismum 101.
Catechetae 163.
Catechizationis modus 167. ritus 166.
Catechumenatus, status probationis 362.
Catechumeni ἀβάπτιστοι 161. exclusi a sacra coena 161. 233. ad coetus sacros non admissi 365. ad ecclesiastica munera admissi 163. eorum baptismi ad fest. pasch. et pentec. dilatio 296. in ecclesia locus 369. modus cum iis agendi 363. institutio eorum, qualis? 364.
Cerei accensi in efferendis mortuis 335. in baptismo 103.
χάρις 39.
Charistia 187.
χειροθεσία 88. 262.
Cherem, excommunicationis genus 244.
Chorepiscopi 3.
Chrisma in baptismo 103.
Christiani ἐκ τῆς περιτομῆς 12.
Clericorum non exiguus apud vett. Christianos numerus 5.
Clinici 100.
Codices bibliorum traditi 322.
Coemeteria 342. extra urbes 351. in iis ad sacra conveniebant Christiani 343. c. urbis Roma recensentur 345 ss.
Coena sacra apud vett. Christianos crebro celebrata 8. quotidie sumta 236. ejus denominationes 219. mysterium 375.
Cognatio spiritualis inter baptizatum et sponsores 113.
Competentes 158.
Confessionis sacramentum 330.

Confirmatio baptizatorum 85. ejus tempus 89.
Consecratio aquarum in baptismo 85.
— olei in baptismo 90.
— rerum sacrarum 116.
Constantini M. baptismus 161. 127.
Convenientia sacrorum vet. eccl. cum decretis Christianorum 15.
Conventus Christianorum nocturni 1.
Cura corporis mortui 333.
Delibatio lactis et mellis in baptismo 96. 103.
Delicta Christianorum capitalia et canonica 249.
Diaconi praelegunt evangelium 71. traditorum crimine polluti 318.
Dies anniversarius pro animabus defunctorum 340.
Dies solis in sabbati locum succedens 4.
Diocletiani animus in Christianos hostilis 303. ss. edicta contra Christianos 305.
Diptycha praelegnatur 68.
Disciplina arcani 17. 263. 357. num ab imitatione mysteriorum ethnicorum profecta 358. ea a Judaeis repetenda ibid. origo ejus ex catechumenata ibid. quo tempore orta 379.
Disciplina ecclesiastica pro varia criminum ratione 266. circa poenitentes clericos 290. circa relapsos 299. in ecclesia Africana 284. in Hispania 274. in ecclesia Occidentali 274. in eccl. Orient. 268. in eccl. Romana 278.
διάκοι 235.
δοχή 173. δοχεῖα 235.
Dominicalia 235.
δῶρον de s. coena 162. 225.
ἐγγείρησις in administratione s. coenae 235.
εἰρήνην διδόναι de osculo pacis 238.
ἔκδοσις et πρόδοσις quomodo differant 316.
Eleemosynae pro mortuis 339.
Elevatio panis in coena s. 227.
Energumeni 146.
ἐντρυφᾶν τινι 177 s.
ἐφόδιον τελευταῖον 234.
Episcoporum et presbyterorum nullum aetate apostolica discrimen 27.
Episcopi traditorum culpam sibi contrahentes 317.
Epistolae formatae 234.
Epitaphia Christianorum vett. 337.
ἐσωτερικά et ἐξωτερικά 223. 369. 378.
Evangelia apocrypha praeleguntur 67.
Eucharistia 224. data parvulis 234. ejus porrectio in baptismo 103. reliquiae 235. symbola mortuorum ori imposita 234.
εὐχὴ πιστῶν de oratione dominica 376.
εὐλογίαι 163. 224.
Examen cum baptizandis 81.
Excommunicatio 253. ejus apud Hebraeos species et gradus 243. formulae ejus solemnes 253.
Exomologesis publica 247. 255.
Exorcismus 137. in baptismo 101. eum ignorant N. T. scriptores et patres apostolici 139. ejus meminit Justinus M. 141. eum ignorat Minucius Felix 144. Origenes ibid. exorcismi peragendi tempus et modus 152. formulae 152 s.
ἐξορκίζειν 137.
Exorcistae 146. 150.
Exoristerium 153.
Expositio corporis mortui 333.
Festivitates in memoriam Sanctorum 351.
Festum pentecostes 4.
Fidei professio in baptismo 81.
Formula solemnis in baptismo 100.
Formulae baptismales haereticorum 100.
Γράμματα κανόνικα 254.
Gustus salis in baptismo 102.
Hiemantes 10.
Historiae ecclesiae apost. capita varia 21.
Homicidii crimen 252.
Hostiarum in coena s. origo 231.
Hydroparastatae 232.
Hymnus 22. eorum a psalmis et odis discrimen 30. 32. usus in ecclesia apostolica 21. inter paganos 23. hymnus in convivio Judaeorum paschali 23. 25. Domini in eodem 25. 189.
Idololatriae delictum summum 249. ejus species ibid.
Jejunium baptismo conjunctum 101.
Immersio baptismalis 99.
Impositio manuum in baptismo 67. 103.
Indagatio librorum christianae familiae sacrorum 308.
Indulgentia poenitentibus facta 293.
Instrumenta musica hymnis decantandis adhibita 49.
Intinctio baptismalis trina 99.
Ite! missa est 162.
καθέδραι 126.
καθόρασις 262.
κατηχεῖν, κατηχεῖσθαι, κατηχούμενος 157.
κεφαλαιωμένως 66.
κλάσις τοῦ ἄρτου in s. coena 222.
κλάσματα 231.
κλαστόν 163.
κλίσις γονάτων in precibus faciendis 9.
κοινωνία de s. coena 221. ἀγιασμάτων 264. ἀποδημούντων 264. εὐχῆς 264. λαϊκῶν 236.
κολυμβήθρα 116.

Κύριος de Christo 36.
Laici traditores 320.
Lapsi 10. 248.
Lectiones in ecclesia graeca 65. in feriis paschalibus 63. earum explicatio 73. ordo 71. ritus circa eas 69.
Lectores 69. traditorum crimine infecti 319.
Libellatici 250. genera eorum 251.
Libelli indulgentiae 285.
Libri Christianorum traditi 324. ecclesiastici ad ignem damnati 309.
Lucernarum usus in lectionibus 72.
Lutheri de exorcismo sententia 154.
Manuum lotio ante communionem 235.
μέθεξις 224.
μέθη et *μεθύειν* 34.
Minister baptismi 82.
Missa 162. 225. משה 184. missa pontificiorum 217.
Moechiae crimen 252.
Mosis carmen 44.
Musica vocalis et instrumentalis 50.
μύειν, *μυεῖσθαι* 222.
Mysteria 222.
μυστήριον de s. coena 222.
Natalitia martyrum 5.
Niddui, excommunicationis genus 243.
Nominis impositio in baptismo 102.
Novitiatus in ecclesia institutus 359. ejus finis mutatus 368.
Novitii, novitioli 158.
Oblationes pro animabus defunctorum 340. in memoriam Sanctorum 351.
Odae 59.
Oratio dominica 376. ejus in s. coena usus 234. orationes pro animabus defunctorum 340. funebres 339.
Ordo canendi per vices 48.
Origo poëmatum 46.
Osculum pacis 231. in baptismo 96. 103.
Paedobaptismus 78. 121.
Panis *ἄζυμος* et *ζυμωτὸς* 229. *ἀποβεβρεγμένος* 233. in s. coena forma 230.
Pascha *σταυρώσιμον* et *ἀναστάσιμον* 4.
Peregrinationes ad sepulcra Sanctorum 355.
Petentes 158.
Planctus Christianorum super mortuos 334.
Poculum Christi in s. coena vitrum 231
Poenitentia publica 247.
Pompa satanica 80.
ποτηριοκλεψία 232.
Preces pro animabus defunctorum 340. manuum impositioni adjunctae 88.
Presbyter *ἐπὶ μετανοίᾳ* 268. 271.
Presbyteri traditorum crimine maculati 318.
Professio nominis in baptismo 101.
Profitentes 158.
Propheta 27.
Proselytarum christianorum duae classes 368.
προσεύχαι vett. Christianorum 6.
προσκλαίοντες 261.
πρόσκλαυσις 158. 223. 261.
προσφέρειν de s. coena 173.
Psalmorum praelectio 66.
Quakeri taxantur 50.
Religio christiana *κρύφιον δόγμα* 224. 378.
Ritus peregrini in sacra Christianorum invecti 17. ritus in baptismo 98. in coena s. 234. efferendi mortuum 334.
Sacra vett. Christianorum describuntur 8.
Sacra publica vett. Christ. in pagis 2.
Sacramenta mysteria 369.
Sacrificati 250.
Salivae et sputi usus in baptismo 102.
Satisfactio canonica 259.
Scripta in conventibus Christianorum praelecta 62.
Scripturae sacrae memoriae mandatae 327. occultatae 326.
Sepulcra Christianorum vett. 337.
Sepulturae modus apud Christ. vett. 336.
Sibyllarum oracula 312.
Signatio crucis in baptizatis 87.
Signum crucis 102.
Silas (Silvanus) Pauli *συνεργὸς* 265.
Silentium sacrum 375.
Simplicitas rituum in antiquissima ecclesia 106.
Sponsio in baptismo 80.
Sponsores in baptismo 81.
σπίλαδες 180.
Stare solebant Christiani inter recitationem evangelii 72.
Stationes poenitentium 260.
Stesichorus Himeraeus 22.
Stilus poëticus 47.
Superstitio vett. Christianorum 14.
Supplicia de libris apud Judaeos, Graecos, Romanos 357.
Susceptores 102. adultorum 109. susceptorum nomen 107. numerus ibid. origo ibid.
σύναξις de coena s. 220.
συνιστάμενοι 264.
σύστασις 158. 224. 264.
Synagogae, Christianorum seminaria 2. 16.
Templa, quo primum tempore vett. Christiani habuerint 6.

Theodosius M. sero baptizatus 128.
Theologia arcana 357.
Thurificati 250.
Traditores 315. origo nominis eorum 317.
Translationes Sanctorum mortuorum 353.
Transsubstantiatio 233.
Unctio baptizatorum 85. 92. extrema 330.
Valentinianus ἀβάπτιστος 128. 160.
Vasa sacra tradita 325.
Verba institutionis 235.
Vestes atrae Christianorum 334. candidae baptizatorum 103.
Vigiliae vett. Christianorum 10.
Vinum in s. coena aqua dilutum 213.
φρατρικὰ 201.
φώτισμα, de baptismo 114.
φωτιστήριον 114.
Xenodochia 174. 200.
ὑποπτωσις 158. 223. 263.

II. Index aliquot S. S. locorum, qui illustrantur.

Matth. 18, 15—17. p. 240.
— 26, 36. p. 21.
Act. 16, 25. p. 25.
1 Cor. 14, 26. p. 40.
— 15, 29. p. 118.
Eph. 5, 19. p. 29.
Coloss. 3, 16. p. 29.
1 Tim. 1, 20. p. 241.
Jud. 3. p. 174.

EX OFFICINA CAROL. GUST. NAUMANNI.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

MAY 2 6 1974 ILL
CANCELLED
4378092

SEP 8 1975 ILL
4927045

3 2044 100 882 356